246.34
In2

639

639

RESCRIPTA AUTHENTICA

SACRAE CONGREGATIONIS

INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS

PRAEPOSITAE

NECNON

SUMMARIA INDULGENTIARUM,

QUAE

COLLEGIT ET CUM ORIGINALIBUS IN ARCHIVIO SACRAE CONGREGATIONIS INDULGENTIARUM ASSERVATIS CONTULIT

JOSEPHUS SCHNEIDER,

SOCIETATIS JESU SACERDOS, SACRAE CONGREGATIONIS INDULGENT. ET SS. RELIQ. CONSULTOR.

ALMA COLLEGE
246.34
LIBRARY
IN2
Los Gatos, Calif.

RATISBONÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATII.
SUMPTIBUS, CHARTIS & TYPIS FRIDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. CONGREG. INDULG. ET RELIQ. TYPOGRAPHI.
MDCCCLXXXV.

55781

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita concessiones indulgentiarum contentas sive in Rescriptis proprie dictis sive in Summariis, prouti ista in hoc volumine jacent, post collationem cum originalibus in tabulario ejusdem Sacrae Congregationis adservatis peractam, uti authenticas recognovit et typis imprimi atque publicari posse permisit.

Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 16 Decembris 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano,**

(L. S.) Praefectus.

Franciscus **Della Volpe,** Secretarius.

Liber, qui inscribitur: „Rescripta authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae necnon Summaria indulgentiarum a P. Josepho Schneider S. J. collecta," quum ejusdem Sacrae Congregationis approbationem tulerit, ex parte nostra libenter permittimus, ut typis mandetur.

Blyenbeck, die 29. Augusti 1884.

(L. S.)

Joannes Baptista Lohmann, S. J.
Praep. Prov. Germaniae.

Praefatio.

Quum die septimo Januarii hujus anni Rev. P. Josephus Schneider, Societatis Jesu sacerdos ac Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Consultor, paucorum dierum morbo confectus laboriosae vitae finem attingeret, hujus, quod Tibi, benevole lector, offerimus operis pars longe major typis jam erat descripta atque ea, quae restabat, apparata; sola desiderabatur praefatio, quae rationem vulgandi atque disponendi operis doceret. Quare quod viro nobis multis titulis conjunctissimo perficere non licuit, id nobis opus ex ejus mente terminantibus est praestandum.

Opus, quod vulgamus, vel obiter evolventi facile apparebit, id imprimis auctori fuisse in animo, ut quae post collectionem „Decretorum authenticorum“ ac librum, cui titulus „Raccolta“ desiderari atque e scriniis Sacrae Congregationis utiliter in vulgus emitti possent, hoc volumine complecteretur. — Jam vero cum in libro, qui „Raccolta“ inscribitur, recenseantur eae solae indulgentiae, quae omnibus omnino fidelibus praesto sunt, non abs re videbatur, eas quoque undique collectas ante oculos ponere, quae variis coetibus ac societatibus a Romanis Pontificibus concessae sunt abun-

dantissimae. Id enim nisi multiplici utilitate ac magno pietatis incremento fieri non poterat. — Quare auctor nulli parcens labori omnium, qui Romae sedem fixerunt, Ordinum religiosorum ac piarum Congregationum ac Confraternitatum ecclesias perlustrans atque acta chartasque Sacrae Congregationis diligenter excutiens harum indulgentiarum Summaria congessit quam plurima. Ex his Summariis ea, quae aut a Sacra Congregatione rite erant approbata aut cum documentis authenticis in tabulario ejusdem Sacrae Congregationis asservatis plene consonant — paucis, quae minoris momenti viderentur, rejectis — prelo paravit. Qua diligentia id est consecutus, ut non solum triginta fere Summaria iis addiderit, quae olim a Prinzivalli sunt vulgata; verum etiam ex quadraginta quinque reliquis — quae si titulos solos inspexeris, utrique putaveris esse communia — quindecim exhibeat vel melius digesta vel novis indulgentiis aucta vel recentius approbata.

Ut haec Summariorum collectio imprimis indulgentiarum usum atque fidelium in eis lucrandis studium spectat, ita prior libri pars, quae „Rescripta“ complectitur, iis potius servit, qui ipsam Ecclesiae in indulgentiis elargiendis rationem et consuetudinem accuratius rimantur. Haec igitur pars propius ad „Decreta authentica“ accedit. Cum enim Sacra Congregatio in eo Decretorum volumine sibi legum suarum quasi quemdam „Codicem“ constituisset, auctor velut „spicas post metentes colligens“ etiam ex Rescriptis ac concessionibus specialibus ea selegit, quae modum agendi Sacrae Congregationis illustrarent. Quare haec Rescripta non eo consilio vulganda censuit, ut ex eis, quae indul-

gentiae sint concessae, quaeve negatae, perspiciamus; sed ut ipsa concedendi et negandi ratio facilius appareat. Quod quidem in quadam sua scheda aperte expressum invenimus. „Non potuit, inquit, esse mens mea, omnes referre concessiones, quae unquam editae sunt; tum enim debebam ducenta quinquaginta volumina archivii exscribere, praeterquam quod plurimae aliae concessiones e Secretaria Brevium emanarunt. Ea sola Rescripta exhibere volui, ex quibus praxis Sacrae Congregationis tum vetus tum nova elucet.“ — Quo vero facilius id, quod ab auctore intendebatur, obtineretur, duplicem adjiciendum curavimus Rescriptorum indicem, quem Rev. P. Augustino Lehmkuhl S. J. acceptum referimus. Ex iis apertissime putamus elucere ea doctrinae capita, quae auctor nos per singula Rescripta docere voluit.

Caeterum in hac libri parte fortasse alicui quaedam videantur abundare. Rescriptis nimirum authenticis aliquando praemittuntur relationes quaedam a Secretariis Sacrae Congregationis conscriptae, quae juxta morem ejusdem Congregationis praetermitti solent. Praeterea quaedam recensentur documenta, quae quum doctrinam aut normam generalem exhibeant, inter Decreta potius collocanda videantur. Sed haec nihil auctoritati Rescriptorum officere, manifestum est.

Adjecit auctor Rescriptis earum indulgentiarum certis precibus piisque exercitiis adnexarum concessiones, quae post librum, cui „Raccolta“ titulus — id est inde ab anno 1877 — emanarunt.

Appendicis loco praemissis paucis antiquioribus, quae auctori prius praesto non fuerunt, ea ponuntur Rescripta,

quae cum prodiissent, postquam altera libri pars typis describi coepta est, suis locis inseri non potuerant.

Faxit Deus, ut operis hujus auctor eum, quem tot scriptis commendavit indulgentiarum usum vivus, mortuus lectorum piis precibus etiam sibi utilem abunde experiatur.

Romae, die Beatae Virgini in coelum assumptae sacro, ann. 1884.

Franciscus Beringer, S. J.

RESCRIPTA AUTHENTICA

SACRAE CONGREGATIONIS

INDULGENTIIS SACRISQUE RELIQUIIS

PRAEPOSITAE.

1.

1710 22 Septembris. Indulgentia pro festo S. Alexii.

Congregationis FF. Alexianorum seu Cellitarum nuncupatorum. Congregatio religiosa FF. Alexianorum seu Cellitarum nuncupata, quorum mentionem facit Aubertus Miraeus (de origine monastica lib. 1. cap. 28), tametsi ab aliquot saeculis sub regula S. Augustini jam fundata et ab Apostolica Sede approbata, nullis tamen adhuc indulgentiis ditata reperitur. Idcirco exemplo aliorum Ordinum ac Congregationum regularium, quibus similes gratias ab eadem Sede concessas fuisse notorium est, concedi petit indulgentiam plenariam perpetuam omnibus utriusque sexus Christifidelibus visitantibus ecclesias suorum conventuum, quos in Belgii et Germaniae partibus plures habent, in festo S. Alexii Confessoris, sub cujus invocatione eadem Congregatio instituta fuit. Quaeritur ergo: *An praedictae petitioni annuendum sit?* Sac. Congregatio die 22 Septembris 1710 respondit: *Affirmative.*

2.

1710 17 Novembris. Reliquiae.

Januen. Angelus de Guarneriis, sacerdos Januensis dioecesis refert, quemdam parochum nonnullas Sanctorum Reli-

quias ad suam ecclesiam spectantes publicae venerationi exponere consuevisse; cumque capsulae, quibus asservabantur, nimia essent vetustate consumptae, ac proinde amplius exponi minime possent, illas dono dedisse cuidam Regulari; qui cum partem praedictarum Reliquiarum Oratori tradere velit, humillime postulat idem Orator, ab hac Sacra Congregatione declarari, *an tuto illas recipere et deinde, accedente Ordinarii licentia, publicae venerationi exponere possit.* Nec sane levis dubitandi ratio subest, nam explorati juris est, Sanctorum Reliquias inter res maxime pretiosas ecclesiae comprehendi, nec a parochis alienari posse. *(Tamburini de jure Abbatum, tom. 3 disput. 13 quaest. 1 num. 11, Pignatelli tom. 4 Consultat. 108 num. 2 et 5.)* Praeterquam quod, etiamsi cum de Reliquiis agitur, quae antiquissimo tempore cultum susceperunt, idem illis cultus in posterum praestari possit, *(Barbosa Apostol. decis. Collect. 646 num. 3.)* aliqua fortasse difficultas in probatione identitatis Reliquiarum in praesenti esse poterit. Quapropter summae prudentiae erit EE. PP. decernere: *An Oratoris petitioni respondendum sit.* Sac. Congregatio die 17 Novembris 1710 respondit: *Reliquiae restituantur suae ecclesiae, et ad mentem.*

3.

1710 22 Decembris. De oratorio Monialium quoad indulgentias.

Neapolitana. Moniales monasterii S. Mariae Magdalenae Majoris nuncupati civitatis Neapolis humiliter Sanctitati Suae exposuerunt, in monasterio praedicto sacellum quoddam reperiri Sanctissimae Virgini de Monte Carmelo dicatum, quod tum ipsae Moniales, tum puellae educationis causa intra septa monasterii degentes praecipua devotione venerantur. Humiliter deinde supplicarunt, ut *quae in eodem conventu commorantur, et parvum habitum Deiparae Virginis Montis Carmeli assiduo gestant, quoties supramemoratum sacellum visitaverint, lucrari valeant omnes indulgentias, quas alii extra claustra praedictum habitum deferentes, et ecclesiam conventus majoris Carmeli ejusdem civitatis devote visitantes acquirunt.* Quibus precibus huic Sacrae Congregationi re-

missis, inquiritur: *An sit annuendum.* Sac. Congregatio die 22 Decembris 1710 respondit: *Negative.*

4.

1711 19 Januarii. **Indulgentia pro oratione XL horarum.**

Colonien. Nomine civitatis Coloniensis Sanctitati Suae expositum fuit, in omnibus ecclesiis ejusdem civitatis ac universae dioecesis preces XL horarum a Dominica prima Quadragesimae praeteriti anni 1709 denuo instauratas fuisse, et usque in praesens praecipua fidelium pietate ac devotione esse productas. Ut autem in dies devotus populorum cultus erga divinum Sacramentum augeatur, tamque pium opus ac salutare nova semper incrementa suscipiat, eidem SSmo D. N. humillime supplicatum fuit, *ut illud devote peragentibus plenariam indulgentiam,* seu alias, prout magis in Domino expedire videbitur, concedere dignetur. Precibusque huic Sacrae Congregationi remissis inquiritur: *An et quae indulgentiae concedi debeant.* Sac. Congregatio die 19 Jan. 1710 respondit: *Concedenda indulgentia plenaria juxta solitum.*

5.

1711 23 Februarii. **Indulgentia confraternitatum.**

Ut moderationis indulgentiarum opus adeo feliciter coeptum celerius atque utilius Sacra haec Congregatio prosequi valeat, aliqua interdum dubia generalia jussu SSmi D. N. discutienda proponuntur. Hac enim ratione fiet, ut certis veluti principiis ac regulis semel constitutis, plura, in quibus circumstantiae non admodum diversae reperiuntur, simul decidi facile possint, nec in singulis diutius sit immorandum. Non raro itaque contingit, ut confraternitates canonice erectae praeter indulgentias, quae illis de stylo conceduntur, ut habetur in Summario num. 2 [1]), petant

[1]) *Summarii num. 2:* Confratribus et consororibus alicujus Confraternitatis seu Congregationis vel Sodalitatis conceduntur in perpetuum sequentes indulgentiae: I. Indulgentia plenaria in ingressu, II. Indulgentia plenaria in articulo mortis, III. Indulgentia plenaria die festo principali, IV. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in quatuor aliis anni festis diebus per confratres eligendis et ab Ordinario approbandis. Quoties vero Missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu capella vel oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis inter-

etiam indulgentiam plenariam pro uno die festo cujuslibet mensis. Nec desunt, qui longe profusiores sacrarum indulgentiarum elargitiones cupiant, ut vidimus in una Ulyssiponensi die 19 Januarii 1711, quae resoluta non fuit. Quapropter Eminentissimorum Patrum eximiae sapientiae decernendum modo proponitur: 1° *An praeter indulgentias relatas in praedicto Summario addere etiam interdum expediat indulgentiam plenariam singulis mensibus? Et quatenus Affirmative,* 2° *An saltem post novam hanc concessionem aliae insuper indulgentiae petentibus dari debeant?* Sac. Congregatio die 23 Februarii 1711 respondit: *Respondebitur in casibus particularibus.*

6.

1711 23 Martii. Indulg. pro expositione SS. Sacramenti.

Romana. Alias in hac sacra Congregatione quaesitum fuit, an indulgentiae aliquae concedi deberent pro expositione minus solemni Sanctissimi Corporis Christi, et propter multas easque graves rationes negativa prodiit resolutio, ut patet ex decreto edito die 13 Septembris 1672. Progressu tamen temporis nonnullae indulgentiae interdum datae fuerunt. Quin etiam paulatim usus invaluit aliquas indulgentias nunquam denegandi. Quapropter EE. PP., tum antiquiori decreto tum recentiori praxi simul collatis, statuere dignabuntur, *Quid in posterum servandum sit.* Sac. Congregatio die 23 Martii 1711 respondit: *Recurrendum in casibus particularibus.*

---

fuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint, necnon etiam, qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias ubicumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si, impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, (aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum hujusmodi recitaverint), aut demum aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Dabitur quoque altare privilegiatum pro defunctis confratribus et consororibus semel in hebdomada et tota octava mortuorum ad septennium.

7.

1711 24 Augusti. De concessione indulgentiae pro exercitio Bonae Mortis.

Pro vere pio ac salutari exercitio, quod vulgo *Bonae Mortis* appellant, indulgentia plenaria una Dominica cujuslibet mensis, aliis vero Dominicis indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum confessis ac Sacra Communione refectis concedi hactenus consuevit. Nonnulli supplices libelli, quibus praedictae indulgentiae postulabantur, in anteacta Congregatione relati fuerunt. At EE. PP. summa, qua solent sapientia ea de re dubium generale proponi jusserunt, ut maturius expendi posset, an liberalior fortasse dici mereretur tot ac talium indulgentiarum concessio, vel potius, inspecta praecipua operis praedicti utilitate, praxis, quae hactenus servata est, in posterum etiam retineri debeat. Declarare itaque modo EE. PP. dignabuntur: *An et quales indulgentiae in posterum concedi debeant pro pio illo exercitio, quod Bonae Mortis appellant.* Sac. Congregatio die 24 Aug. 1711 respondit: *Indulgentia plenaria semel in anno, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum semel in mense, et pro aliis diebus, quibus dictum exercitium peragitur, indulgentia centum dierum.*

8.

1711 16 Novembris. De concessione indulgentiarum pro ecclesia S. Severini civitatis Colonien.

Colonien. Praeclarissimam sane in catholica fide constantiam, quam Coloniae Agrippinae urbs inter circumstrepentes haeresum procellas immotam hucusque servavit, plures tum Summi Pontifices, tum Imperatores eximiis laudibus exornarunt. *(Raynal. Annal. eccles. ad an. 1543 n. 24 et seqq. et ad an. 1544 num. 10, 13 et seq.)* Eam vero religiosissimi cives peculiari S. Severini Archiepiscopi patrocinio praecipue referunt. Hac de causa sacras ejus exuvias, quae in ecclesia collegiata asservantur, studio ingenti et mira prorsus pietate colunt; utque illas venerentur, quarta praesertim Dominica cujuslibet mensis, et singulis feriis secundis totius anni ad praedictam ecclesiam accedere consueverunt. Quapropter nomine Capituli preces SSmo D. N. porrectae

fuerunt pro obtinenda plenaria indulgentia iis omnibus, qui praefatis Dominicis supramemoratam ecclesiam visitabunt: illis vero, qui id singulis feriis secundis praestiterint, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum. Litterae Nuntii Pontificii ad tractum Rheni accesserunt, quibus testatur, petitas indulgentias non parum religioni promovendae profuturas. Declarandum itaque proponitur: *An et quae indulgentiae concedi debeant?* Sac. Congregatio die 16 Novembris 1711 respondit: *Indulgentia plenaria pro una Dominica eligenda ab Ordinario, et pro aliis quartis Dominicis indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum ad Septennium.*

9.

1711 16 Novembris. **Facultas Episcoporum circa indulgentias.**

Bracaren. Episcopos in suis dioecesibus praeter consecrationis ecclesiae celebritatem quadraginta dies dumtaxat indulgentiae impertiri posse habetur in *cap.* „Cum ex eo“ *de poenit. et remiss.* Speciali tamen indulto s. m. Leo X. litteris datis 18 Kalend. Maji 1505 Portugalliae Regis capellano Majori concessit, ut interdum ducentos dies indulgentiae daret, his verbis: „Denique capellanus Major, vel ejus locum tenens, quotiescumque et ubicumque in Missarum solemniis per praedicationis ministerium in tua et dictae Reginae praesentia per eumdem capellanum Majorem vel alium publice proponi contigerit verbum Dei, illud proponens omnibus vere poenitentibus et confessis ibidem praesentibus ducentos dies de injunctis eis poenitentiis in Domino relaxare libere et licite possit“. Idemque privilegium s. m. Clemens VII. confirmavit idibus Januarii 1523. Eamdemque facultatem concessit capellano Majori regis catholici s. m. Paul. V. die 17 Februarii anni 1614. Quibus exemplis permotus Bracarensis Archiepiscopus supplicem libellum porrexit, ut, suae adeo insignis Ecclesiae dignitate inspecta, sibi quoque facultas tribuatur cunctis Christifidelibus suis solemnibus benedictionibus interessentibus bis centum dies indulgentiae tribuendi. Decernere itaque EE. PP. dignabuntur, *An petita facultas concedi debeat?* Sac. Congregatio die 16 Nov. 1711 respondit: *Negative.*

10.

1711 14 Decembris. Altare privilegiatum.

Lycien. Quamvis sacra haec Congregatio saepius rejiciendas duxerit preces, secundum altare privilegiatum in eadem ecclesia postulantium, illud tamen die 16 praeteriti mensis cathedrali Panormi concedendum censuit, inspectis praecipue quamplurimis perpetuis oneribus, quibus adimplendis unicum dumtaxat altare privilegiatum non satis fuisset. Refert modo Episcopus Lyciensis, in sua cathedrali viginti quatuor millia Missarum et ultra, praeter adventitias, esse quotannis celebrandas, ex quibus octo mille tercentum octoginta novem in altari privilegiato, ex lege a piis elargitoribus adjecta celebrari debent. Et quia unicum dumtaxat altare perpetuo privilegio decoratum existit in sacello quodam subtus praedictam ecclesiam positum, in quo viginti quatuor Missae, quemadmodum opus esset, singulis diebus celebrari minime valent, cum propter magnum illarum numerum, tum respectu loci parum commodi; ideo una cum Capitulo Lyciensi humiliter petit confirmationem privilegii, quod pro alio altari Summus Pontifex Alexander VIII. ex voto Sac. Congregationis Concilii ad septennium concessit, ac deinde s. m. Innocentius XII., et tandem SSmus D. N. de septennio ad septennium prorogarunt. Declarare igitur EE. PP. dignabuntur: *An privilegium praedictum confirmandum sit.* Sac. Congregatio die 14 Decembris 1711 respondit: *Pro confirmatione, et prohibeatur, quod in posterum recipiantur onera perpetua pro altaribus privilegiatis, et quod recipiantur Missae adventitiae praeter numerum, cui commode satisfieri possit.*

11.

1712 25 Januarii. Scala sancta.

Pragen. Nuper in ecclesia Canonicorum regularium S. Augustini novae civitatis Pragensis scala quaedam exstructa est et per murum ejusdem ecclesiae in proximum monasterii hortum protensa; medii gradus ex marmore, alii vero duo laterales ex communi lapide fabrefacti. Formam adamussim refert scalae, quae ad Sancta Sanctorum Romae

pie invisitur, iisdemque illam decorari indulgentiis praefati monasterii Abbas humillime postulat. Saepius quidem similes preces omnino rejectae, aliquando tamen nonnullae indulgentiae hac de causa concessae reperiuntur; nam pro scala sancta in regno Ungariae multis abhinc annis erecta plenariam indulgentiam ter in anno, in reliquis vero diebus indulgentiam centum dierum pro qualibet vice Apostolica Sedes concessit; et pro altera in ecclesia Clericorum Regularium Theatinorum Monachii, Frisingensis Dioecesis, praeter quotidianas indulgentias centum dierum plenariam indulgentiam quater in anno s. m. Innocentius XI. elargitus est. Viennae pariter in Austria non absimilis scala in ecclesia Fratrum Minorum Conventualium reperitur, quam sacris indulgentiis decoratam testatur Nuntius Pontificius litteris ad hanc Sacram Congregationem datis die 26 Septembris 1711. Declarandum itaque proponitur: *An et quae indulgentiae pro ascendentibus scalam sanctam Pragae exstructam dari debeant?* Sac. Congregatio die 25 Januarii 1712 respondit: *Indulgentia plenaria quater in anno; in reliquis vero diebus, quacumque vice id egerint, centum dierum, ut in Frisingen., sed ad decennium.*

12.

1712 18 Aprilis. **Altare privilegiatum.**

Romana. Privilegium perpetuum a s. m. Clemente X. altari S. Michaelis in ecclesia S. Marci de Urbe concessum et ad solos ejusdem ecclesiae sacerdotes restrictum ad omnes in eo celebrantes extendi Capitulum et canonici die 23 Febr. elapsi anni 1711 humiliter postularunt. Petitam tamen extensionem pro una feria tantum in hebdomada Sacra haec Congregatio concedendam censuit. Verum cum propter non exiguum defunctorum numerum, qui in praefata ecclesia sepeliuntur, Missae saepius ad altare privilegiatum ex piorum legatorum praescripto celebrari debeant; nec sacerdotes ejusdem ecclesiae, utpote aliis oneribus adimplendis plerumque addicti ad altare privilegiatum sacra facere valeant; ideo, ne Missae, quae die depositionis defunctorum celebrari deberent, differantur, et ne fidelium pietas ab erogandis

eleemosynis pro illarum celebratione hac de causa retrahatur, denuo humiliter supplicant, ut extensio praedicta pro una tantum feria in hebdomada concessa, pro omnibus feriis concedatur. Decernendum itaque proponitur: *An petita extensio concedenda sit?* Sac. Congregatio die 18 Aprilis 1712 respondit: *Gaudeant impetratis.*

13.

1712 18 Aprilis. Indulg. pro expositione SSmi Sacramenti.

Tuscanen. Pius ac salutaris usus SSmum Eucharistiae Sacramentum assiduo asservandi a primis usque Ecclesiae temporibus usurpatus est. *(Durant. de ritib. Ecclesiae cathol. lib. 1 cap. 16, Solimen. de Eucharist. lib. 1 cap. 2 §. 2.)* Religiosa deinde consuetudo etiam inducta, ut publicae fidelium adorationi proponeretur. Nuper in urbe Tuscanen. quemadmodum in multis aliis locis solet, panem eucharisticum singulis diebus per aliquod temporis spatium in aliqua ecclesia exponere incoeperunt, qua occasione Eminentissimus Episcopus SSmo D. N. preces porrexit, ut fidelibus augustissimum Sacramentum publice expositum adorantibus uno die singulis mensibus plenariam indulgentiam, aliis vero diebus indulgentiam dumtaxat centum dierum concedere dignetur, quemadmodum pro ecclesiis civitatis Viterbiensis ad preces ejusdem Eminentissimi Episcopi die 24 Julii anni 1706 Sanctitas Sua clementer indulsit. Quaeritur ergo: *An praedictae indulgentiae concedi debeant?* Sac. Congregatio die 18 Aprilis 1712 respondit: *Indulgentia plenaria semel in anno pro die ab Ordinario designando, et pro reliquis diebus indulgentia centum dierum.*

14.

1712 22 Augusti. Scala sancta.

Jaderen. Scalam, quam sanctam appellant, in oratorio S. Donati civitatis Jaderensis positam precibusque fundendis dumtaxat destinatam SSmus D. N. Literis in forma Brevis expeditis die 8 Augusti 1705 pro quatuor vicibus in anno ad septennium cunctis indulgentiis exornavit, quibus Scala sancta de Urbe decorata est. Elapso septennio gratiae con-

firmationem humiliter postulant. Decernendum itaque erit: *An Breve ad aliud septennium confirmandum sit?* Sac. Congregatio die 22 Augusti 1712 respondit: *Pro confirmatione Brevis ad aliud septennium.*

15.

1712 21 Novembris. Altare privilegiatum.

Bergomen. Statuunt constitutiones Confraternitatis sub titulo Pietatis erectae in ecclesia S. Petri Martyris loci Alzani Majoris, ut quotiescumque confratrem aliquem e vivis decedere contigerit, pro ejus animae suffragio in altari privilegiato divinum Missae sacrificium offeratur. Aucto interim ultra viginti quatuor millia confratrum numero saepius accidit, ut eorum pluribus decedentibus, Missas, quae ad altare privilegiatum celebrari statim deberent, aut diutius differri, aut omnino praetermitti necesse sit; siquidem altare pro una dumtaxat feria in hebdomada privilegio decoratum est, et quinque solummodo sacerdotes servitio ecclesiae confraternitatis addicti reperiuntur. Humillime itaque postulant, ut privilegium praedictum pro alia etiam feria in hebdomada extendatur. Decernendum itaque erit: *An pro alia etiam feria in hebdomada dari debeat altare privilegiatum pro confratribus tantum?* Sac. Congregatio die 21 Novembris 1712 respondit: *Pro gratia ad septennium.*

16.

1713 25 Septembris. Scala sancta.

Salisburgen. Dominicae Passionis monumenta, quae Romae asservantur, ea ratione, qua possunt, Christifideles etiam absentes veneraturi, nonnullas interdum, praecipue in Germaniae partibus, scalas efformant illius, quae in Urbe ad Sancta Sanctorum invisitur, speciem ad amussim referentes. Nuper unam ex supramemoratis scalis senatu populoque Salisburgensi juvante, Clerici Regulares Theatini construxere, ad quam, cum maxime frequens sit Catholicorum concursus, tum praefati Patres, tum praedicti senatus populusque humiles preces porrexerunt, ut iisdem indulgentiis

ea decoretur, quibus Romae Scala sancta insignitur. In praesenti itaque EE. PP. decernendum proponitur: *An et quae indulgentiae pro ascendentibus Scalam sanctam in ecclesia PP. Theatinorum Salisburgi constructam concedendae sint?* Sac. Congregatio die 25 Septembris respondit: *Indulgentia plenaria pro ascendentibus Scalam sanctam quater in anno, et in reliquis diebus indulgentia centum dierum ad septennium.*

17.

1713 25 Septembris. **Indulgentia pro festis Ordinis.**

Ordinis Fratrum Capucinorum. Supplici libello in anteacta Congregatione exposito Procuratoris Generalis Fratrum Capucinorum in singulis sui Ordinis ecclesiis plenariam indulgentiam postulantis festis diebus SS. Paschalis Baylon, et Joannis a Capistrano, rescriptum fuit: *Dilata, et afferantur alia exempla.* Exhibita proinde fuere, praeter indulgentiam pro festo S. Didaci Confessoris obtentam, et in praeterito folio relatam, alia duo indulgentiarum Brevia; primum s. m. Sixti V. datum die 28 Septembris 1585, quo in omnibus ecclesiis, tum Fratrum Minorum Conventualium, tum Fratrum Capucinorum, et aliorum de Observantia nuncupatorum pro festis diebus SS. Francisci de Assisio, Antonii de Padua, Bernardini, Bonaventurae, ac Ludovici Episcopi et Confessoris indulgentia plenaria in perpetuum conceditur: alterum vero s. m. Clementis IX. datum die 2 Octobris 1669, quo idem Summus Pontifex in ecclesiis omnibus Ordinis S. Francisci etiam Capucinorum, etiam pro festo S. Petri de Alcantara indulgentiam plenariam perpetuo valituram concessit. Quibus inspectis denuo quaeritur: 1° *An in omnibus ecclesiis FF. Capucinorum indulgentia plenaria pro festis diebus SS. Paschalis Baylon et Joannis a Capistrano concedi debeat? Et quatenus Affirmative,* 2° *An petita indulgentia perpetua, vel solum ad septennium concedenda sit?* Sac. Congregatio die 25 Sept. 1713 respondit: Ad 1^{m}: *Affirmative.* Ad 2^{m}: *Concedendam esse indulgentiam plenariam perpetuam.*

18.

1713 25 Septembris. Altare privilegiatum.

Isclana. In ecclesia B. M. Lauretanae terrae Forrigii SSmus D. N. pro duabus feriis in hebdomada altare privilegiatum ad septennium concessit duabus conditionibus, juxta consuetas formulas in Brevi adjectas; altera, quod in ea ecclesia quatuordecim Missae singulis diebus celebrentur, altera vero, quod soli ejusdem ecclesiae sacerdotes praedicto privilegio uti possint, prout fusius habetur in Brevi concessionis. Praefatum Breve Isclanus Episcopus exsecutioni demandandum minime censuit, quia putavit, non verificari conditiones in Brevi appositas. Quamobrem memoratae ecclesiae administratores ad Sacram Congregationem Concilii pro obtinenda illius exsecutione humiliter supplicarunt. Cum autem rationes ab Episcopo adductae ab hac Sac. Congregatione Indulg. expendendae sint, EE. PP. definire dignabuntur: *An Episcopo Isclano relati Brevis publicatio injungenda sit?* Sac. Congregatio die 25 Septembris 1713 respondit: *Affirmative.*

19.

1714 5 Septembris. Coronae S. Birgittae.

SSmus D. N. audito voto Sacrae Congregationis Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae praevia revocatione [1]) omnium indulgentiarum quomodolibet concessarum coronis, quas vocant S. Birgittae, salvis tamen indulgentiis iisdem coronis concessis a s. m. Leone X. 6 Idus Julii 1515, concessit recitantibus quotidie per integrum annum praedictam coronam S. Birgittae, dummodo sit saltem quinque decadum, indulgentiam plenariam cum facultate etiam applicandi defunctis. Facta insuper declaratione, quod Superiores dumtaxat monasteriorum Ordinis S. Birgittae, seu Religiosi ejusdem Ordinis, qui fuerint ab illis specialiter ad id deputati, habeant facultatem supramemoratas coronas benedicendi.

---

[1]) Decretum S. Officii. *Feria IV. die 18 Julii 1701.* Quoad indulgentias concessas, ut praetenditur, coronis S. Birgittae, declarandas esse apocryphas et nullius roboris ac momenti, sine praejudicio tamen indulgentiarum a Leone X dictis coronis concessarum 6 Idus Julii 1515.

20.

1714 4 Decembris. Coronae S. Birgittae.

Ordinis S. Birgittae. Leo X. Pontifex Maximus per Literas suas incipientes *Ex Clementi,* datas 6 Idus Julii 1515, concedit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui per et super rosaria, seu coronas S. Birgittae devote oraverint, pro qualibet Oratione Dominica centum dies et totidem pro Salutatione Angelica, et pro quolibet Symbolo, si dixerint, vel recitaverint, etiam centum dies indulgentiarum, necnon pro quolibet psalterio (seu rosario, aut corona quindecim decadum) B. Mariae Virginis super illis integre per eosdem Christifideles, per se ipsos, aut cum socio, vel familiari, qui eamdem indulgentiam consequatur, dicto vel recitato septem annos, et totidem quadragenas. Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. Pontifex Maximus, in suo Brevi, quod incipit: *De salute gregis Dominici,* dato die 22 Septembris 1714, concedit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus confessis et sacra Communione refectis, ac pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione orantibus, qui quotidie per integrum annum coronam S. Birgittae, dummodo sit saltem quinque decadum, recitaverint, semel in anno, die per unumquemque Christifidelem eligenda plenariam indulgentiam omnium peccatorum, cum facultate etiam eam plenariam indulgentiam applicandi animabus in purgatorio existentibus. Ad lucrandum hujusmodi indulgentias requiritur, ut coronae a PP. Superioribus monasteriorum, aut aliis Religiosis Ordinis Sanctissimi Salvatoris, seu Sanctae Birgittae ad id specialiter deputatis sint benedictae. Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 26 Novembris 1714 censuit, permitti posse impressionem praesentis Summarii indulgentiarum concessarum coronis, quas vocant S. Birgittae, addita declaratione, quod omnes aliae indulgentiae, quae in praesenti Summario expresse non continentur, sunt aut apocryphae, aut nullae, aut a SSmo D. N. Clemente XI. revocatae per supradictum Breve datum die 22 Septembris 1714. Prohibet insuper eadem Sac. Congregatio, ne hujusmodi coronae vendantur,

aut alteri commodentur, et si secus fiat, declarat, supradictas indulgentias cessare, et nullius esse roboris vel momenti.

L. Card. **Picus**, Praef.
Raphael Cosmus de **Hieronymis**, Secr.

21.

1715 8 Julii. **Secundum altare privilegiatum.**

Derthusen. In ecclesia cathedrali Derthusensi praeter altare privilegiatum quotidianum perpetuum, quod in ea reperiebatur concessum, aliud altare privilegio ad septennium dumtaxat decoravit s. m. Innocentius XII. Cum autem elapso septennio hujusmodi privilegii confirmationem petere neglexerint, proindeque quamplurimae Missae ad altare privilegiatum celebrandae supersint, nedum pro secundo, verum etiam pro tertio altari privilegium humiliter poscunt. Ut itaque numerus Missarum, quae ad altare privilegiatum singulis annis celebrari debent, dignosceretur, datae fuerunt literae ad Episcopum Derthusensem, qui ita retulit: „*Missae in altari privilegiato dictae Cathedralis juxta earum fundationes celebrandae, sunt octo millia quatercentae triginta sex; Missae vero, quae in altari perpetuo privilegiato unoquoque celebrantur anno, sunt ter mille septingentae, parum plus, aut minus. Sicque annis singulis celebrandae supersunt quatuor millia septingentae triginta sex Missae; ut autem onus Missarum expleri possit, non solum duo altaria privilegiata requiri judico, verum etiam tria esse necessaria censeo, ut dignitates, canonici, commensales, et beneficiati, ceterique presbyteri dictae Cathedralis commode celebrare, et pro tanto Missarum onere satisfacere possint.*“ Ex quibus EE. PP. statuere dignabuntur: 1° *An secundum altare privilegiatum ad septennium concedi debeat? Et quatenus Affirmative,* 2° *An tertium pariter ad septennium concedendum sit?* Sac. Congregatio die 8 Julii 1715 respondit: Ad 1m: *Affirmative.* Ad 2m: *Negative, et quoad Missas, quae celebrandae supersunt, distribuantur ad alias ecclesias, ubi aliquod altare privilegiatum reperitur, et districte prohibeatur, ne in posterum recipiant onera Missarum ad altare privilegiatum celebrandarum.*

22.

1715 8 Julii. Indulgentiae pro quibusdam festis.

Ord. Capucinorum. Singulis ecclesiis Missionariorum Ord. FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupatorum ubique existentibus festis diebus SS. Francisci de Assisio, Antonii de Padua, Bernardini, Bonaventurae, Ludovici ac S. Clarae, necnon secunda die mensis Augusti plenariam indulgentiam SSmus D. N. ad decennium concessit Literis in forma Brevis expeditis die 18 Decembris anni 1706. Modo Procurator Generalis ejusdem Ordinis Brevis confirmationem ad aliud decennium humiliter postulat, atque insuper in praedictis Missionariorum ecclesiis aliam petit plenariam indulgentiam pro diebus SS. Paschalis Baylon, Joannis a Capistrano, Felicis a Cantalicio ac S. Catharinae de Bononia. Tandem exposuit, in nonnullis Brevibus indulgentiarum, quas Summi Pontifices ecclesiis Ordinis Capucinorum in aliquibus diebus festis, nempe Dedicationis S. Mariae Angelorum, Conceptionis B. M. V. immaculatae, Sacrorum Stigmatum S. Francisci, SS. Joannis a Capistrano, Paschalis Baylon, Didaci, et S. Catharinae de Bononia in perpetuum concessere, ecclesias monialium ejusdem Ordinis expresse comprehensas non reperiri, enixeque rogat, ut hujusmodi indulgentiae etiam ad ecclesias Monialium extendantur. Quaeritur igitur: 1° *An Breve pro ecclesiis Missionariorum ad aliud decennium confirmandum sit? Et quatenus Affirmative,* 2° *An extendi debeat ad dies festos SS. Paschalis Baylon, Joannis a Capistrano, Felicis a Cantalicio et S. Catharinae de Bononia?* 3° *An dictae indulgentiae ecclesiis Fratrum Capucinorum concessae etiam ecclesiis Monialium concedendae sint?* Sac. Congregatio die 8 Julii 1715 respondit: Ad 1m: *Affirmative.* Ad 2m: *Affirmative.* Ad 3m: *Dilata.*

23.

1715 18 Julii. Indulg. pro precibus ante SS. Sacramentum recitandis.

Florentina. Moniales monasterii S. Mariae Angelorum Florentinae civitatis coelesti sponso, cui sese dicarunt, novis semper obsequiis gratas se reddere satagentes, orationem

assiduam ante divinissimum Eucharistiae Sacramentum vicissim peragere statuerunt. Ut autem adeo pium opus uberiore animarum fructu exerceatur, indulgentiam aliquam Monialibus illud peragentibus concedi humiliter postularunt, literisque pro informatione ad Archiepiscopum datis, hic religiosam institutionem summopere commendavit, votisque annuendum censuit. Quaeritur itaque: *An et quae indulgentiae Oratricibus concedi debeant?* Sac. Congregatio die 8 Julii 1715 respondit: *Indulgentia centum dierum pro Monialibus toties quoties per horam ante Eucharistiae Sacramentum vicissim oraverint; pro iis vero, quae per integrum anni spatium id egerint, indulgentiam plenariam semel in anno, ad septennium.*

24.

1716 28 Januarii. **Indulgentia pro operibus pietatis concessa.**

In nonnullis Germaniae provinciis clerici regulares Societatis Jesu sacras Missiones peragentes, ut uberior idemque perennis animarum fructus habeatur, piam quamdam consuetudinem inducere coeperunt, ut variis in locis, pro civitatum aut oppidorum magnitudine, quotidie vespertinis horis Christifideles conveniant ad eliciendum contritionis actum, litanias B. M. V. recitandas, aliasve ad Deum preces fundendas. Ut autem adeo salubre institutum nova semper incrementa suscipiat, humiles preces SSmo D. N. porrectae fuerunt pro obtinenda ab iis omnibus, qui praedictum opus exercent, plenaria indulgentia in articulo mortis, in festo SS. Corporis Christi, in festo Conceptionis B. M. V. Immaculatae, die quo piis coetibus nomen dederint, necnon indulgentia centum dierum pro singulis diebus, quibus litanias B. M. V. recitaverint; quemadmodum s. m. Greg. XV. Brevi, quod incipit *Pietatis et christianae charitatis,* iisdem Clericis Regularibus Societatis Jesu christianam doctrinam edocentibus, aliisve fidelibus illos in hoc adjuvantibus plurimas indulgentias concessit. Quapropter inquiritur: *An praedictae indulgentiae concedi debeant?* Sac. Congregatio die 28 Jan. 1716 respondit: *Indulgentia quotidiana centum dierum ad septennium.*

25.

1716 28 Januarii. Indulgentia pro inservientibus infirmis.

Januen. Exstat in civitate Januensi Confraternitas, de Charitate vulgo dicta, cujus praecipuum institutum est, infirmis in hospitali incurabilium existentibus inservire. Confratribus et consororibus, qui septies in anno statis diebus memoratum pium opus exercuerint, iisdem diebus, aut Dominicis immediate sequentibus SS. Sacramenta sumpserint, s. m. Innoc. XI. indulgentiam plenariam defunctis etiam applicabilem ad septennium concessit. Modo confratres et sorores pro Brevis confirmatione supplices preces porrexere. Inquiritur ergo: *An Breve praedictum confirmandum sit?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1716 respondit: *Affirmative.*

26.

1716 28 Januarii. De ecclesiis Regularium quoad indulgentias.

Ord. FF. Min. Recollect. Cum ecclesiis FF. Minorum Recollectorum et strictioris Observantiae indulgentia plenaria in perpetuum concessa fuerit pro festivitatibus B. Ludovicae Albertoniae, S. Catharinae de Bononia, SS. Paschalis Baylon, Bernardini Senensis, Antonii de Padua, Bonaventurae, BB. Martyrum Gorcomiensium, Dedicationis B. M. Angelorum, S. Clarae, S. Ludovici Episcopi, Translationis S. Rosae Viterbiensis, SS. Francisci, Petri de Alcantara, Didaci, Joannis de Capistrano, et Conceptionis B. M. V. immaculatae; modo Agens generalis ejusdem Ordinis humillime supplicat, ut omnes praedictae indulgentiae ecclesiis etiam Missionariorum sui Ordinis in provinciis Belgii, Angliae, Scotiae, Hiberniae et Daniae ad decennium concedantur, similisque concessionis exemplum exhibet: siquidem indulgentias perpetuas pro nonnullis ex relatis festivitatibus, ecclesiis Fratrum Capucinorum jam antea concessas, ecclesiis etiam Missionariorum ejusdem Ordinis SSmus D. N. ad decennium elargitus est Brevi dato 15 Octobris anni 1706, quod Sacra haec Congregatio ad decennium pariter confirmandum censuit die 8 Julii anni praeteriti. Expendendum itaque erit: *An supradictae indulgentiae ecclesiis FF. Minorum Recollectorum, et strictioris*

Observantiae in perpetuum concessae ad ecclesias etiam praedictorum Missionariorum in memoratis Provinciis extendi debeant? Sac. Congregatio die 28 Januarii 1716 respondit: *Affirmative.*

27.

1716 28 Januarii. De pluribus indulgentiis eidem ecclesiae concessis.

Romana. Ecclesiam collegiatam SS. Celsi et Juliani de Urbe praecipuis indulgentiarum muneribus nonnulli Summi Pontifices decorarunt. Etenim non modo pro festo titulari, sed etiam pro festis diebus Conceptionis B. M. V. immaculatae et S. Mariae Magdalenae, cujus insignis reliquia magno fidelium concursu in eadem ecclesia colitur, plenariam indulgentiam alias pro unica vice, alias ad septennium, aliquando etiam ad decennium concessere. Praedictae ecclesiae canonici nuper SSmo D. N. supplicem libellum porrexere, ut non modo indulgentias praedictas ad septennium confirmare, verum etiam pro festo S. Liborii aliam indulgentiam plenariam concedere dignetur. Precibusque huic Sacrae Congregationi de more remissis, EE. PP. decernendum erit: 1° *An memoratae indulgentiae pro festis diebus Conceptionis B. M. V. immaculatae, SS. Celsi et Juliani, et S. Mariae Magdalenae confirmandae sint?* 2° *An indulgentia plenaria pro festo S. Liborii concedi debeat?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1716 respondit: Ad utrumque: *Affirmative.*

28.

1716 28 Januarii. Indulgentia pro octava festi B. M. V. de Monte Carmelo.

Manilana. In ecclesia FF. Discalceatorum S. Augustini extra muros urbis Manilae, insignis confraternitas sub titulo S. Sebastiani erecta est, cui ex variis illarum regionum locis super triginta fidelium millia nomen dedere. Confratres et consorores die 21 Januarii festum B. M. V. de Monte Carmelo solemni pompa peragere consueverunt. Pro ea die confratribus et consororibus SSmus D. N. plenariam indulgentiam elargitus est Literis in forma Brevis datis die 14 Octobris praeteriti anni 1715. Quoniam vero tum ob

sacerdotum inopiam, tum ob magnum confratrum numerum ad eamdem festivitatem confluentium, indulgentiam praedictam unius diei spatio omnes consequi minime valent, novas preces SSmo D. N. porrexerunt, ut eadem indulgentia ad totam octavam extendatur, quemadmodum s. m. Innoc. XI. post concessas nonnullas indulgentias pro aliquibus anni festivitatibus in regnis Chinae, Tunchini, Cocincinae et Siami, easdem subinde ad quindecim dies unamquamque ex hujusmodi festivitatibus immediate subsequentes simili de causa ampliavit. Summae itaque EE. PP. prudentiae decernendum proponitur: *An precibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1716 respondit: *Affirmative.*

29.

1716 30 Martii. Scapulare SS. Trinitatis.

Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum. Supplici libello huic Sacrae Congregationi porrecto Procurator Generalis Congregationis Discalceatorum Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum humiliter retulit, in nonnullis Germaniae locis usum invaluisse, ut sodales Confraternitatum sui Ordinis loco scapularii, quod plerique gestare solent, exiguum panni albi frustulum, cui parvula crux rubri et caerulei coloris acu intexta est, vesti assutum deferant, unde orta dubitatio est, an praedicti sodales onus adimpleant gestandi scapularium juxta formam, quae in eorum constitutionibus praescribitur per haec verba: *Confratres et sorores nostri habitum, seu scapularium parvulum ex lana alba cruce rubra et caerulea munitum ab aliquo ejusdem Ordinis Superiore benedictum sumere et super se gestare debent. Quando vero scapularium scissum fuerit, ejusque amissa forma renovatur, eique nova crux apponitur, et de novo benedicitur, prout quando novum sumitur;* ac proinde lucrari valeant indulgentias, quae gestantibus scapularium concessae reperiuntur, ut habetur in Constitutione a s. m. Clemente X. edita, quae incipit *Alias nos supplicationibus* et ex alia pariter Constitutione s. m. Innoc. XI., quae incipit *Exponi nobis.* Ex quibus EE. PP. declarare dignabuntur: *An con-*

fratres Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum gestantes supradictam parvulam crucem lucrari valeant indulgentias concessas iis, qui scapularium deferunt. Sac. Congregatio die 30 Martii 1716 respondit: *Non lucrari.*

30.

1716 28 Aprilis. Indulgentia negata capellae.

Eboracen. In Eboracensi provincia mons exstat, quem incolae *Montem Gratiae* appellant. In eo olim ecclesia fuit Deiparae dicata miraculorum frequentia et totius Angliae peregrinationibus celeberrima. Nunc temporum grassantisque haeresis iniquitate praedicta ecclesia diruta jacet, adhuc tamen loci religio viget; siquidem toto anni tempore, praesertim vero festis diebus Beatissimae Virgini sacris fideles quamplurimi templi reliquias invisunt. Non longe aedes reperiuntur Missionariorum Ordinis FF. Minorum Recollectorum Provinciae Angliae, qui in sua capella adventantibus fidelibus Sacramenta administrant, atque exinde ad visitandum praefatum *Montem Gratiae* dimittunt. Ut itaque electus populus, qui inter persecutiones et angustias fideliter perseverat, spirituali gaudio repleatur, ejusque devotio erga Deiparam in dies augeatur, supplices preces porrectae fuerunt, ut plenaria indulgentia concedatur omnibus Christifidelibus, qui in supramemorata capella Fratrum Missionariorum confessi et sacra Communione refecti cunctis diebus festis Beatissimae Virginis dirutae ecclesiae vestigia devote visitaverint. Quaeritur ergo: *An precibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 28 Aprilis 1716 respondit: *Negative.*

31.

1716 6 Julii. Oratio 40 horarum.

Pistorien. Ad augendum SSmi Eucharistiae Sacramenti cultum, et commissi sibi gregis salutem promovendam Episcopus Pistoriensis in sua civitate Orationem quadraginta horarum per integrum anni cursum instituere cupiens, supplicem libellum SSmo D. N. porrexit, ut pro dicta civitate easdem indulgentias dignetur concedere, quae in nonnullis Italiae urbibus pro eadem Oratione quadraginta

horarum concessae reperiuntur. Ecclesiae, in quibus SSmum Eucharistiae Sacramentum publicae populorum adorationi proponi potest, in supradicta Pistoriensi civitate sunt numero octoginta quinque, nempe parochiales 25, Regularium 11, Monialium 17, Confraternitatum 32. Summae itaque EE. PP. prudentiae decernendum proponitur: *An petitae indulgentiae pro expositione 40 horarum concedendae sint.* Sac. Congregatio die 6 Julii 1716 respondit: *Indulgentia plenaria pro expositione Venerabilis in forma 40 horarum, exceptis ecclesiis Monialium.*

32.

1717 12 Januarii. De scapulari caeruleo.

Tropien. Clericis Regularibus Congregationis Theatinorum nuncupatorum s. m. Clemens X. facultatem tribuit parva quaedam scapularia caerulei coloris benedicendi illaque distribuendi Christifidelibus, qui pio devotionis affectu erga mysterium Conceptionis B. M. V. immaculatae eadem gestare vellent. Postmodum vero Literis in forma Brevis emanatis die 12 Maji anni 1710 SSmus D. N., ut fidelium devotio erga supradictum mysterium majora semper incrementa susciperet, supramemoratum scapulare deferentibus aliquas indulgentias impertiri dignatus fuit. [1]) Verum quia nonnullae ex dictis indulgentiis concessae sunt visitantibus ecclesiam, seu oratorium Clericorum Regularium Theatinorum, et in civitate Tropea, ubi praedictorum scapulariorum religio mirifice propagari coepit, nulla exstat ecclesia Clericorum Regularium Theatinorum, sed solum in Cathedrali,

[1]) Clemens PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam. Coelestium munerum thesauros etc. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, quibus scapularia benedicta hujusmodi inposterum, ut praefertur, distribuentur, die, quo illa primum susceperint, si vere poenitentes etc. plenariam, necnon eisdem in cujuslibet eorum mortis articulo, si etiam vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde, devote invocaverint, itidem plenariam. Ac ipsis pariter vere poenitentibus et confessis ac eadem sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Congregationis, vel capellam seu oratorium die festo ejusdem Conceptionis B. M. V. immaculatae a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum etc. preces effuderint, plenariam similiter etc. etc.

quae B. M. V. dicata est, altare reperitur divo Cajetano sacrum; ideo supplices preces porrexerunt, ut SSmus D. N., loco ecclesiae praedictorum Clericorum Theatinorum, quae pro lucrandis indulgentiis invisenda esset, cathedralem ecclesiam designare dignetur. Atque insuper petunt plenariam indulgentiam pro cunctis visitantibus praedictum altare D. Cajetani die festo ejusdem Sancti. Expendendum itaque erit: 1° *An loco ecclesiae Clericorum Regularium Theatinorum ecclesia cathedralis ad effectum lucrandi supradictas indulgentias subrogari debeat?* 2° *An concedenda sit petita indulgentia pro festo S. Cajetani?* Sac. Congregatio die 12 Januarii 1717 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Negative.*

33.

1717 12 Januarii. De non exponenda tabula indulgentias annuntiante.

Romana. Inter cetera spiritualia munera, quibus s. m. Pius IV. Collegium Scriptorum de Urbe decoravit, confratribus aliisque utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, seu confitendi propositum habentibus, qui illorum ecclesiam visitaverint diebus festis Annuntiationis B. M. V. et SS. Joannis Evangelistae et Nicolai, plenariam indulgentiam, *plenumque jubilaeum* in perpetuum concessit; qua de causa spatio centum et triginta annorum, ut asserunt, duas tabulas cum inscriptione *jubilaeum perpetuum* in viis ad eorum ecclesiam perducentibus exponere consueverunt. Verum cum ab anno 1688 praedictarum tabularum expositio interdicta fuerit, ideo humiles preces SSmo D. N. porrexerunt pro obtinenda facultate denuo tabulas cum eadem inscriptione exponendi, iisdemque precibus ad hanc Sacram Congregationem de more remissis Eminentissimi Patres summa, qua solent, sapientia expendere dignati sunt rationes, quae in scriptura seorsim danda ab Oratoribus late cumulantur, iisque perpensis, ad quaestionem: *an supradicta expositio tabularum cum inscriptione* jubilaeum perpetuum *diebus festis Annuntiationis B. M. V. ac SS. Joannis Evangelistae et Nicolai Oratoribus in posterum permitti debeat?* die 28 Septembris 1716 responderunt: *Dilata.* Causa vero

denuo proposita, iidem EE. PP. die 12 Januarii 1717 responderunt: *Negative et amplius.*

34.

1719 8 Augusti. Reliquiae S. Felicis Martyris.

Taurinen. Moniales Carmelitae Montiscaleri humiliter exponunt, se nuper ab Urbe recepisse nonnullas sacras Reliquias S. Felicis Martyris capsula inclusas et sigillo Eminentissimi Vicarii obsignatas. Quia vero eamdem capsulam ad Vicarium Capitularem civitatis Taurinensis pro consueta recognitione obtinenda transmittere deberent, ideo pro majori earumdem sacrarum Reliquiarum securitate summis precibus postulant, ut Eminentissimi Patres facultatem impertiri dignentur praedicto Vicario Capitulari Taurinensi subdelegandi aliquem in ecclesiastica dignitate constitutum in Montecalerio degentem, ut capsulam aperire et Reliquias in argenteis thecis recondere valeat. Expendendum itaque erit: *An petita facultas subdelegandi Vicario Capitulari Taurinensi concedi debeat?* Sac. Congregatio die 8 Augusti 1719 respondit: *Affirmative.*

35.

1719 8 Augusti. Societas perpetuae Adorationis SSmi Sacramenti.

Mediolanen. Post obtentas perpetuas indulgentias Confraternitatibus canonice erectis concedi solitas pia quaedam Societas opera clericorum Regularium Theatinorum in civitate Mediolani instituta sub invocatione perpetuae Adorationis SSmi Sacramenti humiliter postulavit plenariam indulgentiam pro confratribus et consororibus, qui suscepto Eucharistiae Sacramento die singulis designata integram orationis horam peragerent.

Pro eadem indulgentia obtinenda humiles etiam preces porrexit altera Venerabilis Congregatio sub titulo Passionis Jesu Christi Crucifixi et perpetuae Adorationis Venerabilis Sacramenti erecta in ecclesia Collegiata S. Mariae Pedone nuncupata ejusdem civitatis Mediolani, ac insuper petiit indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum pro omnibus fidelibus, qui in praedicta ecclesia S. Mariae Pedone

adstiterint nonnullis piis exercitationibus, quae ibidem haberi solent feria sexta post Epiphaniam, ceterisque feriis sextis diem Cinerum praecedentibus. Post susceptam informationem ab Eminentissimo Archiepiscopo, placuit EE. Patribus demandare, ut utriusque Societatis instantia poneretur in folio. Cum itaque pro dictis piis Congregationibus memoriale typis impressum nuper distributum fuerit, quo nonnullis dubiis antea excitatis plene satisfactum Oratores putant, ideo in praesenti definiendum proponitur: *An, et quae indulgentiae, praeter indulgentias perpetuas, dictis societatibus concedi debeant?* Sac. Congregatio die 8 Augusti 1719 respondit: *Indulgentia plenaria pro adscriptis in Societatibus Mediolani existentibus sub invocatione perpetuae Adorationis SSmi Sacramenti peragentibus integram orationis horam, et sacram Communionem sumentibus, necnon indulgentia centum dierum pro recitantibus preces Passionis in ecclesia S. Mariae Pedone nuncupata, feria sexta post Epiphaniam, ceterisque feriis sextis diem Cinerum praecedentibus ad septennium.*

36.

1719 26 Septembris. **De indulg. pro exercitiis spiritualibus.**

Lugdunen. Nuper supplicatum fuit pro obtinenda indulgentia plenaria ad septennium fidelibus utriusque sexus, qui in parochiali ecclesia S. Crucis, Lugdunensis civitatis, exercitiis spiritualibus per octo vel decem dies vacarent. Ut autem maturius procederetur, injunctum fuit, ut desuper testimonium aliquod authenticum afferrent. Quod cum modo exhibeant, iterumque petitam indulgentiam humiliter postulent, decernendum erit: *An petita indulgentia plenaria ad septennium concedenda sit?* Sac. Congregatio die 26 Septembris 1719 respondit: *Ad mentem; et mens est, quod insinuetur, Sacram Congregationem non solere concedere indulgentiam, nisi exercitia spiritualia peragantur separatim ab hominibus et mulieribus.*[1])

[1]) Hodie ista separatio non amplius requiritur.

37.

1721 9 Junii. Indulgentia pro visitatione oratorii vel ecclesiae.

Colonien. Cum Congregatio quaedam sub invocatione Assumptionis B. M. V. Düsseldorpii anno 1621 erecta proximo mense Julii a die 25 usque ad diem 1 Augusti inclusive annum centesimum a sua erectione solemniter celebrare cupiat, ideo pro uberiore animarum fructu plenariam indulgentiam per integrum octiduum humillime postulant pro omnibus visitantibus Confraternitatis oratorium, seu ob illius angustiam et magnam populorum affluentiam contiguam ecclesiam Clericorum Regularium Societatis Jesu. Expendendum itaque est: *An plenaria indulgentia per octiduum concedi debeat?* Sac. Congregatio die 9 Junii 1721 respondit: *Affirmative cum clausula semel tamen spatio octidui lucrifaciendam ab unoquoque visitante.*

38.

1721 9 Junii. De coronis et numismatibus non commutandis.

Romana. Moniales monasterii sub invocatione Conceptionis B. Virginis immaculatae supplici libello huic Sacrae Congregationi porrecto exponunt, se propriis constitutionibus obstrictas esse, singulis annis nedum vestes et cellulas atque alia hujusmodi invicem commutare, sed etiam coronas et sacra numismata. Cum autem in Summario indulgentiarum pro coronis S. Birgittae decreto ejusdem Sacrae Congregationis impresso legantur haec verba: *Prohibet insuper Sacra Congregatio, ne hujusmodi coronae vendantur, aut alteri commodentur, et si secus fiat, declarat, supradictas indulgentias cessare, et nullius esse roboris vel momenti* . . . ideo dubitarunt, an coronae S. Birgittae, quas invicem quolibet anno commutant, indulgentias amittant; cujus dubii declarationem summis precibus postulant, vel saltem indultum petunt, quod in casu, de quo agitur, indulgentiae ob supradictam commutationem non amittantur. Ideo expendendum proponitur: 1° *An attenta praedicta commutatione coronae indulgentias amittant? Et quatenus Affirmative*, 2° *An petitum indultum concedi debeat?* Sac. Congregatio die 9 Junii 1721 respondit: Ad 1m: *Affrmative.* Ad 2m: *Supplicandum SSmo*

pro indulto in casu, de quo agitur, ut coronae et sacra numismata per commutationem indulgentias non amittant.

39.

1722 23 Februarii. De indulgentiis ecclesiarum Canonicorum regul. S. Augustini.

Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini superioris Germaniae. In ecclesiis Canonicorum regularium S. Augustini superioris Germaniae publicari solent plenariae indulgentiae in festis S. Augustini, S. Monicae, S. Patritii, S. Frigdiani ac S. Ubaldi, necnon die 5 Martii, qua commemoratio omnium Sanctorum ejusdem Ordinis peragitur. Quia vero a nonnullis in vulgus jactatur, praedictas indulgentias esse nullas, eo quod dicti Canonici regulares in Germania superiori subjecti sint Ordinariis locorum, ideo humiliter supplicatum fuit pro declaratione, quod praedictae ecclesiae Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in dioecesibus Frisingensi, Augustana, Passaviensi et Ratisbonensi existentes praefatis indulgentiis gaudeant, quemadmodum iisdem fruuntur ecclesiae Canonicorum Regularium ejusdem Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, cui sunt aggregatae. Quaeritur igitur: *An ecclesiae Canonicorum regularium Ordinis S. Augustini in praefatis dioecesibus existentes revera gaudeant indulgentiis de quibus agitur?* Sac. Congregatio die 23 Februarii 1722 respondit: *Affirmative.*

40.

1722 14 Aprilis. De Confraternitate Bonae Mortis extra ecclesias Societatis Jesu.

Bergomen. In oratorio prope ecclesiam sanctae Crucis loco Gandino Bergomensis dioecesis exstat Confraternitas Bonae Mortis canonice erecta sub invocatione S. Mariae et S. Joseph. Cum vero confratres summopere cupiant aggregari congregationi sub titulo Annuntiationis B. V. existenti in ecclesia Collegii Clericorum Regularium Societatis Jesu de Urbe, et cum Praepositus Generalis ejusdem Societatis facultatem habeat dumtaxat aggregandi Confraternitates Bonae Mortis, quae in ecclesiis Societatis eriguntur, ideo

oratores supplices preces SSmo D. N. porrexerunt, ut eidem Praeposito Generali potestatem facere non dedignetur aggregandi praedictam Confraternitatem Bonae Mortis, quamvis erecta non reperiatur in aliqua ecclesia Societatis Jesu, asserentes s. m. Alexandrum VII. Litteris in forma Brevis emanatis die 16 Augusti anni 1660 facultatem concessisse Praeposito tunc temporis Generali Societatis Jesu, ut Confraternitatem Bonae Mortis in ecclesia SS. Simeonis et Judae Burgi Pignoli, ejusdem Dioecesis Bergomensis, simili modo aggregare valeret. Precibus itaque a Sanctitate Sua huic Sac. Congregationi remissis, perpendendum erit: *An petita facultas aggregandi concedenda sit?* Sac. Congregatio die 14 Aprilis 1722 respondit: *Negative.*

41.

1722 11 Maji. Indulgentia pro Officio et Missa SS. Nominum Jesu et Mariae.

Urbis et Orbis. Quemadmodum ad pias preces augustissimi Caroli VI. Romanorum electi Imperatoris Apostolica Sedes Officium proprium SSmi Nominis Jesu ab omnibus, qui ad Horas canonicas tenentur, sub ritu duplici celebrandum indulsit, quod communi christiani Orbis laetitia exceptum est, ita modo Caesarea Majestas non impari zelo ac pietate permota vehementer exoptat, ut insuper indulgentia plenaria, cum facultate etiam applicandi per modum suffragii animabus purgatorii concedatur iis, qui tam praedictum Officium SSmi Nominis Jesu, quam alterum jam antea obtentum SSmi Nominis Mariae recitaverint, aut Missas utriusque solemnitatis celebraverint, aut si laici sint, in festis SSmi Nominis Jesu et SSmi Nominis Mariae confessi, et S. Communione refecti aliquam ecclesiam visitaverint, ut ad colenda haec duo SSma Nomina cuncti Christifideles eo acrius incendantur. Quaeritur itaque: *An praedictae indulgentiae concedendae sint?* Sac. Congregatio die 14 Aprilis 1722 respondit: *Dilata.* Sed sub die 11 Maji ejusdem anni fuit decretum: „indulgentia plenaria perpetua cum facultate applicandi pro defunctis omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in festivitatibus SSmi Nominis Jesu, et SSmi

Nominis Mariae confessi et Sacra Communione refecti Missae solemni devote interfuerint in aliqua ex ecclesiis existentibus in dominiis Augustissimae Domus Austriae."

42.

1722 11 Maji. Oratio 40 horarum in ecclesiis Monialium.

Chiapen. Quamvis in more positum sit, in ecclesiis Monialium pro expositione Venerabilis nullas umquam indulgentias concedere, tamen Confraternitas sub invocatione B. M. V. de Monte Carmelo erecta in ecclesia Sanctimonialium Annuntiationis ejusdem B. M. V. civitatis Chiapen. in Indiis, humiliter petit indulgentias concedi solitas pro Oratione quadraginta horarum nonnisi noctis tempore interpolatarum ab ipsa in memorata ecclesia semel in anno instituenda, tum ad augendam Christifidelium pietatem, tum quia interdum accidit, ut gentiles sacrarum functionum majestate perculsi ex idololatriae tenebris ad fidei lumen evocentur. Quapropter exquiritur: *An in casu, de quo agitur, indulgentiae consuetae quadraginta horarum in ecclesia praedictarum Monialium concedi debeant?* Sac. Congregatio die 11 Maji 1722 respondit: *Pro gratia ad quindecim annos.*

43.

1722 31 Augusti. De Confraternitate S. Michaelis Monachii.

Frisingen. Nomine Confraternitatis S. Michaelis Archangeli Monachii expositum fuit, confratrum et consororum numerum adeo auctum, ut octuaginta millia eidem adscripta reperiantur, et ut majora incrementa suscipiat, primo in Archiconfraternitatem erigi humillime postulat; secundo plenariam indulgentiam exposcit pro confratribus et consororibus in diebus festis Dedicationis et Apparitionis S. Michaelis Archangeli, S. Raphaelis, S. Joseph, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V. et in solemnitate Omnium Sanctorum; tandem ut facultas a SSmo D. N. tribuatur Patri Praesidenti ejusdem Confraternitatis vel alicui ex capellanis ab eo designandis, benedicendi sacra numismata, quae confratribus et consororibus in actu admissionis distribuuntur. Episcopus Bellicensis, Suffraganeus et Vicarius

Generalis Frisingensis pro informatione requisitus exposita vera esse testatur, et precibus a Confraternitate porrectis suas etiam humillime addit. Decernendum itaque erit: 1° *An confraternitas praedicta titulo Archiconfraternitatis decorari debeat?* 2° *An et quae indulgentiae confratribus et consororibus concedendae sint?* 3° *An petita facultas benedicendi sacra numismata concedi debeat?* Sac. Congregatio die 31 Augusti 1722 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Indulgentiae perpetuae Confraternitatibus dari solitae.* Ad 3m: *Negative.*

44.

1722 14 Decembris. Indulgentiae pro oratione XL horarum.

Funchalen. In Funchalensi insula, in qua quadraginta ecclesiae parochiales ac insuper aliae quatuor centum ecclesiae reperiuntur, ad augendum cultum Venerabilis Eucharistiae Sacramenti et populorum pietatem confovendam Capitulum Funchalense Orationem quadraginta horarum instituere cupiens indulgentias humiliter postulat ad instar illarum, quae pro simili Oratione hic in Urbe concessae reperiuntur. Cum autem uno in loco sufficiens ecclesiarum numerus non reperiatur, ideo ex tota insula ecclesias majores magisque opportunas ad id seligere decrevit. Preces Senatus Funchalensis aliorumque totius insulae Magistratuum accessere; quapropter expendendum proponitur: *An consuetae indulgentiae pro Oratione quadraginta horarum concedi debeant, quamvis sufficiens numerus ecclesiarum in una civitate non reperiatur?* Sac. Congregatio die 14 Decembris 1722 respondit: *Negative.*

45.

1723 7 Junii. Indulgentia in festis Ss. Birgittae et Catharinae.

Ordinis S. Birgittae. Procurator Generalis Ordinis S. Birgittae humiliter exposuit, in singulis ecclesiis sui Ordinis festa celebrari tum S. Birgittae, Ordinis Fundatricis, tum S. Catharinae Virginis, ejusdem S. Birgittae filiae, iisdemque diebus plurimos ad praedictas ecclesias fideles confluere spe lucrandi indulgentias. Cum autem de concessione

harum indulgentiarum nulla documenta reperiantur. ideo orator summis precibus postulat, ut nedum pro supra memoratis festivitatibus, verum etiam pro die canonizationis et pro die translationis S. Birgittae praefatas ecclesias pie invisentibus plenariae indulgentiae in perpetuum concedantur. Quaeritur ergo: *An indulgentia plenaria perpetua concedenda sit visitantibus ecclesias supradicti Ordinis in festo obitus, canonizationis et translationis S. Birgittae et in festo S. Catharinae, ejus filiae?* Sac. Congregatio die 7 Junii 1723 respondit: *Indulgentia plenaria perpetua pro festo S. Birgittae; in reliquis nihil.*

46.

1723 16 Septembris. Indulgentia in festo S. Paulae in ecclesiis Monachor.

Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi Lombardiae. Supplici libello SSmo D. N. porrecto Procurator Generalis Congregationis Monachorum S. Hieronymi Lombardiae nuncupatorum humiliter exposuit, nonnullos Summos Pontifices, Sanctitatis Suae Praedecessores, signanter vero s. m. Martinum V. Constitutione edita anno 1424, Eugenium IV., Constitutione edita anno 1444, Nicolaum V., simili Constitutione edita 1450 declarasse, praedictam Congregationem re vera esse ejusdem monastici instituti, quod S. Hieronymus in Palestinam reversus Bethlehem ad Christi Domini praesepe in monasterio a S. Paula Romana constructo sectatus fuerat. Quemadmodum vero S. Hieronymum patrem ac fundatorem habere gloriantur, ita etiam S. Paulam tamquam matrem ac fundatricem venerantur. Hac de causa festum S. Paulae in cunctis praedictae Congregationis ecclesiis sub ritu duplici colunt, et officium proprium recitant ex indulto Sacrae Congregationis Sacrorum Rituum emanato die 12 Decembris 1620. Ut autem pia fidelium devotio erga saepe memoratam S. Paulam augeatur, humiles preces porrexit pro obtinenda indulgentia plenaria perpetua in ejus festo in omnibus ecclesiis sui Ordinis, quemadmodum similis indulgentia perpetua aliis religiosis Ordinibus concessa reperitur pro festis Sanctorum eorumdem Ordinum. Precibus itaque a Sanctitate Sua huic

Sacrae Congregationi remissis, quaeritur: *An in cunctis ecclesiis Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi Lombardiae nuncupatorum indulgentia plenaria perpetua concedenda sit?* Sac. Congregatio die 16 Sept. 1723 respondit: *Pro gratia.*

47.

1724 13 Julii. Tertiarii indulgentias lucrantur in solis ecclesiis Franciscalibus.

Cadicen. Confratres Tertii Ordinis S. Francisci civitatis Tariffae humiliter exponunt, nullum in ea civitate Conventum reperiri Religiosorum Ordinis S. Francisci, quapropter pia opera, quae a suis constitutionibus praescribuntur, exerceri in quadam ecclesia parochiali sub directione tamen unius Religiosi ejusdem Ordinis, qui in quodam hospitio commoratur. Quia vero Oratores extra ecclesias saepe dicti Ordinis regularis S. Francisci indulgentias confratribus Tertii Ordinis S. Francisci a Summis Pontificibus concessas lucrari minime valent, ideo summis precibus postulant, ut easdem in supra memorata ecclesia parochiali acquirere possint, donec aliquis Conventus FF. Ordinis S. Francisci in civitate Tariffae erigatur. Quapropter expendendum erit: *An Oratoribus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 13 Julii 1724 respondit: *Negative.*

48.

1724 13 Julii. Reliquiae S. Brictii.

Spoletana. In ecclesia cathedrali civitatis Fulginatensis insignes Reliquiae asservantur S. Brictii, qui primus fuit Episcopus civitatis Spoleti. Cum itaque Canonici Collegiatae S. Petri civitatis Spoleti vehementer optarent aliquam particulam ex praedictis sacris Reliquiis in propriam ecclesiam peculiari devotionis affectu transferre, desuper consensum tum Episcopi, tum Capituli Fulginatensis obtinuerunt. Verum cum in quadam Synodo olim Fulginei habita cap. 7 sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae expresse prohibeatur, ne absque licentia Summi Pontificis sacrae Reliquiae vel earum particulae etiam minimae extrahi possint,

quamvis devotionis causa id fieret, ideo humiles preces porrexerunt pro obtinenda facultate partem aliquam praedictarum sacrarum Reliquiarum S. Brictii transferendi ad ecclesiam collegiatam Spoleti. Decernere itaque Eminentissimi Patres dignabuntur: *An petita facultas concedenda sit?* Sac. Congregatio die 13 Julii 1724 respondit: *Ad Secretarium cum Sanctissimo.*

49.

1724 14 Novembris. **De secundo altari privilegiato.**

Florentina. Quamvis in ecclesia Metropolitana civitatis Florentiae altare S. Antonii privilegio quotidiano perpetuo decoratum reperiretur, tamen ad preces cl. m. Cardinalis Morigiae, tunc temporis Archiepiscopi Florentini, s. m. Innocentius XII. litteris in forma Brevis emanatis die 7 Maji 1699 simili perpetuo privilegio decoravit aliud altare S. Crucis in eadem ecclesia situm cum restrictiva ad sacerdotes ejusdem ecclesiae. Quia vero Breve fuit ad viginti quinque annos expeditum, nunc, attento ingenti numero Missarum, quarum plurimae ex injuncto onere celebrari debent ad altare privilegiatum, ideo modernus Archiepiscopus Brevis renovationem humiliter postulat. Quaeritur ergo: *An Breve secundi altaris privilegiati renovandum sit?* Sanctissimus die 14 Novembris 1724 annuit *renovationi Brevis non ad 25 annos, sed in perpetuum, audito voto Congregationis.*

50.

1725 14 Decembris. **Altare privilegiatum in ecclesiis trium Ordinum S. Francisci.**

SSmus D. N. Benedictus XIII. ad humillimas preces Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum confirmavit omnia altaria privilegiata perpetua, quae reperiuntur concessa in nonnullis ecclesiis trium Ordinum eidem Ministro Generali subjectorum. Quia vero in aliquibus aliis ecclesiis eorumdem Ordinum altare privilegiatum pro una vel pluribus feriis cum aliquo determinato numero Missarum ad septennium seu ad aliud longius tempus nondum forsan elapsum, reperitur concessum, Sanctitas Sua, praevia illo-

rum revocatione, eadem altaria privilegiata denuo concessit in perpetuum pro feriis et cum numero Missarum ut infra:

In ecclesiis itaque trium Ordinum praefatorum, in quibus usque adhuc nullum altare privilegio decoratum existit, Sanctitas Sua concessit unicum tantum altare privilegiatum perpetuum juxta modum, videlicet: In ecclesiis Fratrum, in quibus quatuor Missae quotidie celebrantur, concessit altare privilegiatum pro animabus quorumcumque Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, pro una feria cujuslibet hebdomadae; in quibus decem Missae, pro duabus feriis; in quibus quindecim, pro tribus; in quibus vigintiquinque, pro quinque feriis; et in quibus trigintaquinque, concessit altare privilegiatum quotidianum. In ecclesiis vero sitis in partibus infidelium, vel haereticorum, concessit altare similiter privilegiatum perpetuum absque expressione numeri Missarum pro una feria in hebdomada; et in ecclesiis in regno utriusque Poloniae existentibus, pariter concessit altare privilegiatum perpetuum pro una feria cum numero trium Missarum; pro duabus feriis cum numero sex Missarum quotidianarum. In ecclesiis autem Monialium pariter concessit altare privilegiatum perpetuum pro una feria cujuslibet hebdomadae absque expressione numeri Missarum, sed pro Monialibus tantum, earumque consanguineis, affinibus et benefactoribus.

Cum hac tamen declaratione, quod in singulis supra relatis Fratrum ecclesiis, quibus modo altare privilegiatum conceditur, indultum sit restrictum ad sacerdotes dumtaxat Ordinum supra expressorum inibi celebrantes; et quod altaria, et feriae, pro quibus conceditur privilegium, semel tantum ab Ordinariis locorum designari debeant.

Tandem Sanctitas Sua voluit, quod hujusmodi concessionibus fruantur non solum ecclesiae, quas in praesenti jam habent, verum etiam aliae omnes, quas in posterum praefatus Ordo Minorum ipsiusque Generales Ministri acquirent. Datum Romae die 14 Decembris 1725.

L. Card. **Picus**, Praef.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

51.

1726 13 Aprilis. Indulgentiae pro recitatione Rosarii B. M. V.

SSmus D. N. Benedictus Papa XIII. summa devotione motus, qua fervet erga Rosarium B. M. V., ut adeo Ecclesiae utilis Deoque accepta devotio in cuncto christiano populo magis, magisque augeatur et propagetur, audito voto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus Rosarium, vel saltem tertiam partem ejusdem devote recitantibus, pro qualibet oratione Dominica, et pro qualibet Salutatione Angelica indulgentiam centum dierum concessit. Recitantibus vero quotidie per integrum annum idem Rosarium, vel pariter saltem ejus tertiam partem, si confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione oraverint, semel in anno, die ab unoquoque eligenda, insuper concessit indulgentiam plenariam etiam cum facultate applicandi defunctis. Declaravit tamen Sanctitas Sua, ut ad effectum lucrandi praedictas indulgentias requiratur, ut Rosarium fuerit de more benedictum a Fratribus Ordinis Praedicatorum. Datum Romae die 13 Aprilis anno 1726.

L. Card. **Picus**, Praef.

Raphael Cosmus de **Hieronymis**, Secret.

52.

1726 6 Augusti. Indulgentiae tempore Missionum.

Societatis Jesu. In Provincia Gallo-Belgica singulis annis Presbyteri Regulares Societatis Jesu per octo, vel per novem menses continuos Sacras Missiones peragunt maximo animarum fructu. Consuetae indulgentiae pro interessentibus praefatis Missionibus ab Apostolica Sede concessae sunt; verum ad augendum populorum concursum, magisque pietatem excitandam, humiliter petunt, ut altera indulgentia plenaria in ultima Dominica cujuscumque Missionis addatur applicanda defunctis. Quaeritur ergo: *An petita indulgentia pro defunctis concedi debeat.* Sac. Congregatio die 6 Augusti 1726 respondit: *Pro facultate applicandi indulgentias jam obtentas pro defunctis; in reliquis nihil.*

53.

1726 13 Septembris. Altare privilegiatum.

Motus proprius. SSmus D. N. Benedictus PP. XIII. concessit in omnibus et singulis ecclesiis Fratrum Ordinis S. Joannis de Deo, quibus sit proximum hospitale sub cura Fratrum ejusdem Ordinis, altare privilegiatum perpetuum pro animabus fidelium decedentium in hospitali praedicto, et Fratrum defunctorum ejusdem Ordinis, hac tamen conditione adjecta, quod supramemorata altaria sint lapidea et consecrata.

Datum Romae die 13 Septembris 1726.

L. Card. **Picus**, Praef.

Raphael Cosmus de **Hieronymis**, Secret.

54.

1726 13 Septembris. Altare privilegiatum.

Ordinis FF. Eremit. S. Augustini. SSmus D. N. Benedictus PP. XIII. ad humillimas preces Fr. Fulgentii Bellelli, Procuratoris Generalis totius Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, confirmavit omnia altaria privilegiata perpetua, quae reperiuntur concessa in nonnullis ecclesiis praefati Ordinis.

Quia vero in aliquibus aliis ecclesiis ejusdem Ordinis altare privilegiatum pro una vel pluribus feriis cum aliquo determinato numero Missarum ad septennium vel ad aliud longius tempus, nondum forsan elapsum reperitur concessum, Sanctitas Sua praevia illorum revocatione, eadem altaria privilegiata denuo concessit in perpetuum pro feriis et cum numero Missarum ut infra:

In ecclesiis itaque Ordinis praedicti in quibus usque adhuc nullum altare privilegio decoratum existit, Sanctitas Sua concessit unicum tantum altare privilegiatum perpetuum juxta modum, videlicet:

In ecclesiis Fratrum supradicti Ordinis, in quibus quatuor Missae quotidie celebrantur, concessit altare privilegiatum pro animabus quorumcumque Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, pro una feria cujuslibet hebdomadae: in quibus decem Missae,

pro duabus feriis; in quibus quindecim, pro tribus; in quibus vigintiquinque, pro quinque feriis; et in quibus trigintaquinque concessit altare privilegiatum quotidianum.

In ecclesiis vero sitis in partibus infidelium vel haereticorum, concessit altare privilegiatum similiter in perpetuum pro una feria in hebdomada absque expressione numeri Missarum.

Et in aliis ecclesiis in regno utriusque Poloniae existentibus pariter concessit altare privilegiatum perpetuum pro una feria cum numero trium Missarum; pro duabus feriis cum numero sex Missarum quotidianarum.

In ecclesiis autem Monialium pariter concessit altare privilegiatum perpetuum pro una feria cujuslibet hebdomadae, absque expressione numeri Missarum, sed pro Monialibus tantum, earumque consanguineis, affinibus et benefactoribus.

Cum hac tamen declaratione, quod in singulis supra relatis Fratrum ecclesiis, quibus modo altare privilegiatum conceditur, indultum sit restrictum ad sacerdotes dumtaxat Ordinis supra expressi inibi celebrantes, et quod altaria et feriae, pro quibus conceditur privilegium, semel tantum ab Ordinariis locorum designari debeant.

Tandem Sanctitas Sua voluit, quod hujusmodi concessionibus fruantur non solum ecclesiae, quas in praesenti jam habent, verum etiam aliae omnes, quas in posterum praefatus Ordo Eremitarum S. Augustini acquiret.

L. Card. **Picus**, Praef.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

55.

1727 28 Januarii. — Oratio XL horarum.

Caesaraugustana. Duae in urbe Caesaraugustana ecclesiae cathedrales reperiuntur: altera sub titulo SSmi Salvatoris, altera vero sub invocatione Beatae Virginis de Pilar; in illa quater in anno, in ista vero ter quolibet anno Oratio quadraginta horarum habetur. Capitulum itaque Caesaraugustanum supplices preces SSmo D. N. porrexit pro obtinenda plenaria indulgentia pro singulis diebus, quibus in

praefatis ecclesiis cathedralibus Oratio quadraginta horarum celebratur; precibusque ad hanc Sacram Congregationem de more remissis inquiritur: *An sit annuendum?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1727 respondit: *Indulgentia plenaria pro expositione 40 horarum, ut petitur, ad septennium.*

56.

1727 28 Januarii. **De indulgentiis a Capucinis in hospitalium ecclesiis lucrandis.**

Januen. Exposuit Pater Provincialis Ordinis Capucinorum, undecim ex suis Fratribus, qui assidue inserviunt hospitali civitatis Januae, et alios septem, qui ministrant detentis in triremibus, minime lucrari posse indulgentias concessas ecclesiis sui Ordinis vel aliis etiam ecclesiis, et humiliter postulavit, ut visitantes ecclesiam S. Columbani praedicti hospitalis, vel capellam hospitii triremium, frui possint indulgentiis ecclesiis Fratrum Capucinorum concessis; precibusque relatis in Congregatione habita die 2 Septembris anni 1726 responsum fuit: *Dilata et ad mentem.* Mens autem fuit, quod explicent, quomodo verificetur, ut nunquam vel extra triremes vel extra hospitale exire possint. Quapropter idem Orator retulit, in hospitali supra memorato fere semper mille circiter infirmos reperiri, proindeque aliquos quotidie esse morti proximos et in extremo agone positos, quibus adesse assiduo oportet; ex quo fit, ut nullum fere tempus supersit hospitali aut triremibus inservientibus visitandi ecclesiam sui Ordinis aut alias, quibus indulgentiae concessae reperiuntur. Denuo igitur expendendum erit: *An Fratribus Capucinis hospitali vel triremibus Januae deservientibus concedi debeat, ut visitando ecclesiam hospitalis aut capellam hospitii triremium lucrari valeant indulgentias, quas acquirerent, si proprii Ordinis ecclesiam visitarent?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1727 respondit: *Ad mentem, et mens est, quod exquirant e Patre Procuratore Generali Minorum Observantium, an Religiosi Ordinis S. Francisci acquirant indulgentias Ordinis, quamvis non visitent ecclesiam, dummodo sacram Communionem recipiant.*

57.

1727 28 Januarii. De indulgentia pro auditione concionis.

Firmana. Cupientes presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Firmanae civitatis excitare fideles, ut frequentius conveniant in sua ecclesia ad audiendum verbum Dei, supplices preces porrexerunt, ut SSmus D. N. impertiri dignetur indulgentiam centum dierum iis, qui devote intererunt sermonibus, quos juxta proprium institutum in sua ecclesia singulis diebus habere solent, et indulgentiam plenariam cum facultate etiam applicandi defunctis, illis, qui per integrum mensem praedictis sermonibus interfuerint. EE. itaque PP. summa, qua solent, prudentia decernere dignabuntur: *An petitae indulgentiae concedendae sint?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1727 respondit: *Dilata, et afferantur exempla.*

58.

1727 28 Januarii. Denegatur indulgentia pro visitatione imaginum B. M. V.

Olomucen. In ecclesia Beatae Virgini dicata loci Kyriteinensis, Olomucensis dioecesis, a canonicis Regularibus Ordinis Praemonstratensis regi solita, imago quaedam exstat ejusdem B. V. miraculis et populorum frequentia celebris; numerus peregrinorum, qui nedum ex Moravia, verum etiam ex vicinis regnis Bohemiae et Hungariae ad pie colendam praefatam imaginem quotannis confluere solent, ad quadraginta millia ascendit, ut ex litteris testimonialibus Ordinarii plene constat. Ut autem fidelium devotio magis augeatur, humiliter postulant indulgentiam plenariam quotidianam semel tantum in anno ab unoquoque visitante lucrifaciendam. Expendendum itaque erit: *An precibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1727 respondit: *Negative.*

59.

1727 28 Januarii. Indulgentia pro visit. altare alicujus Beati.

Pragen. In Congregatione habita die 6 Augusti elapsi anni 1726 relatis precibus Capituli ecclesiae cathedralis Pragensis humiliter postulantis indulgentiam plenariam quotidianam, semel tamen ab unoquoque lucrifaciendam pro vi-

sitantibus altare B. Joannis Nepomuceni in eadem ecclesia situm, rescriptum fuit: *pro meliori informatione, in qua signanter exprimatur numerus peregrinorum.* Testantur itaque, in ea esse sententia, ut saltem bis centena millia peregrinorum quolibet anno ad invisenda sacra lypsana praedicti Beati confluant, quod ex multis, iisdemque validis conjecturis eliciunt. Iterum ergo expendendum proponitur: *An indulgentia plenaria quotidiana semel tamen ab unoquoque lucrifacienda concedi debeat?* Sac. Congregatio die 28 Januarii 1727 respondit: *Indulgentia plenaria quotidiana semel tamen lucrifacienda pro visitantibus ecclesiam cathedralem, ad septennium; et in Brevi non exprimatur nomen Beati.*

60.

1727 20 Maji. Exercitium Bonae Mortis.

Mexicana. In provincia S. Evangelii nuncupata in Mexico Frater Joannes Ordinis Minorum S. Francisci ejusdem provinciae custos in singulis ecclesiis tum Fratrum, tum Monialium sui Ordinis pium exercitium, quod vocant Bonae Mortis se introduxisse humiliter exposuit et pro uberiori animarum fructu summis precibus postulat aliquas indulgentias pro iis, qui praedicto exercitio Bonae Mortis devote intererunt, cum in ea provincia minime reperiri asserat Presbyteros Regulares Societatis Jesu, qui praefatum pium opus in primis excolere consueverunt. Decernendum itaque Eminentissimis Patribus proponitur: *An et quae indulgentiae concedi debeant pro exercitio Bonae Mortis in ecclesiis tum Fratrum tum Monialium Ordinis S. Francisci de Observantia in provincia dicta S. Evangelii in Mexico?* Sac. Congregatio die 20 Maji 1727 respondit: *Pro gratia, exceptis ecclesiis Monialium, et dummodo non adsint ecclesiae Presbyterorum Regularium Societatis Jesu.*

61.

1727 29 Julii. Altare privilegiatum.

Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. SSmus D. N. ad humillimas preces Fratris Atilani Perez de Arroyo Procuratoris Generalis totius Ordinis SS. Trinitatis

Redemptionis Captivorum, confirmavit omnia altaria privilegiata perpetua, quae reperiuntur concessa in nonnullis ecclesiis praefati Ordinis.

Quia vero in aliquibus ecclesiis ejusdem Ordinis altare privilegiatum pro una vel pluribus feriis cum aliquo determinato numero Missarum ad septennium, vel aliud longius tempus, nondum forsan elapsum, reperitur concessum, Sanctitas Sua, praevia illorum revocatione, eadem altaria privilegiata denuo concessit in perpetuum, pro feriis et cum numero Missarum, ut infra.

In ecclesiis itaque Ordinis praedicti, in quibus usque adhuc nullum altare privilegio decoratum existit, Sanctitas Sua concessit unicum tantum altare privilegiatum juxta modum, videlicet:

In ecclesiis Fratrum supradicti Ordinis, in quibus quatuor Missae quotidianae celebrantur, concessit altare privilegiatum pro animabus quorumcumque Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, pro una feria cujuslibet hebdomadae; in quibus decem Missae, pro duabus feriis; in quibus quindecim, pro tribus; in quibus vigintiquinque pro quinque feriis; et in quibus trigintaquinque concessit altare privilegiatum quotidianum.

In ecclesiis vero sitis in partibus infidelium vel haereticorum concessit altare privilegiatum similiter perpetuum, pro una feria in hebdomada absque expressione numeri Missarum.

In ecclesiis autem Monialium, pariter concessit altare privilegiatum perpetuum pro una feria cujuslibet hebdomadae, absque expressione numeri Missarum, sed pro Monialibus tantum, earumque consanguineis, affinibus et benefactoribus.

Cum hac tamen declaratione, quod in singulis supra relatis Fratrum ecclesiis, quibus modo altare privilegiatum conceditur, indultum sit restrictum ad sacerdotes dumtaxat Ordinis supra expressi inibi celebrantes, et quod altaria et feriae, pro quibus conceditur privilegium, semel tantum ab Ordinariis locorum designari debeant.

Tandem Sanctitas Sua voluit, quod hujusmodi concessionibus fruantur non solum ecclesiae, quas in praesenti jam habent, verum etiam aliae omnes, quas in posterum Ordo SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum acquiret.

Datum Romae die 29 Julii 1727.

L. Card. **Picus**, Praef.
Raphael Cosmus de Hieronymis, Secret.

62.

1727 4 Octobris. Indulg. plen. in festo S. Peregrini Latiosi.

Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis. Cum nuper solemni canonizatione Sanctorum fastis fuerit adscriptus S. Peregrinus Latiosi, Pater Generalis nomine totius Ordinis Servorum B. M. V. humiles preces SSmo D. N. porrexit pro obtinenda indulgentia plenaria perpetua in omnibus ecclesiis, etiam Monialium ejusdem Ordinis, pro die trigesima mensis Aprilis, quo festum S. Peregrini colitur. Expendendum itaque Eminentissimis Patribus proponitur: *An petita indulgentia plenaria perpetua concedenda sit?* Sac. Congregatio die 4 Octobris 1727 respondit: *Indulgentia plenaria perpetua pro ecclesiis FF. Servorum Ordinis B. M. V. in festo Sancti Peregrini Latiosi; in ecclesiis vero Monialium ejusdem Ordinis similis indulgentia, sed pro Monialibus tantum.*

63.

1728 6 Aprilis. P. Praesidenti monasterii B. M. V. Montis Serrati denegatur facultas benedicendi cruces, rosaria etc.

Post obtentas indulgentias pro crucibus, rosariis et sacris numismatibus benedictis ab Abbate insignis monasterii B. M. Virginis Montis Serrati, quae enumerantur in Summario earumdem indulgentiarum Romae impresso typis Rev. Camerae Apostolicae anno praeterito, Procurator Generalis Ordinis S. Benedicti Congregationis Hispanicae Romae degens, humiliter exposuit, non raro contingere posse, quod Abbas supra memorati monasterii, vel ob infirmitatem, vel ob absentiam, non possit cruces, rosaria et sacra numismata benedicere; proindeque Orator enixe supplicat, ut eadem facultas concedatur etiam Patri Praesidenti Superiori pro

tempore ejusdem monasterii. Ac insuper ad augendam magis fidelium pietatem erga praefatum B. M. Virginis sanctuarium humiliter postulat, ut praeter indulgentias jam concessas gestantibus cruces, coronas, sacra numismata supra memorata, insuper concedantur indulgentiae, quae sequuntur: indulgentia centum dierum pro singulis Pater et Ave, quae cum dictis coronis recitabuntur; similiter indulgentia centum dierum, quoties recitabitur Symbolum, aut *Salve Regina*. Ulterius pro quolibet rosario, seu corona saltem quinque decadum indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum. Pro iis vero, qui eamdem coronam singulis diebus per integrum annum recitaverint, si confessi et sacra Communione refecti fuerint, indulgentia plenaria die ab unoquoque eligendo. Tandem illis, qui confessi sacram Communionem sumpserint in singulis festivitatibus Sanctissimi D. N. Jesu Christi, Beatissimae Virginis, sanctorum Apostolorum, Sancti Joseph, et Sanctorum Mauri, Placidi, Scholasticae et Gertrudis, indulgentia plenaria. Decernendum itaque erit: 1° *An petita facultas Patri Praesidenti pro tempore monasterii B. Virginis Montis Serrati dari debeat?* 2° *An et quae indulgentiae praeter jam concessas, concedendae sint?* Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1728 respondit: *Negative.*

64.

1728 6 Aprilis. Confessario Monialium denegatur facultas benedicendi coronas etc.

Mutinen. Moniales monasterii S. Marci Mutinensis civitatis, Ordinis S. Dominici, immediate Ordinario subjectae humiliter postulant, ut confessario pro tempore ejusdem monasterii facultas concedatur benedicendi coronas, rosaria, parvos habitus, cingula atque alia similia, quae a Regularibus diversorum Ordinum benedici consueverunt, ac insuper, quod idem confessarius benedictiones et quaecumque alia concernentia confraternitates, quibus Moniales adscriptae reperiuntur, cum iisdem indulgentiis, eisdem impertiri possit, ita ut eadem privilegia et easdem indulgentias acquirant, ac si a Regularibus, ad quos praefata agere spectat, agerentur. Summae itaque EE. PP. prudentiae decernendum

proponitur: *An precibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1728 respondit: *Negative.*

65.

1728 19 Junii. **Indulgentiae plenariae in omnibus ecclesiis tam Canonicorum Regularium quam Monialium Ordinis Praemonstratensis ubicumque existentibus.**

SSmus D. N. Benedictus PP. XIII. ad instantiam Norberti Mattens, totius Ordinis Praemonstratensis Procuratoris Generalis, concessit indulgentias plenarias in Sanctorum Godefridi Conf., Gilberti Abbatis, Evermodi Episcopi, Frederici Abbatis, Ludolphi Episcopi et Martyris, Hermanni Joseph Conf., Isfridi Episcopi, Siardi Abbatis, Gerlaci Eremitae, ac Sanctae Gertrudis Virg., ut etiam in BB. Adriani et Jacobi Martyrum Gorcomiensium respective praefati Ordinis Praemonstratensis festivitatibus, seu diebus ad instar aliorum Ordinum ubicumque existentibus.

J. Archiepiscopus Tyri, Secret.

66.

1729 22 Januarii. **Petitur indulgentia pro festo S. Magni.**

Ordinis Praemonstratensis. S. m. Clemens X. indulsit omnibus ecclesiis tam Canonicorum Regularium quam etiam Monialium Ordinis Praemonstratensis inter alias indulgentiam plenariam lucrandam die festo specialis Patroni seu Titularis illius ecclesiae, cujus nomen in Martyrologio Romano adnotatum reperiretur. Licet vero nomen S. Magni Abbatis ex Ordine Praemonstratensi non legatur in Martyrologio Romano descriptum, asseritur tamen, descriptionem nominis ejusdem Sancti demandatam fuisse a Joanne IX., idque liquere in lectione Officii monastici, quod recitatur ab Ordine universo Praemonstratensi sub die 7 Septembris. Quia vero conditio apposita in concessione s. m. Clementis X. adimpleta non videtur, supplicant modo Abbas et Canonici Regulares monasterii Sorethi, vulgo Schussenried, Constantiensis dioecesis, provinciae Moguntinae, in cujus ecclesia pro Patrono primario colitur praedictus S. Magnus, pro declaratione, quod eisdem suffragetur supradictum Breve Clementis X., vel, quatenus opus sit, pro nova concessione praefatae in-

dulgentiae. Quare EE. VV. erit decernere: *An et in quibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 22 Januarii 1729 respondit: *Curent describi prius in Martyrologio Romano nomen S. Magni, Abbatis.*

67.

1729 16 Februarii. Altare privilegiatum.

Ordinis Carthusiani. Ad humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis Carthusiani die 16 Februarii 1729 Benedictus XIII. benigne concessit privilegium quotidianum perpetuum pro omnibus altaribus S. Brunonis in omnibus ecclesiis Monachorum et Monialium Ordinis Carthusianorum, in quibus non reperitur concessum, cum revocatione aliorum ad tempus concessorum. Datum Romae die 16 Febr. 1729.

L. Card. Picus, Praef.

68.

1729 20 Julii. Altare privilegiatum.

Ad humillimas preces P. Joannis Thony, Provinciarum Germano-Belgicarum Agentis Generalis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIII. annuit, quod ecclesiae Fratrum Minorum Recollectorum Provinciae Germaniae superioris, sive Argentinae gaudeant privilegio perpetuo pro duabus feriis in hebdomada absque expressione numeri Missarum, in illis tamen ecclesiis, in quibus Fratres illius Provinciae, Missionibus et aliis pietatis et misericordiae operibus occupati, determinato numero Missarum injuncto in indulto generali sub die 14 Dec. 1725 satisfacere non possunt. Datum Romae die 20 Julii 1729.

J. Archiepiscopus Tyri, Secret.

69.

1729 14 Septembris. Altare privil. quotid. perpetuum ecclesiis FF. Minorum excalceat. prov. S. Didaci de Mexico.

Ordinis Minor. discalceatorum. Beatissime Pater! Fr. Joseph de Messa, Custos, et Fr. Emmanuel de Vicuna, Prominister, ambo Procuratores Provinciae Minorum Discalceatorum S. Didaci de Mexico in nova Hispania, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provoluti, supplicant, quatenus

dignetur ex gratia speciali concedere in ecclesiis Conventuum ejusdem Provinciae altare privilegiatum perpetuum et quotidianum pro animabus quorumcumque Christifidelium; etiamsi integer numerus Missarum alias in Decreto generali edito die 14 Decembris 1725 pro ecclesiis Fratrum Minorum, praescriptus non adsit. Quam Deus etc.

Ex Audientia Sanctissimi die 14 Septembris 1729. Sanctissimus annuit, quod ecclesiae Fratrum Minorum Discalceatorum Ord. S. Francisci Provinciae tantum S. Didaci de Mexico in nova Hispania gaudeant privilegio unius altaris quotidiani perpetui absque expressione numeri Missarum, non obstante conditione apposita in indulto generali concesso universo Ordini.

J. Archiepiscopus Tyri, Secret.

70.

1729 19 Septembris. Varia dubia.

Dubia Missionum. Inter quamplura peculiaria indulta, quae per organum Sacrae Congregationis Propagandae Fidei solet concedere Sedes Apostolica Missionariis laborantibus in conversione infidelium, recensetur privilegium personale celebrantibus in quocumque altari, etiam portatili, singulis feriis secundis non impeditis officio novem lectionum, vel iis impeditis, die immediate sequenti, cum clausula: *Missam defunctorum.* Haec pariter restrictiva invenitur apposita etiam in privilegio quotidiano generaliter concesso a SSmo D. N. omnibus Cathedralibus. Hinc apud Episcopum Meliapuriensem orta est difficultas circa usum utriusque indulti ob conditiones praefatas: *Missae defunctorum,* cum scilicet celebrari nequeunt diebus festis duplicibus et in plerisque octavis. Super alio similiter indulto largiendi ter in anno indulgentiam plenariam a contritis, confessis et Sacra Communione refectis lucrandam, animadvertit, expedire quandoque, ut juxta regionum et temporis circumstantias varietur determinatio diei, ad effectum, quod singuli indulgentiam consequi valeant. Et demum, quod, cum saepe contingat, Missionarios non habere copiam confessarii, et supposita debita contritione adactos esse ad celebrandum, videtur non

adimpleta conditio praescripta Confessionis ad effectum acquirendi indulgentiam. Ex quibus omnibus propositis idem Episcopus excitavit infrascripta dubia ab hac Sacra Congregatione resolvenda: 1° *An privilegium tam personale concessum Missionariis, quam generale Cathedralibus, cum clausula celebrationis Missae defunctorum, suffragetur etiam in diebus, quibus hujusmodi Missae celebrari nequeunt?* 2° *An determinatio generalis dierum pro lucrandis indulgentiis variari possit arbitrio Missionarii juxta regionum et temporis circumstantias?* 3° *An deficiente confessario sufficiat pro assequenda indulgentia actus contritionis in casu?* Sac. Congregatio die 19 Septembris 1729 respondit: Ad 1m: *Pro Cathedralibus Affirmative; pro Missionariis ad Secretarium cum SSmo pro moderatione clausulae Brevium, et ad Eminentissimum Praefectum juxta mentem.* Ad 2m: *Ad Secretarium cum SSmo, ut dignetur facultatem concedere Ordinario cum insertione rationabilis causae.* Ad 3m: *Ad Eminentissimum Praefectum cum Secretario juxta mentem.* [1])

[1]) Haec mens patet ex sequenti voto Consultoris: „Pro resolutione tertii dubii supposita Doctorum distinctione obligationis confitendi praeambulae Communioni, altera scilicet obligatione descendente ex jure divino, qua fideles tenentur se constituere in statu gratiae, qui acquiritur mediante sacramentali confessione, ubi tamen deficiat copia confessarii, vel concurrat aliqua circumstantia impediens actum Sacramenti Poenitentiae, indubium est, satis posse suppleri per actum contritionis et votum deinceps confitendi, quia ad effectum communicandi non requiritur nisi status gratiae. Altera obligatio descendens ex jure positivo, oritur a conditione apposita, vel apponi solita per Summos Pontifices in concessione indulgentiae, ut scilicet ad ejus consecutionem teneantur fideles confiteri et communicari. Hoc casu non videtur excusari impotentia confitendi ob inopiam confessarii, quia, licet per actum contritionis et votum confitendi constituatur quis in statu gratiae ad effectum digne communicandi, nihilominus non sufficit velle confiteri, sed praecipitur actualis confessio pro lucranda indulgentia, ut ex mente divi Thomae et pluribus allegatis Doctoribus firmat Passerinus (de indulgentiis quaest. 27 num 224 in fine). Conditio enim confitendi imponitur velut opus injunctum, non quidem uti necessarium ad acquirendum statum gratiae, sed praescriptum a Summis Pontificibus ad alliciendum fideles ad suscipiendum Sacramentum Confessionis propter sanctitatem et bonitatem talis susceptionis, ut ex Brevi S. Pii V. favore Confraternitatis Rosarii .... Pari etiam conditione injungitur Communio, quia, si sufficeret status gratiae ad acquirendam indulgentiam, aeque possit haberi per actum contritionis etiam in casu, quo non possent facilius fideles communicare, quod apertius liquet ex consueta forma similium concessionum, qua visitantibus aliquam ecclesiam praescribitur praeambula Confessio vel votum in casu impotentiae actus confitendi. Cum enim Summus Pontifex voluit admittere actum confitendi expresse indulsit votum confitendi. Ex quibus dubium videtur resolvendum negative. Verum quia contraria opinio sustinetur a quampluribus Doctoribus allegatis ab eodem Passerino dicta quaestione 28 num 233, et forte quia agitur de Missionariis inter infideles difficile habentibus

71.

1730 23 Septembris. Altare privilegiatum.

Surrentina. Apostolica Constitutione *Pretiosus* concessit SSmus D. N. privilegium altaribus omnium ecclesiarum tam Fratrum quam Monialium Ordinis Praedicatorum cum restrictiva tamen ad sacerdotes ejusdem Instituti. Quia vero in ecclesia monasterii S. Mariae Gratiarum Monialium profitentium regulam S. Dominici civitatis praedictae, Missae celebrantur a tribus sacerdotibus saecularibus, Moniales ne destituantur hoc privilegio concesso (intuitu) Ordinis, supplicant pro extensione ad praefatos capellanos ordinarios. Quaeritur igitur: *An privilegium praefatum extendendum sit ad capellanos Monialium?* Sac. Congregatio die 23 Septembris 1730 respondit: *Negative quoad extensionem.*

72.

1731 29 Januarii. Petitur indulg. pro jejunio in hon. S. Josephi.

Regni Siciliae. Ad implorandum in extremo mortis agone divi Josephi patrocinium inter cetera pietatis opera, quae a fidelibus ejus in honorem instituta sunt, pium quoddam opus est, quod jejunium quotidianum appellant. Totus siquidem anni curriculus ita inter fideles id agere cupientes dispertitur, certum diem unicuique assignando, ut quotidie vel unus sit, qui jejunium vel in solo pane et aqua, vel saltem Quadragesimale servet et sacra synaxi se reficiat. Ad alliciendos autem fidelium animos ad illud peragendum et ad continuandum confirmandos, indulgentia plenaria semel in anno necnon in mortis articulo ex Sedis Apostolicae benignitate concessa fuit, primum quidem ex voto hujus Sacrae Congregationis sub die 8 Augusti 1719 in dioecesi tantum Aversana (ubi tale institutum exordium habuit), ad preces clarae memoriae Cardinalis Caraccioli, tunc cum in humanis ageret, illius Episcopi, deinde vero ex indulto s. m. Benedicti XIII. die 30 Januarii 1726 ad totum regnum Neapo-

---

copiam confessarii, ubi copia messis multa, operarii autem sunt pauci, et saepius contingeret, eos destitui fructu indulgentiae, quam a S. Sede uberiori mercede promerentur, consulendum quoque crederem SSmo, saltem relaxari posse iisdem Missionariis obligationem confitendi in casibus inopiae confessarii.

litanum extensa. Ut tam salutaris consuetudo in regno quoque Siciliae propagetur, ac devotio erga S. Josephum, bonae mortis patronum, apud illius regionis populos majora incrementa suscipiat, precibus SSmo D. N. porrectis ac ad hanc Sacram Congregationem remissis, petitur, ut ibi quoque eadem indulgentiarum munera in regno Neapolitano jam concessa, dilatentur. Proinde EE. PP. erit decernere: *An precibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 29 Januarii 1731 respondit: *Ad mentem, et mens est, quod fiat petitio ab Archiepiscopis et Episcopis.*

73.

1731 19 Maji. Altare privilegiatum.

Firmana. Ecclesia S. Francisci Ordinis Minorum Conventualium loci Montis Ulmi obtinuit a s. m. Gregorio XIII. privilegium altaris Conceptionis B. M. V. Societatis SSmi Corporis Christi, sub expressione, quod in eodem Conventu quindecim Fratres Deo famulantes continuis laudibus reperirentur. Cum autem lapsu temporis, et alternantibus rerum vicibus, imminutus sit numerus Fratrum, adeo quod septem tantum reperiantur sacerdotes, quatuor vero laici, hinc Oratores de subsistentia privilegii formidantes, suppliciter a Sacra Congregatione postulant declarari: 1° *An privilegium praefatum perseveret? Et quatenus Negative,* 2° *An de novo sit concedendum?* Sac. Congregatio die 19 Maji 1731 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Concedendum juxta numerum Missarum.*

74.

1731 19 Maji. Sodalitas Praesentationis B. M. V.

Regni Galliarum. Moniales B. M. V. in Gallia titulo nostrae Dominae nuncupatae, licet claustralem regulam prosequantur, admittunt tamen convictrices puellas sub Sodalitate Praesentationis B. M. V. vel instruendas, vel confirmandas in fide catholica. Hoc siquidem pio nitentes opere a Calviniana haeresi, quae irrepserat, mulierum faciliori deceptioni obnoxiarum discrimini occurrere, quemadmodum viris in fide alendis facilius accidit per alia media providere.

Hujusmodi institutum profitentes Moniales ejusdem Ordinis Tolosae obtinuerunt a s. m. Clemente XI. indulgentias Confraternitatibus concedi solitas. Cum autem idem Institutum Monialium late in Galliarum provinciis propagatum sit, supplicatur hodie nomine monasteriorum omnium similium pro concessione earumdem indulgentiarum Sodalitatibus puellarum erectis sub eodem titulo Praesentationis in eisdem monasteriis. Resolvendum igitur superest ab EE. VV.: *An similes indulgentiae concessae Sodalitati puellarum monasterii B. M. V. Tolosae, concedendae sint in ceteris omnibus monasteriis ejusdem Instituti Galliarum?* Sac. Congregatio die 19 Maji 1731 respondit: *Supplicent particulariter singulae Sodalitates canonice erectae.*

75.

1731 19 Maji. Indulgentiae plenariae in festo S. Macrinae pro ecclesia Regularium.

Ordinis S. Basilii. Monasticae disciplinae institutor, aut certe eximius propagator, praesertim in orientalibus provinciis S. Basilius non spiritus tantummodo prole, sed cognata etiam sanguinis sanctitate claruit. Duos enim habuit germanos fratres, Gregorium Nyssenum, Petrum Episcopum Sebastenum alterum, Sororem item S. Macrinam, nedum sanctimonia, sed etiam doctrina conspicuam, ut ex disputatione de anima et resurrectione in operibus praefati S. Gregorii relata demonstratur. Ejus proinde Beatae festum incidens die decima nona Julii sub ritu duplici secundae classis celebrans universus Ordo ejusdem Religionis, supplicat decorari indulgentia plenaria ab omnibus Christifidelibus lucranda visitantibus ecclesias tam virorum, quam Monialium Basilianae Religionis. Exemplum affertur similis indulti pluribus Religionibus concessi pro sanctis mulieribus eorum respective Ordinum, praesertim Congregationi Cassinensi, cujus privilegiorum etiam futurorum et indulgentiarum communicatione gaudere Basiliensem Ordinem asserunt ex Constitutionibus Gregorii XIII. et Clementis VIII. Quaeritur ergo: *An indulgentia perpetua pro omnibus tam visitantibus monasteria virorum, quam Monialium sit concedenda?* Sac. Congregatio die

19 Maji 1731 respondit: *Dilata, et exhibeant documenta probantia S. Macrinam fuisse Monialem Ordinis S. Basilii.*

76.

1731 4 Octobris. Indulgentia in festo S. Macrinae.

Ordinis S. Basilii. Proposito in postrema Congregatione dubio, *an indulgentia perpetua pro omnibus, tam visitantibus monasteria virorum, quam Monialium Ordinis S. Basilii sit concedenda pro die festo S. Macrinae,* ex deductis in folio ejusdem Congregationis, benigne reassumendo, placuit EE. resolutionem differre et rescribere, *quod exhiberentur documenta, S. Macrinam fuisse Monialem Ordinis S. Basilii.* Haesitatum nempe fuit super fundamento petitionis, an scilicet de tempore, quo S. Macrina Monialis fuisse dicitur, instituta adhuc fuissent Virginum coenobia, et an regula S. Basilii tunc Monialibus tradita fuisset. Quibus cum ad praesens P. Procurator Generalis ejusdem Ordinis gravium auctorum testimonio satisfacere nitatur, iterum supplicat decerni: *An petita indulgentia perpetua sit concedenda?* Sac. Congregatio die 4 Octobris 1731 respondit: *Pro gratia in omnibus ecclesiis, sed in ecclesiis Monialium pro ipsis tantum in perpetuum.*

77.

1731 4 Octobris. Plenaria indulgentia semel in anno pro jejunio in honorem B. M. V. Immaculatae.

Perusina. Pium Sodalitium in ecclesia S. Joannis Baptistae terrae Marsciani sexcentis hactenus fidelibus utriusque sexus constans, et uberius in dies succrescens, majora erga Deiparam sine labe conceptam adstruens obsequii argumenta, jejunium, a quo castae prodeunt cogitationes, placitum B. M. V. a singulis Sacramento Poenitentiae et sacra Synaxi refectis, decreto per anni circulum cuique die, peragendum instituit. Ut autem pium hoc opus uberiori Beatissimae Virginis cultu augeatur, supplicant Sodales de plenaria, constituto id peragentibus die, semel in anno consequenda. Exemplum hujusmodi concessionis pro jejunio quotidiano in honorem S. Josephi bonae mortis Patroni prod-

iit ab hac sacra Congregatione die 31 Julii 1719 pro dioecesi Aversana, subinde a s. m. Benedicto XIII. sub die 30 Januarii 1726 extensae ad universum regnum Neapolitanum. Precibus igitur a Sanctissimo Domino Nostro ad hanc Sacram Congregationem remissis, EE. VV. sapientissimo judicio superest expendendum: *An pro jejunio quotidiano in honorem B. Mariae Virginis Immaculatae concedenda sit indulgentia plenaria semel in anno lucranda?* Sac. Congregatio die 4 Octobris 1731 respondit: *Affirmative, et pro gratia.*

78.

1731 4 Octobris. Scala sancta.

Cracovien. Clerici Regulares Scholarum Piarum, nedum ad instituendos in literis ac pietate adolescentes, verum etiam ad augendum religionis cultum, praesertim in Polonia laudabiliter incumbentes, erexerunt nuper in eorum ecclesia subterranea scalam sanctam, approbante Episcopo, eidemque operi, quas potuit indulgentias, ut asseritur, conferente. Supplicant modo, ut fidelibus eamdem flexo genu ascendentibus, ibidemque de more orantibus, plenaria quater in anno, singulis autem vicibus centum dierum indulgentia concedatur. Dum vero Ordinarii responsum super expositis opperiebatur, Fratres S. Francisci de Observantia Conventus Coluviensis nuncupat. in eadem dioecesi, adversantes huic petitioni, supplicarunt pro demolitione praefatae Scalae sanctae, recenter et ad aemulationem erectae. Siquidem in eorum ecclesia fere duobus abhinc saeculis alia Scala sancta reperitur erecta, et quadraginta duabus capellis Dominicae passionis mysteria repraesentantibus, circumsepta, ad quam contermini fideles pie confluunt, ut similem indulgentiam usque de tempore s. m. Pauli V. ad decennium concessam, et subinde a SSmo D. N. confirmatam, lucrentur. Adstruunt proinde, non esse multiplicandam eamdem indulgentiam, attenta praesertim modica distantia quatuor leucarum Polonicarum, quae tamen viginti milliaria Italica conficere creduntur. Hinc super utraque instantia EE. VV. erit sapientissimum judicium proferre: 1° *An scala sancta recenter erecta a PP. Scholarum Piarum sit demolienda? Et quatenus Nega-*

tive, 2° *An eamdem ascendentibus petita indulgentia sit concedenda?* Sac. Congregatio die 4 Octobris 1731 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Plenaria quater in anno, et indulgentia centum dierum singulis vicibus ad decennium.*

79.

1731 4 Octobris. Translatio indulg. pro festo S. Ludovici Bertrandi denegatur.

Neapolitana. Non procul ab ecclesia S. Spiritus Ordinis Praedicatorum Neapoli reperitur Collegium PP. Societatis Jesu, in quo celebratur die 10 Octobris festum S. Francisci Borgiae. Eodem die incidens festum S. Ludovici Bertrandi ab universo Ordine Praedicatorum celebratur sub ritu duplici. Quia vero ad proximum Societatis Collegium ob cultum S. Francisci major confluit populi concursus, duxerunt PP. Conventus praefati in alium diem, videlicet vigesimum tertium ejusdem mensis transferre festum S. Ludovici, pro quo supplicant transferri etiam plenariam concessam pro decima die Ordini, vel Conventui ejusdem Ordinis. Resolvendum igitur proponitur EE. VV: *An transferenda sit ad diem 23 Octobris indulgentia ratione translationis festi S. Ludovici?* Sac. Congregatio die 4 Octobris 1731 respondit: *Negative.*

80.

1731 10 Decembris. Indulgentia plenaria in festo S. Angeli Custodis in ecclesia Monialium.

Vratislavien. Moniales S. Clarae civitatis Vratislaviensis, ubi potior pars indigenarum lue haeretica reperitur infecta, duas habent ecclesias, quarum major ob paucitatem templorum catholicorum solo saecularium usui addicta est, minor autem altera consuetis Monialium functionibus servatur. Quia vero in majori ecclesia ingens fidelium concursus affluit ad colendum festum S. Angeli Custodis, supplicatur de plenaria, eamdem praedicto die visitantibus. Sed cum ex recenti stylo Sacrae hujus Congregationis prudentissime quidem in ecclesiis Monialium indulgentia non concedatur nisi pro ipsis tantum; hinc Oratrices peculiari innixae rationi supplicant de plenaria in praedicto die festo ab

omnibus lucranda. Expendendum igitur EE. VV. proponitur: *An indulgentia plenaria pro supradicto festo sit concedenda pro omnibus?* Sac. Congregatio die 10 Decembris 1731 respondit: *Pro gratia, pro omnibus, attentis circumstantiis cum solitis restrictivis.*

81.

1732 16 Februarii. De translatione indulg. Sodalitatis S. Mariae Gratiarum.

Tudertina. In parvo quodam oratorio sub titulo S. Mariae Gratiarum civitatis Tuderti jam ab anno 1467 erecta aderat utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub invocatione ejusdem S. Mariae Gratiarum, necnon S. Joannis Baptistae, et S. Rochi, ut illius produnt antiqua monumenta. Hanc piam Sodalitatem Clemens PP. VIII. anno 1603 variis indulgentiarum muneribus condecorare voluit; inter ceteras autem elargitus fuit plenariam pro confratribus, septem annorum ac quadragenarum pro reliquis Christifidelibus *dictam ecclesiam, seu oratorium, vel capellam dictae Confraternitatis* visitantibus die festo Nativitatis S. Joannis Baptistae; in secunda vero die Resurrectionis Dominicae, Pentecostes, S. Rochi, Matthaei ac Nativitatis B. M. Virginis confratribus tantum septem annos et quadragenas concessit: quibus itidem indulsit indulgentiam sexaginta dierum, quoties Missis aliisque divinis Officiis ibidem celebrandis, ac recitandis interfuissent; quas pro confratribus in perpetuum, pro reliquis fidelibus ad quinquennium statuit esse valituras. Cum tamen anno 1624 novam ecclesiam in alio civitatis loco exstruxerint sub eodem titulo S. Mariae Gratiarum et SS. Joannis Baptistae et Rochi, atque illuc de licentia Ordinarii dictam Sodalitatem transtulerint, antiquo oratorio penitus deleto, veriti sodales, ne ex translatione Confraternitatis a vetusta ad novam excitatam ecclesiam, indulgentiae cessaverint, an potius tamquam intuitu Confraternitatis concessae adhuc perdurent, supplicant de opportuna declaratione, et quatenus opus, pro illarum confirmatione in perpetuum de iis, quae confratribus, ad septennium de aliis, quae ceteris Christifidelibus fuerunt concessae a Clemente VIII. Quapropter EE. PP. ea, qua pollent

sapientia, decernere dignentur: 1° *An enuntiatae indulgentiae adhuc perseverent in nova ecclesia Confraternitatis? Et quatenus Negative,* 2° *An, et quae sint de novo concedendae?* Sac. Congregatio die 16 Februarii 1732 respondit: *Pro gratia translationis indulgentiarum perpetuarum pro confratribus tantum.*

82.

1732 16 Februarii. **Indulg. in novena ante festum Pentecostes.**

Comen. Ut Redemptoris nostri adventum ac Nativitatis ejus solemnia congruis honoribus praevenire purificatisque mentibus ei occurrere fideles possint, in quamplurimis ecclesiis ex more inductum est per novem continuos antecedentes dies varia christianae pietatis opera exercere ac quamplures Missas et divina officia celebrare. Cumque id magno animarum fructu peragi expertum fuerit, Sedes Apostolica ad augendam Christifidelium devotionem dictas ecclesias visitantibus plenariam in primo et ultimo novenae die, in reliquis vero septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam benigne elargire solet. Ad hujus instituti imitationem simile novendium pro S. Spiritus adventu ante Dominicam Pentecostes peragi coeptum est in insigni collegiata ac parochiali ecclesia S. Laurentii oppidi de Lugano Comensis Dioecesis cum SSmae Eucharistiae Sacramenti expositione, solemni Missa, aliisque piis exercitiis magno populi affluxu nec dispari fructu; ideoque ut ad hoc pium opus fideles magis alliciantur, humillime petitur, easdem indulgentias pro novena Nativitatis dari solitas etiam pro illa Spiritus sancti in praefata ecclesia concedi. Verum cum nullum aliud exemplum similis gratiae datum fuit reperire, idque esset novam inducere praxim, ut ea maturitate, qua haec Sac. Congregatio uti solet, procedatur, dignentur Eminentissimi Patres respondere: *An indulgentiae pro novena Nativitatis Jesu Christi concedi solitae sint quoque concedendae pro novena Spiritus sancti in praefata ecclesia?* Sac. Congregatio die 16 Februarii 1732 respondit: *Non esse innovandam praxim, et ad mentem, quae est pro concessione plenariae in Dominica Pentecostes.*

83.

1732 27 Maji. Indulg. pro expositione SSmi Sacramenti.

Posnanien. Moniales S. Benedicti Neovarsavien. civitatis ex nobilioribus Poloniae magnatum familiis, adorationi augustissimi Eucharistiae Sacramenti ex instituto incumbentes ut illius cultum etiam in aliorum animos infundant, non modo singulis quibusque feriis quintis hoc venerabile Sacramentum publicae fidelium venerationi exponunt, verum etiam ad exemplum Monialium ejusdem Ordinis, quae in Gallia sunt, et Carmelitarum Leopolis in ultimo Quinquagesimae triduo Orationem quadraginta horarum solemni ritu peragere cupiunt, cum ad hoc pium opus instituendum vidua Principis Constantini Sobieschi, Joannis III. quondam Poloniae regis filii, quae inter ipsas se recepit, amplum eis intendat patrimonium relinquere. Ut autem fideles ad augustissimi hujus Sacramenti venerationem magis allici possint, Posnaniensis Episcopus cum Romam ad Apostolorum Liminum visitationem accesserit, nomine earumdem Monialium preces porrigit pro concessione plenariae ab omnibus lucrandae in triduo Quinquagesimae, ac alicujus partialis singulis quibusque feriis quintis. Petit quoque largiri plenariam (non obstante alia pro titulari) visitantibus illarum ecclesiam in festo Corporis Christi, quo die Confraternitas sub titulo Adorationis Sacramenti, ibidem erecta, solemnem quotannis habet supplicationem, magno populi comitantis concursu. Quoniam vero Sac. haec Congregatio pro expositione Venerabilis nullas impertiri solita est indulgentias in Monialium ecclesiis et pro festo Corporis Christi adsunt nonnullae indulgentiae in omnibus ecclesiis generaliter ab Urbano IV. et Clemente V. concessae *in Clement. un. de Reliq. et Vener. Sanct.*, dignentur Eminentissimi PP. ea, qua pollent prudentia decernere: 1° *An, et quae indulgentia sit danda pro expositione Venerabilis singulis feriis quintis in praefata ecclesia?* 2° *An concedenda sit plenaria pro oratione quadraginta horarum in triduo Quinquagesimae?* 3° *An pariter concedenda plenaria in festo Corporis Christi non obstante Titulari?* Sac. Congregatio die 27 Maji 1732 respondit: Ad 1m: *Indulgentia centum dierum semel in hebdomada pro ipsis tantum.* Ad 2m: *Plenaria*

pro expositione Venerabilis in forma 40 horarum in triduo Quinquagesimae pariter pro ipsis tantum. Ad 3m: *Negative.*

84.

1732 1 Septembris. Indulgentia pro expositione absque quadraginta horarum continua Oratione.

Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum. Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum quo nullum augustius, aut venerabilius in christiana religione adest mysterium, ut majori ac decentiori quo possent cultu fideles venerentur, maxima vigilantia Apostolica Sedes atque Episcopi adlaborarunt; ac ne per crebram ejus ostentationem, quae semper ardens et summa deberet esse reverentia, tepesceret, provisum, ut extra solemnitatem Corporis Christi ejusque octavam nonnisi ex publica et communi, eaque gravi et urgenti causa, publica illius expositio permitteretur. Innumera sunt de hac re S. C. Regularium Negotiis et Episcoporum Consultationibus praepositae sancita decreta tum pro saecularibus, tum pro regularibus ecclesiis, imo in his, ut tamquam Delegati Apostolici agere possent Episcopi, concessa facultas; uti videre est apud *Nicosium in Flosculis v. Eucharistia, et apud Pignatellum tom. 5 Consult. 54 num. 6 et alibi.* Non minori sane cura in provincialibus et dioecesanis Conciliis ad id Episcopi incubuere. Ita sancitum anno 1452 in Coloniensi Concilio, praesidente Nicolao de Cusa, Cardinali, ita et in Mechliniensibus, annis 1570 et 1607 aliisque quampluribus. Prae ceteris tamen omnium vigilantissimus fuit D. Carolus Borromaeus, Mediolanensis Archiepiscopus, ut in Actis Mediolanensis Ecclesiae licet observare. *Eapropter cum in hac Sac. Congregatione Indulgentiarum die 13 Septembris 1672 propositum fuerit, expositionem SSmi Sacramenti sine publica et gravi causa factam improbari; minusque probandum videri, SSmam Eucharistiam passim exponi sine consueta quadraginta horarum Oratione die noctuque numquam intermissa, quemadmodum a Pio IV., Clemente VIII. et Paulo V. institutum atque probatum fuerat, eadem Sac. Congregatio censuit, nemini in posterum pro SSmi expositione concedendam esse indulgentiam, qui non celebraverit cum eo, quo dictus est modo, nimirum cum*

Oratione quadraginta horarum nunquam intermissa. Quinimo nonnisi semel in anno et de licentia Ordinariorum peragenda hujusmodi expositio etiam cum quadraginta horarum assidua Oratione permittitur; idque expressa conditione in indulgentiarum Brevibus apposita. Verum temporis progressu, enuntiato decreto non obstante, usus aliquando invaluit, ut etiam pro minus solemni Eucharistiae expositione indulgentiae aliquot partiales dierum aut annorum concederentur. Cumque die 23 Martii 1711 in hac Sac. Congregatione discussum fuerit, an deinceps nova haec praxis confirmanda foret, congruum minime judicatum, generali aliquo decreto quidquam statuere, sed in casibus particularibus fore recurrendum, Eminentissimi Patres summa cum prudentia rescripsere; ut, consideratis temporum locorumque circumstantiis ac causae gravitate, an et quae indulgentia esset danda, decerni posset. Quamobrem porrectis nunc precibus pro parte Procuratoris Generalis Theatinorum expostulantis indulgentiam plenariam perpetuam in omnibus sui Ordinis ecclesiis singulis mensibus, et septem annorum totidemque quadragenarum singulis hebdomadis pro expositione venerabilis Eucharistiae Sacramenti, licet minus solemni (scilicet absque quadraginta horarum non intermissa oratione), quam quasi ex instituto solent peragere, Eminentissimi Patres, quid in re tam gravi resolvendum sit, decernere dignentur. Inquiritur idcirco: *An concedenda sit in perpetuum indulgentia plenaria pro expositione absque quadraginta horarum continua oratione semel in mense, et septem annorum in singulis hebdomadis generaliter in omnibus Theatinorum ecclesiis?* Sac. Congregatio die 1 Sept. 1732 respondit: *Plenaria semel in mense et septem annorum totidemque quadragenarum semel in hebdomada occasione expositionis Venerabilis in omnibus ecclesiis clericor. Regular. Theatinor. sed tantum pro defunctis applicabilis, ad septennium.*

85.

1732 1 Septembris. Indulgentia pro auditione concionis.

Taurinen. Presbyteri Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, qui ex instituto Dei verbum populis exponere solent, pluries in hac Sac. Congregatione indulgentias ex-

postularunt ab iis lucrandas, qui eorum concionibus interfuerint, ut spiritualibus hisce muneribus fideles allecti frequentius ad illud audiendum convenire possint. Congregationis tamen responsum fuit, ut exempla adducerent, an alias pro interessentibus hujusmodi concionibus aliqua concessa fuerit indulgentia, ut in Firmana sub die 28 Januarii et in Fossanen. 4 Octobris 1727. Similes modo preces a Presbyteris ejusdem Congregationis Oratorii Saviliani Taurinen. Dioecesis porriguntur, utque voti compotes fieri possint, nonnulla adducunt exempla, quibus a Summis Pontificibus similes indulgentias datas fuisse probatur. Alberti Magni primo auctoritatem allegant, qui *4 Sentent. dist. 20 art. 17* expresse inter publicae utilitatis causas *auditum verbi Dei* annumerat. Gregorium IX. et Alexandrum IV. pluries indulgentias elargitos fuisse interessentibus praedicationibus Fratr. Ord. Praedicatorum constat ex dictorum Pontificum Constitutionibus in *Bullario ejusdem Ordinis noviter impresso tom. 2.* Sixtus quoque Papa V. Constit. *Reddituri 11 Julii 1587* centum dies concessit interessentibus concioni, quae singulis feriis quintis in ecclesiis Carmelitarum peragi solet, ut in Bullar. Carmelit. tom. 2 pag. 243, et in *Summ. indulgentiar. ejusd. Ord. ab hac S. Congregatione probato sub die 27 Junii 1673, atque a Clemente X. confirmato, pag. 596 eod. tom. 2.* Nonnullas quoque indulgentias s. m. Innocentium XIII. concessisse asserunt presbyteris ejusdem Oratorii loci Mulassani Alben. dioecesis. Quapropter etiam in eorum ecclesia Oratorii Saviliani Dei verbum audientibus Eminentissimos Patres benigne esse concessuros confidunt pro qualibet vice indulgentiam centum dierum, quam humillime expostulant. Definiendum itaque proponitur: *An interessentibus praedicationi verbi divini in ecclesia Presbyterorum Oratorii S. Philippi Nerii in oppido Saviliani concedenda sit indulgentia centum dierum pro qualibet vice?* Sac. Congregatio die 1 Sept. 1732 respondit: *Negative.*

86.

1732 1 Septembris. Indulgentia plenaria in ecclesia S. Ubaldi.

Eugubina. Cum divi Ubaldi praesentissimam opem non modo Eugubini cives, qui saepe a gravi discrimine ejus

patrocinio fuerunt praeservati, sed et cuncti, qui ad ejus implorandum praesidium confugerunt, praecipue ut ab immundis spiritibus liberarentur, sint experti, maxima populi undique confluentis multitudine ipsius ecclesia, ubi ejus corpus post sex saecula incorruptum adhuc asservatur, assidue est frequentata. Sixtus Papa IV. anno 1478 illam visitantibus die 16 Maji plenariam indulgentiam concessit in perpetuum duraturam, cum clausula tamen porrigendi manus adjutrices, juxta illorum temporum consuetudinem. Verum cum a D. Pio V. Constit. *Etsi Dominici gregis* indulgentiae omnes cum clausula porrigendi manus adjutrices revocatae fuerint, ita ut haec Sixti IV. concessio pro ecclesia Eugubina remanserit quoque revocata, civitas ipsa humillime SSmo Dno supplicavit pro renovatione praefatae indulgentiae (sublata tamen clausula porrigendi manus adjutrices) in forma Jubilaei non modo pro festo S. Ubaldi, sed et pro quocumque anni die ex continuo fidelium concursu ad illius opem implorandam affluente. Quaeritur igitur: *An visitantibus ecclesiam S. Ubaldi Eugubinae civitatis concedenda sit indulgentia plenaria quotidiana ac in perpetuum in forma Jubilaei?* Sac. Congregatio die 1 Septembris 1732 respondit: *Plenaria die festo S. Ubaldi cum septem diebus immediate sequentibus semel lucranda ad septennium. In reliquis nihil.*

87.

1732 15 Novembris. Rosarium haereditate acceptum amisit indulgentias.

Alphonsus de Vargas Marchio de Castellon SSmo supplici libello exposuit, rosarium jure haereditario obtinuisse, super quo s. m. Clemens VIII. Comiti de Lemos, tunc Neapolitano Pro-Regi Romam jubilaei occasione appulso, omnes et singulas fuit impertitus indulgentias, quas Pontifices Praedecessores usque tunc concesserant, ea etiam adjecta facultate, ut scilicet per hujusmodi rosarii contactum, possent a singulis eaedem indulgentiae lucrari. Temporis processu in Bartholomaei Marques potestatem rosarium praefatum devenit, qui a s. m. Paulo V. expetiit, ut indulgentias tunc S. Caroli nuncupatas praefato rosario adjiceret, qui testante cl. m. Cardinali Gymnasio etiam S. Caroli indulgentiam

eidem rosario concessit. Cum vero per generale Alexandri VII. decretum indulgentias quomodolibet super coronis concessas ad personas, quibus collatae fuerunt, vel ad alias tantum, in quas primo transierunt, limitandas statuatur; hinc dubium fortasse oratori occurrit, per laudatum decretum utramque concessionem, sed praesertim assertam Clementis VIII. fuisse revocatam. Propterea EE. VV. declarandum proponitur: *An utraque Clementis VIII. et Pauli V. indulgentia sit praedicto rosario confirmanda?* Sac. Congregatio die 15 Nov. 1732 respondit: *Negative.*

88.

1732 15 Novembris. Via Crucis.

Viennen. In Delphinatu ad excitandam in animis fidelium Dominicae Passionis contemplationem ejusque mysteria utilius recolenda pium exercitium invaluit, statuere Viam Crucis imitantem iter patientis Redemptoris ad Calvarium quatuordecim interjectis stationibus. Quod quidem pium institutum eo fidelium profectu progredi compertum est, ut s. m. Summi Pontifices, praesertim vero Innocentius XII. peculiaribus indulgentiarum gratiis prosecuti sint. Nec minori pietatis studio SSmus D. N., ut magis haec fidelium pietas promoveretur, uberioribus privilegiis ampliavit. Simile huic pium opus apud oppidum Romoni triginta sex tamen stationibus erectum reperitur, in quibus praecipua Passionis mysteria repraesentantur, eorumque distantia eadem omnino asseritur, quae Hierosolymis statuta est. Porro ad has stationes visitandas, quarum peregrinatio circa trium horarum spatio absolvitur, nedum populus ejusdem loci frequentiori concursu, sed finitimi etiam affluunt peregrini. Ut autem fidelium devotio augeatur, in Congregatione habita die 17 Maji hujus anni pro alicujus indulgentiae consecutione fuit supplicatum. Exquisita igitur informatione, prout fuit rescriptum, Ordinarius facti expositionem confirmans proficuum evasurum testatur, plenariam indulgentiam pro incolis hoc exercitium diebus festivis, dominicis, necnon sextis Quadragesimae feriis, pro exteris vero quocumque anni die peragentibus elargiri. Attento itaque discrimine pii hujusce

operis a Via Crucis, quae reperitur approbata, et cujus institutio Fratribus Minorum est attributa, expendendum superest: *An indulgentia plenaria praefatum opus peragentibus, ut petitur, sit concedenda?* Die 17 Maji 1732 Sacra haec Congregatio responderat: *Proponatur in folio, et interim scribatur Episcopo pro informatione;* quo facto Sac. Congregatio die 15 Novembris 1732 respondit: *Negative.*

89.

1733 20 Januarii. **Indulgentia in festo S. Gregorii Nysseni.**

Ordinis S. Basilii. Ad augendum cultum Sanctorum, qui religiosam vitam virtutum meritis prosecuti sunt, S. Sedes Apostolica plenariam indulgentiam quotannis confluentibus ad ecclesias cujusque Ordinis in die celebrationis eorum festi passim elargiri consuevit. Quod quidem cum recentioribus Religionum institutis concessum ut plurimum reperiatur, Patres Ordinis S. Basilii, qui pro eodem fundatore, necnon pro S. Macrina, ejus Sorore, et Ordinis sanctimonialis similes indulgentias obtinuerunt, extendi etiam ad festum S. Gregorii Nysseni expostulant iisdem nixi rationibus; nam quod attinet ad egregia sanctitatis et doctrinae merita hujus Sancti, satis videntur extolli luculento elogio S. Gregorii Nazianzeni, qui epist. 43 praefatum S. Nyssenum *virum sapientissimum et egregium:* necnon Ecclesia Graecorum teste Bolland. die 9 Martii *calamum sancti Spiritus voce plenum, linguam pietatis disertissimam, divini splendoris lucentissimam lampadem, veritatis praeconem, theologiae apicem, et fontem sublimium doctrinarum nuncupavit.* Meritis insuper ejusdem Sancti additur, quod germanus frater Basilii fuerit, ita quod progenies Sanctorum, nedum orientali Ecclesiae, sed nostrae etiam illuxerit. Quod denique eamdem Religionem S. Basilii professus fuerit tum Graecorum ritu probari potest, quo ad Episcopatum monasticam vitam professi assumebantur, tum clarissimo Basilii testimonio eruitur, qui scribens ad Eustatium inquit: *Percontare te ipse quoties me invisisti in monasterio ad Tridem fluvium, cum mecum una adesset religiosissimus frater Gregorius, idem ac ego vitae institutum sequens.* Ex his omnibus peculiari cultu Basiliana Religio

prosequens S. Gregorium Nyssenum, ejus festum sub ritu duplici septimo idus Martii celebrat. Quaeritur igitur: *An indulgentia plenaria perpetua visitantibus ecclesias Ordinis Basiliani die festo S. Gregorii Nysseni sit concedenda?* Sac. Congregatio die 20 Januarii 1733 respondit: *Plenaria perpetua die festo S. Gregorii Nysseni pro omnibus visitantibus ecclesias Monachorum; in ecclesiis autem Monialium pro ipsis tantum.*

90.

1733 19 Maji. **Indulgentia plenaria in utroque festo S. Michaelis.**

Nullius Provin. Taurinen. In Picheriani montis vertice sub ingressu Alpium ecclesia S. Michaeli dicata, cui celebre Monachorum coenobium alias erat addictum, ad praesens ab aliquibus canonicis aliisque sacerdotibus insignis collegiatae colitur, qui ad Sacramenta administranda ibidem residere tenentur. Confluunt siquidem religionis erga Divum Archangelum studio quamplurimi ad eam visitandam per alpestrem callem Christifideles, signanter vero ipso die festo S. Michaelis necnon Omnium Sanctorum ac vigesima nona Maji, ut testatur Vicarius Generalis Abbatiae ejusdem ecclesiae. Supplicatur proinde de duplici plenaria in forma Jubilaei in diebus ab Ordinario decernendis, ut satius confluentibus commodo fiat. Et quidem quoad duplicem plenariam obstare videtur stylus S. Sedis, quae collegiatis ecclesiis etiam insignibus prout etiam parochialibus unam tantum plenariam alteram vero septem annorum totidemque quadragenarum concedere consuevit. Quod vero ad petitionem in forma jubilaei stylus etiam est, non intelligi indultum jubilaeum, nisi expresse illius facultates concedantur. Attenta autem insigni qualitate ecclesiae nec minoris momenti motivo operis injuncti per arduum iter ad visitandam eamdem ecclesiam, EE. VV. dignabuntur decernere: *An duplex plenaria in forma jubilaei visitantibus praefatam ecclesiam diebus ab Ordinario constituendis sit concedenda?* Sac. Congregatio die 19 Maji 1733 respondit: *Pro gratia plenaria pro utroque festo S. Michaelis; in reliquis nihil.*

91.

1733 19 Maji. Indulgentia pro deosculatione crucis.

Ulyssiponen. Constans Ulyssiponae fama viget, B. Antonium Patavinum adhuc adolescentem, et cathedrali ecclesiae inservientem insidiis a daemone impetitum digito S. Crucis signum in lapide ad valvas ejusdem ecclesiae impressisse. Hoc autem adhuc superexstans crucis signum peculiari cultu universus populus impense veneratur, ita quod Canonici ejusque ecclesiae ministri ad chorum euntes et redeuntes pie et sedulo deosculari consueverunt. Supplicavit proinde ejusdem ecclesiae Capitulum SSmo D. N., ut plenariam perpetuam in die festo S. Antonii, plenariam etiam ad septennium pro festo translationis ejusdem Sancti, die decima quinta Februarii occurrente, quadraginta vero dierum singulis diebus anni fidelibus sacrum hoc signum deosculantibus concedere dignaretur. Sane in similibus casibus petitae indulgentiae osculantibus sacras imagines Sacra haec Congregatio negative consuevit respondere, ut in Cubana, supplicantibus Fratribus Eremitis S. Augustini de plenaria pro Christi Reparatoris iconem miraculis claram devote osculantibus. Remissis itaque precibus a SSmo D. N. Sac. Congregationi resolvendum proponitur: *An concedenda sit plenaria pro deosculantibus praefatam crucem?* Sac. Congregatio die 19 Maji 1733 respondit: *Negative.*

92.

1733 19 Maji. Sodalitatis SSmae Conceptionis.

Ulyssiponen. In ecclesia S. Spiritus PP. Congregationis Oratorii Sodalitas nobilium mulierum sub titulo Sanctissimae Conceptionis erecta, ut ulterioribus indulgentiarum gratiis frui posset, aggregari obtinuit Archiconfraternitati B. Virginis de Monte Carmelo Urbis. Haec autem aggregatio duplici ex motivo insubsistens visa est. Tum quia Confraternitas aggregata nondum reperiebatur erecta Ordinarii auctoritate, quamvis subinde ab eodem fuerit approbata; tum etiam quia facultas aggregandi a s. m. Gregorio XV. Archiconfraternitati B. Virginis Montis Carmeli attributa ad sodalitia ejusdem denominationis et instituti, itemque ad

jam canonice erectas limitata fuit; ibi: *Vobis ut quascumque alias Confraternitates ejusdem denominationis et instituti canonice erectas aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias et gratias spirituales eidem vestrae Confraternitati concessas communicare libere et licite valeatis.* Hinc serenissima Lusitaniae Regina eximiae pietatis cultrix praefatae Confraternitatis consors, primiceria et protectrix Sanctissimo preces porrexit, ut, non obstantibus his aliisque defectibus, primaevam aggregationem validare dignaretur. Quae quidem petitio pluribus allegatis exemplis, praesertim vero fulcitur simili concessione s. m. Clementis IX. indulta Confraternitati S. Mariae de Fide, Neapolitanae Civitatis ad Sodalitium Sanctissimi Sacramenti de Urbe, quamvis attento titulorum et denominationis discrimine. Precibus itaque a Sanctitate Sua Sacrae Congregationi remissis, dignabuntur EE. VV. decernere: *An convalidatio aggregationis Sodalitii sub titulo Beatissimae Conceptionis Ulyssiponen. Confraternitati Beatae Virginis de Monte Carmelo Urbis sit confirmanda etc.?* Sac. Congregatio die 19 Maji 1733 respondit: *Affirmative, pro concessione, ac si esset valide aggregata.*

93.

1733 27 Julii. **Indulgentia in 5 festis B. M. V.**

Ordinis Capucinorum. Eximia religione erga B. Virginem confluentibus populis ad universas ecclesias Fratrum Capucinorum in Bohemia existentes, supplicavit eorum Minister Provincialis SSmo D. N. pro plenariae concessione in quinque potioribus B. Virginis festis, videlicet Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis. Obstare quidem videtur stylus Sacrae hujus Congregationis, quae vel toti Ordini, vel certis ecclesiis indulgentias concedere consuevit. Obstat quoque stylus similium concessionum pro festis B. Virginis, tum quia non conceduntur nisi ecclesiis sub ejusdem titulo, tum quia concedi non solent nisi plenaria in uno festo, et septem annorum totidemque quadragenarum in reliquis. Pro consecutione autem gratiae allegatur a dicto P. Ministro, quod ecclesiae omnes sint aut intra haereticos, aut conterminae: quo quidem motivo in-

specto pronior esse solet Sedes Apostolica uberioribus indulgentiarum concessionibus. Quaeritur igitur: *An visitantibus ecclesias Ordinis Capucinorum in Bohemia existentes indulgentia plenaria sit concedenda in quinque Beatae Virginis festis?* Sac. Congregatio die 27 Julii 1733 respondit: *Negative.*

94.

1733 16 Novembris. **Confraternitas animarum purgatorii.**

Lamacen. In ecclesia collegiata S. Petri castri Dairi nuncupat. Confraternitas sub titulo animarum purgatorii reperitur erecta, cujus sodales suffragia pro defunctis quibusque fidelibus, praesertim vero ejusdem Confraternitatis Deo offerunt. Pio huic instituto favens fel. rec. Clemens IX. praeter alias indulgentias ceteris concedi solitas in Constitutione edita 21 Junii 1668 quamplures alias, plenariam videlicet singulis confratribus altare Confraternitatis tertia Dominica Quadragesimae a primis Vesperis usque ad solis occasum feriae secundae visitantibus, et rursus septem annos totidemque quadragenas eisdem in festis SS. Benedicti, Bernardi, Nicolai et Francisci fuit impertitus, ut patet ex Summario indulgentiarum typis edito. Quia tamen adauctis usque ad numerum viginti et unius mille sodalibus non omnes praefatis diebus possunt ad ecclesiam confluere et indulgentiam lucrari, hinc, ne consequendae indulgentiae careant emolumento, Sac. huic Congregationi preces porrexerunt, ut indulgentias ecclesiae S. Petri concessas ad alias quascumque dignetur extendere, ad quas facile possint confratres accedere. Dignabuntur itaque Eminentissimi Patres, perpensa etiam simili resolutione hujus Sacrae Congregationis in Pragen. 15 Novembris 1732, decernere: *An indulgentiae a s. m. Clemente IX. ecclesiae S. Petri Lamacen. dioecesis concessae sint ad alias ubique locorum extendendae?* Sac. Congregatio die 16 Nov. 1733 respondit: *Negative.*

95.

1733 16 Novembris. **Confratres SSmi Sacramenti quoad indulgentias Stationum.**

Uritana. Sodales Confraternitatis sub titulo SS. Sacramenti in oppido Francavillae canonice institutae singulis

feriis quintis Quadragesimae ad aliquam ecclesiam, in qua SS. Eucharistiae Sacramentum asservatur, populo supplicationem comitante, accedere consueverunt. Ad promovendum autem hujusmodi institutum Sanctissimo supplicarunt, ut indulgentias Stationes Urbis visitantibus concessas dignetur impertiri. Sane similibus Confraternitatibus SSmi Sacramenti uberes indulgentias Summi Pontifices concesserunt, ex vi aggregationis Archiconfraternitati ejusdem tituli in Ecclesia S. Mariae supra Minervam erectae speciali Decreto hujus Sacrae Congregationis, relato per Lavorium part. 2 de Indulgentiis cap. 14 num. 97. Nimirum praeter illas ceteris Confraternitatibus dari solitas, plenariam occasione supplicationis die octava Corporis Christi, et si in ipsius festo Sacra reficiantur Synaxi septem annos, totidemque quadragenas, necnon partialem centum dierum, si divinis officiis interfuerint, et quinque annorum si Sanctissimum Viaticum fuerint comitati, ut fusius in Constitutione s. m. Pauli V., quam refert idem Lavorius part. 2 cap. 14 num. 98. Tamen similes indulgentias Stationum extra Urbem facile non extenderunt, S. Gregorii hujus nominis primi sequentes vestigia, quem solius Urbis determinatas ecclesias his indulgentiis decorasse testantur Divus Antoninus, Chronic. part. 2 cap. 3 tit. 12, divus Thomas in 4 dist. 20 q. 1 art. 3. Panvinius de Stationibus, aliique post Joannem Diaconum lib. 2 cap. 18, ibi: „Stationes per Basilicas, vel Sanctorum Martyrum Coemeteria secundum quod hactenus plebs Romana quasi eo vivente certatim discurrit, sollicitus ordinavit," ut refert Passerinus de Indulg. q. 97 num. 753. Accedit his, indulgentias partiales visitantibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in aliqua ecclesia reperiri concessas. Quibus omnibus attentis sapientissimo EE. PP. oraculo superest resolvendum: *An praefatis confratribus visitantibus ecclesias, in quibus Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, indulgentiae Stationum sint concedendae?* Sac. Congregatio die 16 Novembris 1733 respondit: *Gaudeant impetratis.*

96.

1733 16 Novembris. Indulgentiae in quibusdam festivitatibus.

Ordinis S. Antonii, Congregationis Montis Libani. Ut speciali cultu Sanctorum cum Christo gaudentium recoleretur memoria, S. Sedes Apostolica in festis eorumdem visitantibus ecclesias Ordinum ejus auctoritate approbatorum plenariam impertiri consuevit. Hinc Abbas Generalis Monachorum Maronitarum Ordinis S. Antonii, Congregationis Montis Libani, supplicavit, ut visitantibus ecclesias totius Ordinis, Monialium quoque et confratrum plenaria perpetua concedatur in festis S. Antonii Abbatis, S. Macarii, S. Maronis, S. Pachomii, S. Hilarionis, quos asserit fundatores, necnon in festis ejusdem Ordinis Protectorum, scilicet: Assumptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, demum (pro solis tamen Monachis et Monialibus) in festis omnium Sanctorum Monachorum et Monialium Ægypti, Palestinae, Syriae, Mesopotamiae, et Ciliciae, qui Ordini monastico Orientis dederunt nomen, quique in Romano Martyrologio inscripti reperiuntur. Pro hujus autem gratiae consecutione allegatur, constitutiones ejusdem Ordinis die 31 Martii proxime praeteriti anni fuisse approbatas a SSmo D. N., rursus in Romano Martyrologio nomina praefatorum Sanctorum esse inserta. · Nam festum S. Antonii Abbatis die 17 Januarii, S. Pachomii die 14 Maji, S. Hilarionis die 21 Octobris reponitur. Rursus S. Macarii, cujus festum apud Orientales die 19 Januarii, die 15 ejusdem mensis in Romano Martyrologio collocatur. S. Maronis autem festum (cujus vitam refert Theodoretus in Historia religiosa cap. 16) in Martyrologio Maronitarum 9 Februarii, sed in illo Graecorum 14 Februarii reperitur. De monasterio S. Maronis, ut omnium in Syria existentium principe meminit Concilium Constantinopolitanum act. 1 et 5, ubi in epistolis Monachorum Maronitarum ad S. Hormisdam Papam et Mennam Patriarcham datis sic subscribunt Paulus Monachus et Legatus monasterii Beati Maronis Principalis venerabilium monasteriorum secundae Syriae, et subinde Alexander presbyter et archimandrita monasterii Beati Ma-

ronis. Quo in monasterio quamplures Monachi sanctitate floruerunt, ut de tercentum quinquaginta pro Concilii Chalcedonensis defensione martyrio coronatis fit sermo in Romano Martyrologio die 31 Julii et apud Baronium anno Christi 517. Quibus accedit, Monachos et Moniales, confratres et consorores, quorum nomine supplicatur, fuisse semper in catholica religione constantes Romanoque Pontifici obtemperantes, ac proinde digni viderentur exaudiri. Quaeritur igitur: *An indulgentia plenaria perpetua concedenda sit in praefatis festis?* Sac. Congregatio die 16 Novembris 1733 respondit: *Plenaria perpetua singulis Christifidelibus visitantibus ecclesias monasteriorum Monachorum ubicumque existentium. In ecclesiis autem Monialium pro ipsis tantum in sequentibus festis anni, videlicet: Assumptionis B. M. V., Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli Protectorum, S. Antonii Abbatis, S. Macarii Abbatis, S. Maronis Propagatorum; necnon plenaria perpetua iisdem Monachis et Monialibus tantum in sequentibus festis: S. Euphrosinae V., S. Juliani Sabae, S. Ephrem Syri, S. Joannis Climaci, S. Aphratis Monachi, S. Febroniae V. et M., S. Jacobi Nysibeni; Passionis tercentum quinquaginta monachorum, S. Domitii Monachi et M., S. Simeonis Stylitae, S. Marciani Monachi, S. Sabbae Abbatis; ac insuper indulgentia perpetua septem annorum eisdem Monachis et Monialibus tantum in sequentibus festis: S. Macarii Alexandrini, S. Isidori Pelusiotae, S. Pauli Simplicis, SS. Monachorum Martyrum in Laura S. Sabbae, S. Simeonis Sali, S. Arsenii Abbatis, SS. Maronae et Cyrae, S. Moysis Aethiopis, S. Theodorae poenitentis, S. Publiae Abbatissae, S. Thomae Monachi, S. Maruthae Monachi.*

97.

1733 16 Novembris. De translatione indulg. ad diem Dominicam immediate sequentem.

Ordinis Carmelitarum. Visitantibus ecclesias Ordinis Fratrum Carmelitarum in festis S. Eliae, Andreae Corsini, Mariae Magdalenae de Pazzis, Angeli et Alberti plenariam indulgentiam a cunctis Christifidelibus lucrandam S. Sedes Apostolica fuit elargita. Hinc SSmo supplicavit Procurator provinciae Poloniae, ut in singulis ejusdem provinciae Con-

ventibus praefata indulgentia ad diem Dominicum immediate sequentem quodlibet ex festis allatis transferatur. Pro consecutione autem gratiae adducit populi frequentiam, qui ferialibus diebus saecularibus addictus negotiis negligit ad ecclesiam confluere et indulgentiam lucrari; rursus veterem Poloni regni usum, quo asserit has solemnitates festis tantum diebus consuevisse celebrari. Obstare tamen videtur stylus Sac. hujus Congregationis nuper examinatus in postrema Congregatione sub die 27 Julii, indulgentias scilicet vel toti Ordini univoce, vel singulis ecclesiis earum intuitu concedendas. Quibus perpensis resolvendum proponitur EE. VV.: *An indulgentiae concessae pro praefatis festis sint ad Dominicam immediate sequentem transferendae?* Sac. Congregatio die 16 Nov. 1733 respondit: *Negative.*

98.

1734 30 Aprilis. **Moniales quoad privilegia Fratribus concessa.**

Neapolitana. S. m. Benedictus XIII. Fratribus singulis Ordinis Praedicatorum in eorum ecclesiis celebrantibus privilegium altaris, necnon fidelibus omnibus celebrationi Missarum SS. Rosarii, quae ab iisdem celebrantur, interessentibus peculiares indulgentias concessit. Hinc Moniales sub titulo Bethlehem, quae profitentur regulam ejusdem Ordinis sub regimine sacerdotum saecularium, gaudere exoptantes gratiis Ordini concessis, supplicarunt SSmo D. N. pro extensione praefati privilegii et indulgentiarum ad sacerdotes quoscumque in earum ecclesia celebrantes, eo innixae fundamento, quod omnia, quae toti Ordini privilegia concessa fuerunt, Monialibus eamdem regulam profitentibus competere resolutum fuit ab hac Sac. Congregatione sub die 6 Augusti 1727. An vero sub hac generali inspectione comprehendantur privilegia personalia Fratribus concessa, prout est altaris, itemque Missae de Rosario, dignabuntur EE. VV. perpendere, attentis etiam resolutionibus alias editis ab hac Sac. Congregatione, praesertim in una Ordinis de Mercede sub die 28 Septembris 1711, ubi resolutum fuit, non competere Monialibus privilegium absolutionis, quae a Fratribus de Mercede in eorum ecclesiis conceditur, et in una Lunen.

Sarzanen. die 27 Julii hujus anni, ubi denegata fuit confessariis Monialium similis extensio privilegii impertiendi benedictionem Fratribus S. Augustini concessam. Quapropter inquiritur: *An Monialium precibus annuendum sit in casu?* Sac. Congregatio die 30 Aprilis 1734 respondit: *Negative.*

99.

1734 30 Aprilis. Altare privilegiatum.

Florentina. Intuitu imaginis Crucifixi Domini Nostri in ecclesia parochiali S. Vincentii de Turris existentis, dudum a SS. Florentiae Archiepiscopis Zenobio et Antonino impense cultae, s. m. Eugenius IV. dum celebri Concilio Florentino praeerat, praeter quamplures indulgentias privilegium altaris perpetuum asseritur concessisse. Hanc autem constantem populi traditionem confirmans Archiepiscopus ab hac Sacra Congregatione requisitus subdit, de hujus privilegii concessione aliud non exstare documentum, nisi tabellam veteri charactere obsignatam. Dubium proinde irrepsit rectori ac populo ejusdem parochiae super ejus subsistentia, attento praesertim, quod in praefata ecclesia non nisi tres ad summum quotidie Missae celebrantur. Supplicarunt idcirco SSmo D. N. subsistens declarari, et, quatenus opus sit, de novo concedi. Similis huic casus propositus fuit in hac Sacra Congregatione in una Gallipolitana sub die 26 Novembris 1714, supplicante clero et canonicis pro declaratione subsistentiae altaris privilegiati S. Mariae de Populo in Cathedrali existentis, ex quo nullum aliud authenticum documentum reperiebatur, nisi quod in visitationibus per Episcopos peractis altare illud perpetuo privilegiatum fuerat descriptum. Cui instantiae eadem Sacra Congregatio benigne indulsit. Expensa igitur hac Sacrae Congregationis resolutione quaeritur: 1° *An subsistat praefatum privilegium in casu? Et quatenus Negative,* 2° *An sit de novo concedendum?* Sac. Congregatio die 30 Aprilis 1734 respondit: *Negative ad utrumque.*

100.

1734 20 Septembris. De confessione Missionariorum.

Cum ad instantiam Meliapurensis Episcopi proposita fuerint in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Re-

liquiis praeposita infrascripta dubia: 1° *An sacerdotibus Missionariis in regionibus infidelium degentibus, deficiente confessario, ac Sacrum peragentibus, praemissa dumtaxat contritione, sufficiat quoque pro assequenda indulgentia actus contritionis: Et quatenus Negative,* 2° *An consulendum Sanctissimo pro gratia in casu?* Sac. Congregatio die 20 Jan. 1733 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Consulendum SSmo, ut per organum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide praefatis Missionariis concedere dignetur indultum, ut iisdem, quoties pro consequendis indulgentiis desit copia confessarii, ideoque actualem confessionem praemittere nequeant, sufficiat contritionis actus, et confessio in voto.* Et facta de his relatione SSmo D. N. Clementi PP. XII. die 22 Januarii 1733, Sanctitas Sua benigne approbavit Decretum Sacrae Congregationis. Quapropter P. Cherubinus de Noves in Romana Curia existens Procurator Missionum exterarum Capucinorum, regnorum Galliae et Hiberniae ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, instanter supplicat *de hujusmodi gratia pro Capucinis Missionariis Gallis et Hibernis, in partibus infidelium et haereticorum allaborantibus, ut in casu indulgentias, quas lucrantur Religiosi Capucini in regnis catholicis, lucrari valeant Missionarii praefati etc.* Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 30 Aprilis 1734 censuit: *Indultum sub die 20 Januarii 1733 concessum per organum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide transmissum Missionariis in dioecesi Meliapurensi lucrandi indulgentias, quoties deficiente copia confessarii, praemisso tantum actu contritionis, Sacrum celebraverint, posse extendi etiam ad Missionarios Ordinis Capucinorum Gallos et Hibernos in actu Missionum exterarum, servata tamen eadem forma.* Et facta per me de praemissis SSmo D. N. die 20 Septembris 1734 relatione, Sanctitas Sua benigne annuit.

J. Archiepiscopus Tyri, Secret.

101.

1735 5 Februarii. Indulgentia pro oratione mentali.

Ulyssiponen. Quum divinae contemplationis praxis, quam orationem mentalem appellant, nedum salutare opus, verum etiam pie cupientibus vivere pene necessarium ex

sacrarum paginarum oraculis, Sanctorum Patrum testimoniis, ipsaque experientia comprobetur, plura Christifidelium sodalitia tam in Italia, quam ultra montes canonice erecta reperiuntur, quae pium hoc exercitium profitentur. Pluries autem supplicatum fuit Sacrae huic Congregationi, ut sedulo eidem vacantibus Apostolica Sedes gratias impertiretur, quo facilius alii Christifideles illud amplecterentur. Verum non una fuit ejusdem Sacrae Congregationis resolutio. Siquidem sub die 18 Novembris 1670 plenariam semel in anno pro tota civitate et dioecesi Mazzariensi concessit, eamdemque pro tota civitate Pistoriensi a s. m. Clemente XI. anno 1705 indultam sub die 22 Septembris 1712 ad aliud septennium prorogavit. Alias negative rescripsit, ut sub die 22 Sept. 1710 precibus Camerinen. Episcopi institutum non interruptae orationis mentalis in sua dioecesi cupientis inducere; necnon sub die 23 Aprilis 1714 in Posnanien. pro Confraternitate Cordis Jesu. Diversae hae Sacrae Congregationis decisiones fuerunt in folio deductae sub die 27 Maji 1732 instantibus duabus Confraternitatibus, altera sub titulo Transfigurationis D. N. J. C., altera sub invocatione Patrocinii B. Virginis in ecclesia Clericorum Regularium Congregationis Scholarum Piarum canonice erectis, quibus Sacra Congregatio respondit: *pro gratia plenariae semel in anno, et centum dierum singulis vicibus*, idemque indultum sub die 30 Julii hujus anni extendit favore Monialium monasterii S. Marci, Ordinis S. Romualdi civitatis Volaterranae perpetuam Eucharistici Sacramenti adorationem peragentibus. Hisce exemplis innixi sodales Confraternitatis Sanctissimae Conceptionis in ecclesia ejusdem tituli Clericorum Regularium Scholarum Piarum erectae, qui ex instituto singulis diebus in eadem ecclesia orationi mentali praescripto temporis spatio incumbunt, preces porrexerunt Sacrae huic Congregationi, ut indulgentiam centum dierum singulis vicibus, plenariam vero semel in mense elargiretur. Dignabuntur itaque EE. VV. decernere: *An precibus sit annuendum?* Sac. Congregatio die 5 Februarii 1735 respondit: *Indulgentia plenaria semel in anno, et indulgentia centum dierum singulis vicibus.*

102.

1735 5 Februarii. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Benedicti Congregationis PP. Coelestinorum. Privilegium altaris, quod suffragandis animabus in purgatorio detentis peculiaribus Brevibus solet singulis ecclesiis S. Sedes indulgere, generali indulto condecorandis quamplurimis Ordinibus Regularibus in singulis eorumdem ecclesiis, etiam ex voto hujus Sacrae Congregationis concessit. Siquidem sub die 13 Septembris 1726 in ecclesiis Fratrum Ordinis S. Augustini privilegia altaris, ubi reperiebantur, in perpetuum confirmavit, ubi vero non reperiebantur, in perpetuum concessit pro una feria in hebdomada, ubi quatuor Missae quotidie celebrantur, ubi decem, pro duabus feriis, ubi 15, pro tribus, ubi 25, pro quinque, et ubi 35, quotidiana. Rursus in ecclesiis Monialium pro una feria absque expressione numeri Missarum, sed pro ipsis tantum earumque consanguineis, affinibus et benefactoribus. Simili privilegio Ordo S. Francisci gaudet. Imo Ordo Carthusianorum pro altari S. Brunonis sub die 16 Februarii 1729 et Ordo Camaldulensium sub die 9 Februarii 1729 quotidianum, perpetuum privilegium impetravit. Hisce exemplis adductus preces porrexit Sacrae huic Congregationi Pater Abbas Generalis Congregationis Coelestinorum, ut in singulis ejusdem Congregationis ecclesiis altare S. Petri Coelestini quotidiano perpetuo privilegio cum extensione ad quoscumque sacerdotes insignire dignaretur. Quapropter EE. VV. erit, qua solent sapientia, decernere: *An concedendum sit perpetuum privilegium quotidianum altari S. Petri Coelestini in singulis ecclesiis ejusdem Congregationis.* Sac. Congregatio die 5 Februarii 1735 respondit: *Negative.*

103.

1735 25 Aprilis. Moniales S. Rosaliae quoad Indulgentias.

Panormitana. Monasterium S. Rosaliae sub instituto S. Benedicti in civitate Panormi erectum s. m. Urbanus VIII. per literas in forma Brevis editas Idibus Septembris 1634, quamplurimis Apostolicae Sedis muneribus condecoravit. Omnes siquidem tam spirituales, quam temporales gratias

singulis aliis monasteriis regulam S. Benedicti profitentibus concessas, et in posterum concedendas communicavit, necnon ad Christifideles ecclesiam monasterii statis diebus visitantes easdem indulgentias extendit, ut fusius constat ex verbis Pontificiae Constitutionis. Quibus verbis non solum comprehendi videntur personales indulgentiae, vel etiam locales concessae ecclesiis Ord. S. Benedicti in genere ejusque Congregationibus in specie, verum etiam singulae aliae indulgentiae, quae alicui ecclesiae Ordinis S. Benedicti indultae reperiuntur. Similes Apostolicae Sedis gratias s. m. Sixtus V. in Constit. incip. *Sacrosanctae militantis Ecclesiae* edita die 15 Julii 1587 quae est in Bull. Rom. 70, Monialibus et ecclesiae monasterii S. Susannae in Urbe erecti Ord. S. Benedicti fuit impertitus, imo indulgentias uberrimas addidit. Dictae Bullae verbis innui videtur, indulgentias ecclesiae S. Susannae non tam Monialibus ibi commorantibus quam pro Christifidelibus eamdem visitantibus fuisse concessas. Quoniam vero s. m. Urbanus VIII. generaliter quascumque indulgentias concessas et concedendas monasteriis et ecclesiis Ord. S. Benedicti, Monialibus S. Rosaliae earumque ecclesiis in praefata Constit. fuit elargitus; crediderunt hactenus Moniales etiam indulgentiarum Monialibus et ecclesiae S. Susannae a Sixto V. concessarum sese esse participes. Proinde ut, si quid oppositum suadeat, Sac. hujus Congregationis decreto removeatur, eidem porrexerunt preces, ut communicationem earum cum Monialibus et ecclesia S. Susannae Urbis quoad indulgentias a Sixto V. concessas dignetur declarare, necnon permittere, ut Summarium easdem continens imprimatur, quo tum fidelibus Panormi degentibus cum exteris indulgentiarum thesaurus, quibus eae perfruuntur, innotescat. Praxi S. Sedis parcius utendi concessionibus indulgentiarum in ecclesiis Monialium praesertim in Italia existentium profecto adversari videretur, si ex participatione indulgentiarum ecclesiae S. Susannae omnes indulgentiae ecclesiarum Urbis etiam favore Monialium S. Rosaliae in perpetuum concessae declarentur. Quibus omnibus qua consueverunt sapientia discussis, dignabuntur EE. VV. decernere: 1° *An Moniales S. Rosaliae civitatis Panormitanae gaudeant*

singulis indulgentiis ecclesiae S. Susannae Urbis a Sixto V. concessis? 2° *An Summarium indulgentiarum ab Oratricibus imprimi possit, in quo etiam concessae ecclesiae S. Susannae contineantur.* Sac. Congregatio die 25 Aprilis 1735 respondit: *Negative ad utrumque.*

104.

1735 30 Julii. **Indulgentiae negatae novo scapulari.**

Panormitana. Eximium Christifidelium studium in Deiparam Virginem promovere cupiens Apostolica Sedes sodalibus Archiconfraternitati B. Virginis de Monte Carmelo adscriptis, qui scapulare ejusdem B. Virginis a FF. Ordinis de Monte Carmelo benedictum detulerint, amplissimas indulgentiarum gratias concessit. Hujus scapularis exemplo confratres Sodalitatis sub titulo S. Josephi canonice erectae in ecclesia S. Barbarae alterum scapulare cum imaginibus Jesu, Mariae et S. Josephi deferre consueverunt. Quoniam vero ex hoc pio opere nullius indulgentiae fructum consequuntur, SSmo D. N. supplicarunt, ut capellano pro tempore existenti ejusdem Sodalitatis facultatem impertiatur praefatum scapulare benedicendi, necnon easdem indulgentias concedendi, quae deferentibus alterum B. Virginis de Monte Carmelo a S. Sede indultae reperiuntur. Pro resolutione instantiae animadvertere operae pretium est, non solum exigi delationem scapularis pro consecutione indulgentiarum confratribus de Monte Carmelo concessarum, sed insuper certas preces, modicam abstinentiam feria IV. cujuslibet hebdomadae, aliaque pia opera, quae cum a solis confratribus B. Virginis de Monte Carmelo peculiari jure exerceantur, ad Oratricem Sodalitatem trahi non debere viderentur. Accedit insuper, quod concessio amplissimarum indulgentiarum, quibus Archiconfraternitas B. V. de Monte Carmelo fruitur, intuitu meritorum Ordinis facta videtur. Itemque non constat, datam aliis a S. Sede facultatem similia scapularia benedicendi, sed potius si quae Sodalitates de indulgentiis Archiconfraternitatis de Monte Carmelo supplicarunt, Sacra Congregatio inclinavit aggregationi supplicantium Archiconfraternitati Montis Carmeli. Quibus perpensis dignabuntur

EE. VV. decernere: *An expediat dare capellano Oratricis Sodalitatis pro tempore existenti facultatem benedicendi scapularia cum imaginibus Jesu, Virginis Mariae et S. Josephi, quibus annexae intelligantur indulgentiae concessae Archiconfraternitati Montis Carmeli?* Sac. Congregatio die 30 Julii 1735 respondit: *Curent adscribi Archiconfraternitati B. M. V. de Monte Carmelo Urbis.*

105.

1735 30 Julii. Indulg. pro exercitio virtutum theologicarum ante S. Communionem.

Neapolitana. Actus theologicarum virtutum, quos certis vicibus exerceri debere ad aeternam salutem consequendam communior sententia DD. astruit, accessuri ad ecclesiasticae Synaxis perceptionem una cum actibus gratiarum actionis, contritionis, desiderii et similibus Christifideles elicere consueverunt. Ut autem hic laudabilis usus uberi animarum emolumento promoveatur, SSmo D. N. supplicarunt presbyteri saeculares in civitate, dioecesi et regno Neapolitano evangelicis Missionibus incumbentes, ut indulgentiam partialem septem annorum totidemque quadragenarum iis, qui aliquando praefatos actus ante Eucharistici Sacramenti perceptionem exercuerint, necnon plenariam iis, qui in quinque successivis Communionibus eosdem peregerint; demum plenariam in mortis articulo iis, qui pluries in vita ita se ad Sacramentum disposuerint, impertiri dignaretur, una cum facultate easdem indulgentias defunctis applicandi. Petunt insuper harum gratiarum indultum nedum ad regni Neapolitani fines, verum etiam ad singulas orbis partes extendi, prout factum est in indulgentiis concessis invocantibus nomen Jesu et Mariae, et pie recitantibus Salutationem Angelicam, ut ita fideles singuli cum aliqua animi dispositione ultra sacramentalem Confessionem ad sacrosanctam Eucharistiam accedere satagant. Quamvis regulariter ad consecutionem indulgentiarum opus externum requiratur, tamen ex allegatis apud Passerin. quaest. 30 de indulg. etiam pro actibus internis indulgentiae possunt impertiri. Hinc s. m. Benedictus XIII. sub die 15 Januarii 1728 fidelibus quibuscumque actus fidei, spei, charitatis et contri-

tionis internos semel in die peragentibus indulgentiam partialem septem annorum, et spatio unius mensis in eo exercitio persistentibus plenariam concessit, ut in Regestis Secretariae Memorialium 15 Januarii 1728. Utrum vero concessio harum indulgentiarum taxari debeat solum pro peragentibus praefatos actus ante et post Eucharisticam Communionem, itemque an sit amplianda ad actus internos desiderii, gratiarum actionis etc. EE. VV. erit decernere. Quaeritur ergo: *An peragentibus actus fidei, spei et charitatis etc. internos ante et post Communionem Eucharisticam petitae indulgentiae sint concedendae?* Sac. Congregatio die 30 Julii 1735 respondit: *Negative, et gaudeant impetratis a Benedicto XIII.*

106.

1736 4 Februarii. **Indulgentiae Stationum conceduntur ecclesiae S. Mariae Burgi.**

Mediolanen. Frequens retroactis saeculis invaluerat praxis in concessione indulgentiarum opus injungere fidelibus eas consecuturis eleemosynas aliquas in certum pium opus erogandi. Quae quidem manuum porrectio, licet praesertim in publicos commendabiles usus cederet, cum tamen suborta hominum nequitia per calumniam in deterius fuisset accepta, provide S. Pius V., in Constit. incip. *Etsi Dominici gregis,* ut obstrueret ora loquentium iniqua, gratias quascumque indulgentiarum sub hac conditione porrigendi manus adjutrices revocavit et irritas haberi voluit. Primaevam autem praxim secutus s. m. Pius IV. precibus S. Caroli, Mediolanensis Ecclesiae Antistitis, concessit ecclesiae S. Mariae Burgi Seroni ejusdem dioecesis plenariam die festo Resurrectionis Dominicae et feria illam immediate sequente, necnon in festo Assumptionis B. M. V. sub conditione aliquam eleemosynam pro laudabilibus et pietatis operibus coadjuvandis inibi erogandi, ut in Constit. incip. *De salute gregis.* Necnon in eadem Constitutione peculiari quadam separata dispositione favore dictae ecclesiae indulgentias Stationum Urbis, absque alio expresso onere, quam visitandi praefatam ecclesiam elargitus est his verbis: „Et

insuper eisdem Christifidelibus, qui dictam ecclesiam singulis quadragesimalibus, et aliis anni temporibus et diebus, quibus Basilicae et ecclesiae Almae Urbis Nostrae, et extra muros ab ipsis Christifidelibus pro consequendis Stationum indulgentiis visitari solent, similiter devote visitaverint, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones consequantur, et consequi possint, quas consequerentur et consequi possent, si eisdem temporibus et diebus Basilicas et ecclesias Urbis, et extra ejus muros hujusmodi personaliter visitarent, et omnia et singula alia, quae pro indulgentiis Stationum hujusmodi consequendis quomodolibet requiruntur, adimplerent, concedimus." Hinc Rectores ejusdem ecclesiae, et Oratores veriti alteram partem indulti continentis postremo dictam indulgentiam Stationum, comprehendi posse in revocatione totius Constitutionis, cujus pars prima indulti continebat conditionem manus adjutricis, supplicant declarari, alteram partem Constitutionis per separatam dispositionem absque mentione manus adjutricis quoad indulgentias Stationum sustineri. Ideoque proponitur: *An indulgentiae Stationum, ut supra concessae subsistant?* Sac. Congregatio die 4 Februarii 1736 respondit: *Indulgentias Stationum alias concessas a s. m. Pio IV. esse concedendas per novum Breve in perpetuum.*

107.

1736 4 Februarii. De indulgentiis recitationi precum ante SS. Sacramentum adnexis.

Hispahanen. in Persia. Regia in urbe Hispahani ejusque districtu ac dioecesi quamplures degunt catholicae religionis cultores, nedum dira Persarum tyrannide, sed assidua fere schismaticorum aemulatione pressi. Horum quippe eximius erga sacram Eucharistiam cultus ad novum instituendum pium opus adegit, eligendi nempe singuli certam horam, in eaque genuflexi ante SS. Sacramentum preces effundere eo quidem, quo fas ipsis erit modo, vel in ecclesia, aut oratorio. Ut autem alacrius laudabile hoc institutum prosequantur, quod ipsis proficuum, aliisque inibi fidelibus imitandum exemplum evasurum confidunt, supplicant huic

Sacrae Congregationi, indulgentias aliquas peculiares impertiri. Praesertim ob distantiam ab urbe et difficultatem implorandi alias indulgentias, quibus nostrates abundant, ita tamen ut hoc exercitium, qua poterunt opportunitate impleant, attentis praesertim periculo et insidiis infidelium. Et quidem in simili praxi orandi spatio statutae horae ante SS. Eucharistiam pluries haec Sacra Congregatio plenariam semel in anno acquirendam, et centum dierum per singulas vices, quibus id tempus similiter in oratione insumpserint, elargita est, prout in una Florentina sub die 27 Maji 1732 et in Volaterrana sub die 30 Julii 1734. Quaeritur igitur: *An, et quae indulgentiae concedendae sint Oratoribus in casu?* Sac. Congregatio die 4 Februarii 1736 respondit: *Plenaria semel in anno, et indulgentia centum dierum qualibet vice omnibus Christifidelibus degentibus in civitate non solum orantibus ante SS. Sacramentum Eucharistiae, sed etiam impeditis accedere ad ecclesiam in quocumque loco.*

108.

1736 22 Februarii. Extensio indulgentiarum.

Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita sub die 4 Februarii 1736 censuit, indulgentias, quibus fruitur Congregatio Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini, Congregationis Sanctissimi Salvatoris, extendendas esse ad Congregationem Canonicorum Regularium S. Rufi, dummodo Institutum ejusdem S. Augustini profiteatur. Et facta de praedictis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione sub die 22 dicti mensis Sanctitas Sua benigne approbavit.

A. M. Erba, Protonotarius Apostolicus, Secret.

109.

1736 22 Februarii. Indulgent. pro meditatione dolorum B. M. V.

Urbis et Orbis. Ad humillimas preces confratrum et consororum Confraternitatis B. Virginis Septem Dolorum Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 4 Februarii 1736 censuit concedendam esse indulgentiam plenariam semel in anno cum facultate applicandi

pro defunctis, omnibus Christifidelibus eodem die, quo per spatium praescriptae horae meditationi Dolorum B. Virginis incubuerint ad septennium.[1]) Et facta per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione sub die 22 Februarii currentis anni, Sanctitas Sua benigne approbavit.

L. Episcopus Albanensis Card. **Picus**, Praef.
Joannes Archiepiscopus Tyri, Secret.

110.

1736 3 Decembris. De Sodalitio quodam studiosorum.

Clericorum Regularium Congregationis Scholarum Piarum. Eximio charitatis studio Clerici Regulares Scholarum Piarum collectos ubique pronos ad illecebras et ad desidiam adolescentes pauperes praesertim, non modo litterarum rudimentis sed etiam religionis cultu sanctioreque morum disciplina satagunt imbuere. Ubi ergo eorum patent gymnasia, juvenes ad ea confluentes in sacrum Sodalitium adscripti conveniunt, ibique effusis precibus et sacra percipientes sedulo piis operibus se exercent. Quod cum praesertim in Urbe apud S. Pantaleonem expleatur in sacello B. M. V. assumptae, supplicavit SSmo D. N. Praepositus Generalis pro sequentibus quampluribus gratiis. Primo quidem pro facultate Praeposito Generali pro tempore aggregandi ad hoc Sodalitium seu societatem cetera quoque ubique in eorum domibus similiter erecta et deinceps erigenda eisque gratias et indulgentias dicto primario Sodalitio seu Confraternitati concedendas communicare. Nititurque exemplo similis concessionis editae a s. m. Gregorio XIII. in erectione primariae Congreg. Collegii Romani, cujus administrationem Summus Pontifex Praeposito Generali Soc. Jesu addixit, facultate eidem facta aggregandi ad hoc primarium Sodalitium alia in eorum domibus erecta et etiam erigenda. Quam quidem concessionem ab ejusdem Collegii SSmo Fundatore, licet ex peculiari affectionis causa derivatam, attamen ob easdem circumstantias publici boni evasuram aeque in profectum piae juventutis sperat Orator posse emereri. Progreditur tamen

[1]) Haec concessio deinceps ad aliud septennium prorogari consuevit.

ulteriori petitione quamplurium aliarum indulgentiarum pro dicto Sodalitio et pro facultate easdem communicandi. Quare non modo sex plenarias cum indulgentiis Stationum, ab eodem Summo Pontifice Congregationi praefati Collegii impertitas, sed alias usque ad numerum viginti, plenarias exposcit. Insuper, allegans exemplum uberum concessionum favore Cincturatorum S. Augustini a Summis Pontificibus editarum, supplicat de plenaria semel in mense pro Communione generali et visitatione Septem Altarium cujusvis Ecclesiae ejus instituti, de indulgentiis Septem Ecclesiarum Urbis; similique exemplo concessionis Societatis SS. Rosarii de alia plenaria semel in mense applicanda pro Defunctis; et denique de plenaria in visitatione alicujus ecclesiae extra muros die carnisprivii, designanda a Rectore domus ejusdem Religionis, ad retrahendos a bacchanalibus adolescentes. Has autem gratias a S. Sede variis Religionum Ordinibus pro eorumdem particulari merito concessas an expediat, una simul omnes ex causis allegatis, vel potius juxta stylum Sac. hujus Congregationis ad formam generalium concessionum in erectionibus Sodalitatum moderate redigere, EE. VV. sapientissimo judicio decidendum proponitur: 1° *An sit concedenda facultas Praeposito Generali pro tempore aggregandi similia Sodalitia erecta vel erigenda in eorum domibus eisque privilegia et indulgentias communicandi?* 2° *An et quae indulgentiae concedendae sint supradicto primo Sodalitio?* Sac. Congregatio die 3 Decembris 1736 respondit: Ad 1m: *Pro gratia facultatis Praeposito Generali pro tempore erigendi Sodalitium in domo S. Pantaleonis Urbis et ad illud aggregandi alia Sodalitia deinceps erigenda.* Ad 2m: *Habebitur ratio post erectionem.*

111.

1737 11 Maji. De visitatione ecclesiae Confraternitatis.

Pragen. Inter opera injuncta confratribus canonice erectarum Sodalitatum pro assequendis indulgentiis concedi solitis a S. Sede illud praesertim praescribitur, ut visitationem earum ecclesiarum, in quibus erectae sunt, expleant: nec, quamvis allegata quacumque causa, sodalibus alibi, quam in loco, ubi sodalitas erecta est, degentibus, visita-

tionem alicujus proximioris et opportunioris ecclesiae Sacra haec Congregatio consuevit indulgere, ita, quod nec viarum asperitas, nec distantia locorum, in quibus sodales degunt, nec excretus eorum numerus excusari meruerit. Ratio servati hactenus hujusmodi styli ea videtur, quod Sodalitates institutae praecipue sunt ad fidelium unionem, et ad praescripta eis pia opera simul et conjunctim exercenda. Hinc frequentibus hujusmodi Sodalitatum instantiis respondere *negative* consuevit Sacra haec Congregatio. His tamen non refragantibus Sodalitas sub titulo Agonis D. N. J. C. erecta in ecclesia Canonicorum Regularium S. Augustini loci Tribonensis, dioecesis Pragen., adaucta ad numerum trium millium circiter confratrum cum in finitimis, tum in aliis locis Germaniae, praesertim in montibus, qui ob impervium iter frequentibus nivibus et imbribus ad eorum ecclesiam, in qua conscripti sunt, accedere statutis diebus lucrandae indulgentiae nequeunt, supplicat pro commutatione visitationis opportunioris ad quamcumque aliam proximiorem ecclesiam. Quare dignabuntur EE. VV. decernere: *An praefatis attentis concedenda sit commutatio visitationis?* Sac. Congregatio die 11 Maji 1737 respondit: *Negative.*

112.

1737 13 Septembris. Via Crucis.

Provinciae Helveticae. Commendabilis sollicitudo PP. Capucinorum difficilioribus obeundis Missionibus emicare videtur in Helvetica Provincia, ubi austerioris vitae exemplo, et Apostolico munere, praesertim in adjuvandis catholicis, desertam prope vineam Domini colere satagunt. Inter plurima pietatis ac religionis opera, Dominicae Passionis cultum impensius promoventes, Viam Crucis, qua patientis Domini mysteria facilius meditantur, instituere cupiunt. Quod quidem opus ut uberiori fructu coalescat, opportunum, imo necessarium adstruunt, a S. Sede indulgentias eidem pio operi concessas assequi posse. Verum, cum earum erectio tantummodo ad Fratres sub regimine Patris Generalis Observantiae limitata sit, vigore Brevis SSmi D. N. incipientis: *Exponi Nobis* sub datum 16 Januarii 1731, quorum in Pro-

vincia Helvetica neque Conventus, neque Missionarii degunt, ut testatur etiam P. Vice-Commissarius Generalis Observantiae, hinc PP. Capucini supplicant pro facultate erigendi Viam Crucis in eadem Provincia cum concessione consuetarum indulgentiarum. Remissis itaque a SSmo D. N. huic Sacrae Congregationi precibus porrectis a Patre Generali Capucinorum, instante etiam nomine totius Helvetiae, ne scilicet tam praeclaro spirituali emolumento careant incolae fideles, acatholicique magis magisque aedificentur, dignabuntur idcirco EE. VV. respondere. Quaeritur igitur: *An PP. Missionariis Capucinis degentibus in Helvetia, ubi non adsunt FF. Minores Observantiae, danda sit facultas erigendi Viam Crucis cum indulgentiis adnexis?* Sac. Congregatio die 13 Sept. 1737 respondit: *Pro gratia facultatis erigendi Viam Crucis cum indulgentiis consuetis, de consensu tamen FF. Minorum de Observantia.*

113.

1737 13 Septembris. Confraternitati pro studiosa juventute conceduntur indulgentiae.

Clericorum Regularium Congregationis Scholarum Piarum. Pauperum adolescentium non minus morum et pietatis, quam literarum incremento incumbens ac prospiciens Congregatio PP. Scholarum piarum obtinuit a SSmo D. N. facultatem erigendi primarium Sodalitium in domo S. Pantaleonis Urbis sub titulo Assumptionis B. M. V., eique adscribendi in posterum arbitrio P. Generalis quaecumque Sodalitia erigenda in ceteris eorum domibus. Ut vero sodales hujusmodi spirituali aliquo fruantur emolumento, supplicavit P. Procurator Generalis pro concessione quamplurium indulgentiarum, et pro earum communicatione aliis tam erectis, quam erigendis sodalitiis, allegato exemplo indulti editi a s. m. Gregorio XIII. favore primarii sodalitii in Collegio Romano Patrum Societatis Jesu instituti. Plenariam petit pro ingredientibus sodalitium, tum etiam in mortis articulo. Similem pro omnibus in festo Titularis, quod in Dominica infra octavam Assumptionis celebrant. Plenariam pariter in festis Nativitatis ac Ascensionis Domini Deiparaeque Annuntiationis, Nativitatis ac Conceptionis; tum

etiam unius anni pro Sodalibus quoties Congregationi, divinis officiis, Missae Sacrificio et examini conscientiae operam dant; praeterea indulgentias Stationum Urbis publicam ecclesiam Congregationis visitantibus. Insuper plenariam pro Communione generali semel in mense, quam alias ad septennium obtentam nunc autem in perpetuum exposcit. Denique indulgentias septem Urbis Ecclesiarum sodalibus visitantibus aliquam ecclesiam extra moenia civitatum tempore carnisprivii die a Rectoribus respectivorum Collegiorum praescribenda. Sapientissimo igitur EE. VV. judicio expendendum erit, an et quas expediat in praesentibus circumstantiis indulgentias concedere, eo praesertim attento, quod concessio favore sodalitii erecti in Collegio Romano, cujus exemplum allegatur, edita fuit a Summo Pontifice Gregorio XIII. fundatore praefati Collegii, erga quod peculiari affectione ferebatur. Ceterum aequitatis fortasse majoris videri poterit concessio indulgentiarum, quae ad promovendam pietatem magis conferunt, ut pro Communione generali singulis mensibus, aliarumque stylo hujus S. Congregationis conformium. Decernendum itaque erit ab EE. VV.: *An et quae indulgentiae concedendae sint primo sodalitio erecto in domo S. Pantaleonis Urbis in casu etc.?* Sac. Congregatio die 13 Septembris 1737 respondit: *Pro gratia indulgentiarum aliis Confraternitatibus concedi consuetarum, et pro gratia facultatis Praeposito Generali pro tempore communicandi eas aliis sodalitiis tam erectis, quam erigendis.*

114.

1738 30 Augusti. **Pro festis Beatorum nondum solemniter canonizatorum non conceditur indulgentia.**

Ordinis Min. S. Francisci. Cum inter ceteros Minoritarum Ordinis S. Francisci alumnos sanctitate, signisque refulgeant Beati Martyres Joannes a Perusia et Petrus a Saxoferrato, ipsemet Ordo ad eorum recolendam memoriam Officium Missamque sub ritu duplici pro die 29 Augusti, qui illorum festus est, a Sac. Rituum Congregatione impetravit. Ut autem uberiori fidelium profectu pietatis studium erga praefatos Martyres augeatur, Procurator Gene-

ralis SSmo D. N. supplicavit de plenaria perpetua pro dicta die a visitantibus singulas ecclesias tam Observantium, quam Reformatorum, Excalceatorum et Recollectorum necnon Monialium ubicumque existentes consequenda. Quamvis vero petitio non ad unam aut certas ecclesias extendatur, sed ad universas et non expressas Minoritarum, nihilominus non omnino exorbitans videri posset attento respectu ad universum Ordinem, quem professi sunt Beati Martyres, prout passim generaliter ecclesiis quamplurium Ordinum Regularium concessae reperiuntur indulgentiae. Solidior difficultas oritur ex Decreto s. m. Alexandri VII. *(relato a Matta part. prima cap. 2 num. 19 et seqq. de Canoniz. Sanctorum)* de non concedendis indulgentiis pro Beatis nondum solemniter canonizatis et pro Sanctis, quorum nomina adhuc recensita non sunt in Romano Martyrologio; quam quidem praxim constanter amplexa est Sac. haec Congregatio. Hinc Orator instat pro gratia consequendae indulgentiae die, quo festum Beatorum Martyrum celebratur, absque tamen expressione eorum nominum, juxta quamplurima similia exempla deducta tum *in Theatina die 11 Maji 1737, tum in Nullius, seu Caven. die 13 Septembris ejusdem anni* aliisque Sacrae hujus Congregationis resolutionibus et S. Sedis concessionibus, quarum recentior pro B. Michelina Pisaurena ejusdem Ordinis. Superest itaque ab EE. VV. decernendum: *An plenaria pro die 29 Augusti, quo celebratur festum Beatorum Martyrum Joannis a Perusia et Petri a Saxoferrato, concedenda sit absque expressione eorum nominis?* Sac. Congregatio die 30 Augusti 1738 respondit: *Negative.*

115.

1738 10 Septembris. Altare privilegiatum.

Ordinis Carmelitarum. Ad humillimas preces porrectas a P. Procuratore Generali Ordinis Carmelitarum Calceatorum pro communicatione altaris privilegiati quotidiani perpetui, quod supponitur concessum a Gregorio XV. vivae vocis oraculo in omnibus ecclesiis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, Sac. Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita sub die 30 Augusti 1738 censuit suppli-

candum Sanctissimo pro declaratione ejusdem privilegii, illudque confirmari, et, quatenus opus fuerit, de novo concedi: itemque communicari ad omnes ecclesias Conventuum Fratrum Carmelitarum Calceatorum tam erectas quam erigendas. Et facta de praedictis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione sub die 10 Septembris ejusdem anni, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia.

L. Episc. Albanen. Card. Picus, Praef.
Joannes Archiep. Tyri, Secret.

116.

1739 22 Maji. Sodalitas de Poenitentia D. N. J. C.

Bononien. Celebris fidelium Sodalitas, sub invocatione Poenitentiae D. N. J. C. Bononiae canonice erecta, post impetratas a s. m. Gregorio XIII. sub die 5 Aprilis 1578 ac sub die 20 Novembris 1579 quamplures indulgentias, stylum tamen hujusmodi concessionum non excedentes, alias subinde a s. m. Gregorio XV. sub die 23 Junii 1623 (et quidem uberiores) obtinuit. Verum, quia posterior indulgentiarum concessio adjectam habet clausulam sequentem: *Volumus autem, ut, si alias praedictis confratribus praemissa peragentibus aliquae aliae indulgentiae perpetuae, vel ad tempus nondum elapsum duraturae concessae fuerint, praesentes literae nullae sint*, suborto dubio super valore et subsistentia dictarum indulgentiarum, supplicat eadem Sodalitas SSmo D. N., ut praevia revocatione quarumcumque indulgentiarum novas in recenti Summario insertas, etiam cum facultate applicandi defunctis per modum suffragii, necnon alias gratias spirituales concedere dignetur. Summarium continet primo duas plenarias singulis mensibus a confratribus lucrandas, praeter quamplures partiales tercentum ac biscentum dierum pro certis piis operibus ab eisdem confratribus exercendis. Insuper plenariam tam pro confratribus, quam pro aliis Christifidelibus spatio tridui in oratorio Confraternitatis spiritualibus exercitiis vacantibus, ac facultatem cuilibet confessario dandam, eosdem absolvendi ab omnibus reservatis, exceptis contentis in Bulla Coenae eisdemque commutandi omnia vota praeter reservata Summo Pontifici. Alteram

denique facultatem pro directore exercitiorum spiritualium ultima die tridui tam praefatis confratribus quam aliis Christifidelibus praemissa exercitia spiritualia peragentibus impertiendi Benedictionem Apostolicam. Requisitus Eminentissimus Archiepiscopus de informatione et voto, hujus Confraternitatis institutum commendans, potissimum quotidie vacandi sacrae meditationi necnon saepius sacras functiones charitatisque officia exercendi, annuendum existimat petitioni confratrum. Huic tamen obstare videtur praxis Apostolicae Sedis, quae non solet alias indulgentias praeter consuetas Confraternitatibus concedere, addendo in aliquo casu nonnullas, et quidem moderatas. Resolvenda itaque proponuntur EE. VV. sequentia dubia: 1° *An concedendae sint praefatae indulgentiae Confraternitati sub titulo Poenitentiae D. N. J. C., praevia revocatione aliarum indulgentiarum?* 2° *An cuilibet simplici confessario ex approbatis ab Ordinario danda sit facultas, tum absolvendi a reservatis, exceptis contentis in Bulla Coenae, confluentes ad exercitia spatio tridui explenda, tum eisdem commutandi vota, praeter reservata Summo Pontifici?* 3° *An sit concedenda facultas directori spiritualium exercitiorum ultima die tridui, cunctis eisdem vacantibus impertiendi Benedictionem Apostolicam?* Sac. Congregatio die 22 Maji 1739 respondit: *Ad* 1m: *Gaudeant impetratis.* Ad 2m et 3m: *Negative.*

117.

1740 7 Januarii. **Indulg. pro sex Dominicis in honorem S. Aloysii.**

Societatis Jesu. Cum nuper[1]) SSmus D. N. de consilio Sacrae Congregationis Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae fidelibus utriusque sexus, qui sex Dominicas dies continuas ante festum S. Aloysii Gonzagae, sive alias per annum vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti piis meditationibus aut orationibus aliisve christianae pietatis operibus ad ejusdem Sancti honorem ac Dei gloriam vacando sanctificaverint, plenariam peccatorum suorum indulgentiam concesserit, quaerentibus postea quibusdam, num pro omnibus simul dictis sex Dominicis, an potius pro sin-

[1]) Scilicet die 11 Decembris 1739. Indulgentias pro ipso die festo S. Aloysii a Summis Pontificibus concessas vide in *Raccolta* pag. 324 edit. anni 1877.

gulis talis indulgentia fuerit concessa, relato per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Cardinalem Praefectum hujusmodi dubio, Sanctitas Sua ad fovendam erga eumdem Sanctum miram ob tot gratias tum spirituales tum temporales populorum devotionem benigne declaravit, dictam indulgentiam pro singulis concedi, idque in decreto exprimi mandavit. Die 7 Januarii 1740.

L. Episc. Albanen. Card. **Picus**, Praef.
Joannes Archiep. Tyri, Secret.

118.

1741 7 Martii. Indultum pro infirmis.

Carmelitae discalceati. Beatissime Pater! Procurator Generalis Carmelitarum discalceatorum Congregationis Italiae humiliter petit a Sanctitate Vestra, ut benigne concedere dignetur, ut tam Religiosi quam Religiosae dicti Ordinis praesentes et futuri, cum infirmitate detenti non possint egredi e cubiculis, in eisdem orantes acquiri possint easdem indulgentias, quas acquirerent visitando ecclesiam Ordinis. Pro qua gratia etc. Ex Audientia SSmi diei 7 Martii 1741. SSmus benigne annuit pro gratia indulgentiarum, de quibus in precibus, lucrandis tempore infirmitatis juxta petita.

Jot. Livizzani, Secret.

119.

1741 31 Maji. Altare privilegiatum.

Ad humillimas preces Fr. Leopoldi Pii Sormani, Vicarii Generalis Ordinis S. Joannis de Deo Congregationis Italiae, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. sub die 31 Maji 1741 benigne in perpetuum indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae in vim statutorum Ordinis praefati celebrari solent pro ejusdem Religiosis ab hac luce migrantibus, ad quodcumque altare ecclesiarum Ordinis et Congregationis ejusmodi in Italia, Gallia, Germania et Polonia sive erectarum, sive in posterum erigendarum celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Datum etc.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

120.

1741 15 Julii. **Altare privilegiatum.**

Patavina. Ad humillimas preces Leonorae Badoer, Abbatissae, ac Monialium monasterii et Ordinis S. Benedicti civitatis Patavinae, Episcopi tamen jurisdictioni subjectarum, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. privilegium quotidianum perpetuum pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, concessum altari ejusdem S. Benedicti, ac omnibus altaribus in obitu vel alio die pro singulis Religiosis decedentibus a fel. rec. Clemente XII. sub die 6 Martii 1739 in omnibus ecclesiis Monachorum Congregationis Cassinensis et Monialium sub eorum gubernio, cura et jurisdictione existentium, sub die 15 Julii 1741 altari S. Benedicti et omnibus respective altaribus ecclesiae praefati monasterii S. Benedicti benigne communicavit.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

121.

1741 11 Augusti. **Missa privilegiata.**

Ordinis S. Birgittae. Ad humillimas preces Fr. Pauli Miller, Procuratoris Generalis Ordinis S. Birgittae, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. benigne indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae juxta ejusdem Ordinis constitutiones pro anima cujuslibet Fratris ac Monialis ejusmodi Ordinis sub cura et gubernio eorumdem Fratrum existentis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabuntur, animae hujusmodi, pro qua ad quodlibet altare ecclesiarum Fratrum ac Monialium praedicti Ordinis in eorum, vel earum obitus, vel alia die celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae etc.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

122.

1741 23 Septembris. Portiuncula.

Monialium Instituti S. Clarae Ordinis Minorum S. Francisci. SSmus D. N. Benedictus XIV. sub die 23 Septembris 1741 audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, habitae die 19 ejusdem mensis et anni, ecclesias Sanctimonialium Instituti S. Clarae, Ordinis Minorum S. Francisci indulgentia Portiunculae die 2 Augusti a primis Vesperis usque ad solis occasum, sicuti gaudent ecclesiae Fratrum ejusdemmet Ordinis, gaudere, benigne declaravit, eamque, quatenus opus sit, nova concessione confirmavit.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

123.

1741 18 Octobris. Denegatur FF. Capucinis et presbyteris Congr. Matris Dei facultas benedicendi coronas S. Birgittae.

Supplicantibus Fratribus Missionariis Ord. Min. Capucinorum in Provincia Helvetica degentibus, ut locorum Guardianis ac respectivis hospitiorum eorumdem Fratrum in Provincia praefata existen. Superioribus concederetur facultas benedicendi et distribuendi cum adnexis indulgentiis Coronas seu Rosaria S. Birgittae, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, habita die 19 Septembris 1741, audito Procuratore Generali Ordinis S. Birgittae ejusque rationibus mature examinatis, ac attento decreto negativo ipsimet instantiae sub die 3 Octobris 1739 ab eadem Sac. Congregatione jam emanato, iterum respondit: *Negative et acquiescant.* Proposita pariter simili instantia pro parte presbyterorum Congregationis Matris Dei, Collegii S. Birgittae civitatis Neapolitanae, et audito quoque praefato Procuratore Generali Ordinis S. Birgittae, eadem Sac. Congregatio sub die praedicta rescripsit: *Negative.* Et facta de praefatis omnibus per me infrascriptum Secretarium sub die 18 Oct. 1741 SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne votum ejusdem Sac. Congregationis approbavit.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

124.

1741 18 Octobris. Indulgentia pro festo S. Francisci de Paula.

Ordinis Minorum S. Francisci de Paula. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, habita die 19 Septembris 1741, declaravit, reformationem Missae et Officii S. Francisci de Paula a S. R. C. sub die 23 Januarii 1740 pro toto Ordine ejusmodi ac regno Siciliae emanatam non obstare, quin omnes et singuli Christifideles, qui Missam et Officium ejusmodi in festo et per octavam ejusdem S. Francisci de Paula devote celebraverint, vel recitaverint, indulgentiam centum dierum in singulis diebus praefatis a s. m. Clemente VII. sub die 17 Maji 1528 concessam lucrari possint et valeant. Et facta de praedictis sub die 18 Octobris ejusdem anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua declarationem benigne approbavit.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

125.

1741 18 Octobris. Altare privilegiatum.

Cremonen. Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, habita die 19 Septembris 1741, censuit, privilegium altari majori ecclesiae Fratrum Carmelitarum excalceatorum civitatis Cremonen. ex vi indulti sub die 9 Octobris 1738 altari per respectivos locorum Ordinarios eligendo in omnibus ecclesiis Ordinis praedicti a s. m. Clemente XII. generaliter emanati concessum, de consensu Ordinarii ad altare Beatissimae Virginis de Monte Carmelo transferri posse, hocque sic decoratum vigore primaevae concessionis destinatum in perpetuum habendum esse. Et facta de praefatis omnibus sub die 18 Octobris ejusdem anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua resolutionem benigne approbavit.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

126.

1741 18 Octobris. Altare privilegiatum.

Passavien. Ad humillimas et enixas preces D. Joann. Georgii Wismayr, Abbatis ecclesiae collegiatae S. Floriani Canonicorum Regularium S. Augustini prope Lincium, dioecesis Passaviensis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, habitae die 19 Septembris 1741, et ad formam Brevis septimo Kalendas Aprilis 1729 a s. m. Benedicto XIII. Canonicis Regularibus Congregationis S. Salvatoris emanati, ut quandocumque sacerdos aliquis Canonicus Regularis ecclesiae collegiatae praefatae sacrosanctum Missae sacrificium pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare ab Abbate praedicto designandum, quod semel designatum amplius mutari nequeat, in ecclesia praefata celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne indulsit et concessit. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum in Arce Gandulphi, Albanen. Dioecesis, die 18 Octobris 1741.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

127.

1741 18 Octobris. Altare privilegiatum.

Ordinum Minorum S. Francisci et Eremitarum S. Augustini. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, habita die 19 Septembris 1741, declaravit, concessiones altaris privilegiati pro omnibus juxta numerum, sive absque numero Missarum in ecclesiis Fratrum Ordinum Minorum S. Francisci, et Eremitarum S. Augustini, attento generali indulto, quo ecclesiae hujusmodi jam in perpetuum gaudent, expediendas esse per extensionem, et non aliter. Et facta de praedictis sub die 18 Octobris

ejusdem anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua declarationem benigne approbavit.

L. Card. Picus, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

128.

1741 25 Novembris. Indulg. pro die 14 Decembris in ecclesia FF. Minor. de Observ. Pulchri Montis.

Taurinen. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. universis et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui die decimaquarta Decembris a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi ecclesiam FF. Minorum S. Francisci de Observantia nuncup. Conventus Pulchri Montis Deiparae nuncup. Taurinensis dioecesis devote visitaverint ac inibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam, quam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant, benigne concessit atque indulsit. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae die 25 Novembris anno 1741.

L. Card. Picus, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

129.

1741 23 Decembris. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Birgittae. Ad humillimas et enixas preces Fr. Pauli Miller, Procuratoris Generalis Ordinis S. Birgittae, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. volens omnes et singulas ecclesias ejusmodi Ordinis, utpote plerasque inter vel prope haereticos aut ultra montes erectas, in quibus nullum vel aliquod altare in perpetuum, vel ad tempus nondum elapsum privilegio decoratum forsan existit, quod per praesentes Apostolica auctoritate revocavit, ac in eisdem situm altare ejusdem S. Birgittae hoc speciali dono illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis aut Instituti regularis, Missam pro anima

cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare praefatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae die 23 Decembris anno 1741.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

130.

1742 10 Januarii. Communicatio bonorum spiritualium.

Monachorum Ordinis S. Antonii Congregationis S. Isaiae in Syria. Ad humillimas et enixas preces Abraham Gonsaf, Abbatis Generalis, et Petri Ataja, Procuratoris pariter Generalis Monachorum Ordinis S. Antonii Abbatis Congregationis S. Isaiae in Syria, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. iisdem Abbati et Procuratori, atque existentibus pro tempore Abbatibus ac Procuratoribus Ordinis et Congregationis hujusmodi Generalibus facultatem recipiendi in filios spirituales ejusdem Ordinis et Congregationis quoscumque utriusque sexus Christifideles, hosque participes faciendi omnium Missarum, orationum, divinorum Officiorum, praedicationum, obedientiarum, mortificationum, jejuniorum, peregrinationum, vigiliarum, regularium observantiarum, poenitentiarum, exercitiorum spiritualium, ceterorumque omnium et singulorum bonorum ac piorum operum, quae, Deo adjuvante, in universa ejusmodi Congregatione quomodocumque peraguntur, benigne concessit, atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae die 10 Januarii 1742.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

131.

1742 27 Januarii. Archiconfraternitas sac. Stigmatum.

Urbis. Plures olim Summi Pontifices, et praesertim s. m. Paulus V., Clemens XI. ac Benedictus XIII. Archiconfraternitati Sacrorum Stigmatum S. Francisci ac illius confratribus et consororibus, ejusque ecclesiae de Urbe indulgentias, alias scilicet solis sodalibus, et alias universis Christifidelibus, rursus alias ob visitationem ecclesiae, et alias ob quaedam pia opera inibi explenda in perpetuum vel ad tempus concesserant. Cum autem, sicut eadem Archiconfraternitas enixis precibus SSmo D. N. humillime porrectis et ab Eadem Sanctitate Sua ad Sacram Congregationem Indulgentiarum et Sac. Reliquiarum remissis, exponebat, quod omnes et singulas indulgentias ejusmodi in perpetuum respective confirmari, vel commutari, necnon Archiconfraternitati Chordigerorum ejusdem S. Francisci nuncupatae de Assisio concessas, sibi extendi, vel ex integro concedi, cum facultate ceteris Confraternitatibus sub Sacrorum Stigmatum, seu alia quacumque denominatione ejusdem S. Francisci Assisinatis canonice ubicumque terrarum erectis vel in posterum erigendis eidem Archiconfraternitati legitime jam aggregatis vel in futurum aggregandis, illas communicandi summopere desideret; ideo rite examinatis examinandis, ac servatis de stylo servandis referente me subscripto ejusdem Sacrae Congregationis Secretario, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. eamdem Archiconfraternitatem, utpote quotidianis fere officiis charitatis deditam, specialibus favoribus prosequi volens, revocando, commutando, extendendo, vel ex integro respective concedendo, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui dictam Archiconfraternitatem ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi et S. Communione refecti fuerint plenariam; ac ipsis confratribus et consororibus in Archiconfraternitate ejusmodi, tam pro tempore describendis, quam jam descriptis in cujusvis eorum mortis articulo, quatenus vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, vel, si id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde saltem

invocaverint, similiter plenariam. Necnon ipsismet nunc et pro tempore existentibus Archiconfraternitatis praefatae confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus, confessis ac S. Communione refectis, qui Archiconfraternitatis ecclesiam vel cappellam seu oratorium die 4 Octobris, festo ejusdem S. Francisci a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et inibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem benigne concessit. Insuper ejusdem confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, et S. Communione refectis, qui saepedictae Archiconfraternitatis ecclesiam, vel cappellam, seu oratorium in SS. Quadraginta Martyrum, dedicationis ecclesiae Archiconfraternitatis hujusmodi, ac Purificationis et Assumptionis B. M. Virginis festivitatibus a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, quo die praefatorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas, necnon eisdem confratribus et consororibus, saltem contritis, qui SS. Eucharistiae Sacramentum, tam in processionibus, per dictam Archiconfraternitatem de licentia Sedis Apostolicae faciendis, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque et quandocumque pro tempore defertur, comitati fuerint, quinque annos et totidem quadragenas: si vero impediti fuerint, signo campanae ad id dato quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam, Deum pro infirmi salute deprecando recitaverint, centum dies, quoties vero Missis et aliis divinis Officiis ac orationibus, et piis exercitiis in dictae Archiconfraternitatis ecclesia, vel cappella, seu oratorio pro tempore celebrandis, recitandis et peragendis interfuerint, vel peccatores ad meliorem frugem reduxerint, aut pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, aut pauperes hospitio susceperint, aut carcere, vel infirmitate detentos visitaverint, illosque piis consiliis, vel aliqua eleemosyna, si sint pauperes, sublevarint, aut ignorantes praecepta Dei ad salutem neces-

saria docuerint, aut etiam qui corpora defunctorum, tam confratrum et consororum Archiconfraternitatis hujusmodi, quam aliorum, ad sepulturam associaverint, aut quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam pro animabus confratrum et consororum ejusdem Archiconfraternitatis defunctorum recitaverint, toties pro quolibet operum praefatorum centum dies. Qua pariter die ecclesiam vel capellam seu oratorium Archiconfraternitatis praedictae visitaverint, vel, si legitime impediti, quinquies Orationem Dominicam et quinquies Salutationem Angelicam et toties Versiculum „Gloria Patri“ ad honorem quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi et S. Francisci devote dixerint, quinque annos et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxavit. Insuper iisdem confratribus et consororibus praedictae Archiconfraternitatis, qui diebus in Missali Romano ad Stationum indulgentias acquirendas descriptis ejusdem Archiconfraternitatis ecclesiam, vel capellam, seu oratorium visitaverint, ut easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur, si iisdem diebus ecclesias de Urbe vel extra ejusdem muros in Missali Romano expressas visitarent, clementer indulsit. Iis vero ex praefatis confratribus et consororibus, qui orationem mentalem saltem per duos quadrantes horae peregerint, qua die id egerint, centum dierum, si vero per integrum mensem quotidie eamdem orationem fecerint, et una die ejusdem mensis ad cujusque libitum eligenda vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti fuerint, septem annorum totidemque quadragenarum. Si autem quotidie orationem praefatam per annum completum continuaverint, et una pariter die ad cujuslibet arbitrium eligenda, si vere poenitentes confessi ac S. Communione refecti fuerint, plenariam indulgentiam concessit. Ut praefati confratres et consorores participent de omnibus orationibus, disciplinis, jejuniis, peregrinationibus, mortificationibus, poenitentiis, indulgentiis ac piis operibus, ceterisque bonis spiritualibus per Fratres totius Ordinis S. Francisci peragendis, vel respective quomodolibet acquirendis, ac omnes et singulas praefatas indulgentias, ac poenitentiarum rela-

xationes animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari valeant, similiter indulsit. Utque Archiconfraternitas praefata Confraternitatibus aggregatis, ac in posterum aggregandis omnes et singulas indulgentias et gratias supradictas, servata tamen forma Constitutionis fel. record. Clementis PP. VIII super modo et forma aggregandi Confraternitates editae, communicare libere possit, facultatem concessit. Omnibus autem et singulis confratribus et consororibus Archiconfraternitatis praefatae, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, Dominica tertia cujuslibet mensis ante Vener. Eucharistiae Sacramentum in ecclesia ejusdem Archiconfraternitatis expositum preces per aliquod temporis spatium ad Deum effuderint, qua Dominica praedictarum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam impertitur. Quoties vero pariter confessi ac S. Communione refecti infirmos in xenodochio S. Joannis Laterani diebus ad id destinatis visitaverint, illisque inservierint, septem annos et totidem quadragenas. Qui saltem contriti solemni benedictioni aquae lustralis singulis annis in pervigilio seu die festo Epiphaniae Domini Nostri Jesu Christi in ecclesia dictae Archiconfraternitatis ritu latino celebrari solitae devote interfuerint, ac ibi de more Deum oraverint, bis centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta, relaxavit. Insuper omnibus et singulis Christifidelibus vere poenitentibus confessis et S. Communione refectis, qui die secunda Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi, et in festo Sac. Stigmatum S. Francisci a primis Vesperis singulis diebus intra illius octavam ecclesiam dictae Archiconfraternitatis devote visitaverint, aut processioni intra eamdem octavam per ipsam Archiconfraternitatem fieri solitae interfuerint, qua die praefatarum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, semel praedicta die 2 Augusti et semel spatio octidui praefati per unumquemque eamdem ecclesiam, ut praefertur, visitantem vel processioni interessentem lucrifaciendam, et ut etiam postremas has omnes indulgentias animabus fidelium defunctorum per modum suffragii appli-

care, non autem nisi plenariam in festo tantummodo Sac. Stigmatum a primis Vesperis usque ad occasum solis diei ejusmodi aliis Confraternitatibus aggregatis, vel aggregandis communicare valeant, benigne concessit. Voluitque Sanctitas Sua omnium et singularum indulgentiarum praefatarum Summarium ab eadem Sac. Congregatione approbandum confici, et aliud tantummodo indulgentiarum, quibus ceterae sodalitates aggregatae, vel aggregandae per praedictam concessionem gaudent, ac iisdem in actu aggregationis seu confirmationis exemplum pariter, ut praefertur, approbatum, decerni, hocque decretum absque ulla Brevis expeditione suffragari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Datum Romae die 27 Januarii 1742.

A. Card. S. Clementis.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

132.

1742 10 Martii. Altare privilegiatum.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. ad humillimas preces Visitatoris perpetui Ordinis S. Benedicti per Bohemiam, Moraviam et Silesiam in perpetuum indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae pro animabus Monachorum, clericorum et laicorum, necnon Monialium praefati Ordinis monasteriorum, Visitatori perpetuo praedicto per Bohemiam, Moraviam et Silesiam subjectorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, ad quodcumque altare in eorum, vel earum respective ecclesiis tam erectis, quam in posterum erigendis juxta eorum, sive earum constitutiones celebrabuntur, animae, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Voluitque hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 10 Martii 1742.

L. Card. Picus, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

133.

1742 12 Aprilis. Festum S. Aloysii.

Cum ex decretis fel. mem. Benedicti PP. XIII. 22 Nov. 1729 et Clementis PP. XII. 21 Novembris 1737 concessa et confirmata in perpetuum reperiatur indulgentia plenaria universis utriusque sexus Christifidelibus rite visitantibus ecclesiam sive altare, ubicumque festum S. Aloisii Gonzagae fieri contigerit; festum autem hujusmodi ob eximiam et universalem erga Sanctum miraculorum fama ubique illustrem populorum devotionem, saepenumero in unius et ejusdem, etiam non magnae civitatis, quam pluribus ecclesiis et aliis locis sacris, magna cum solemnitate ac populi concursu et Sacramentorum frequentia celebretur, atque adeo commode non possit ubique uno eodemque anniversario ejus die 21 Junii, sed pluribus dumtaxat, et quidem successive diebus celebrari, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. memoratam indulgentiam benigne ampliandam censuit, ad diem pro dictis festis cum Officio et Missa de Sancto, in singulis locis ejusmodi ab Ordinariis eorumdem opportune designandam. Cumque per eadem decreta eumdem Sanctum Benedictus idem constituerit, idemque Clemens confirmaverit in omnibus et singulis Universitatibus, Gymnasiis aut Collegiis generalium vel non generalium studiorum Societatis Jesu Patronum principalem, ideoque Officio et Missa sub ritu duplici primae classis cum octava, juxta Breviarii Romani rubricas, honorandum, Sanctitas Sua eumdem ritum in reliquis etiam ejusdem Societatis domibus, quae admodum paucae sunt, uniformitatis gratia servari mandavit. Hac die 12 Aprilis 1742.

A. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

134.

1742 18 Junii. Communio generalis.

Provinciae Japonen. et Viceprovinciae Sinen. Nuper pro parte Missionariorum Societatis Jesu in provincia Japonen. et viceprovincia Sinen. degentium expositum fuerat, fieri non posse, ut omnes et singuli illarum regionum neo-

phiti Communionis generalis indulgentiam ab Apostolica Sede jam concessam lucrentur, si una eademque Dominica dies pro omnibus simul pagis ad hujusmodi fines designata sit, imo et pari modo attentis circumstantiis, quibus aliquando et pluries eas ob populorum commoditatem ipsorumque Missionariorum solatium variare contingit, ejusmodi beneficio frui nequibunt, si una Dominica pro uno, altera pro alio pago sit firmiter et immutabiliter determinata, cum ob locorum distantiam ad Ordinarios seu Vicarios Apostolicos recursus frequenter haberi nequeat: ideo precibus super his Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae humillime porrectis, ut iisdem Missionariis facultas concedatur, ejusmodi dies Dominicas ad praefatam Communionis generalis indulgentiam acquirendam, variandi quotiescumque id occurrentes circumstantiae postulaverint, eadem Sac. Congregatio sub die 21 Maji 1742 censuit, indulgendum esse, ut praefati Missionarii in ejusmodi provinciis degentes quamlibet ad eorum arbitrium Dominicam pro hujusmodi Communione generali eligere, ac indulgentiam consequi valeant, dummodo tamen Breve una saltem vice, tam pro publicatione concessionis, quam confirmationis hujusmodi Ordinario seu Vicario Apostolico pro assensu obtinendo exhibeant, servata in reliquis forma primae concessionis. Et facta de praedictis omnibus sub die 18 Junii ejusdem anni Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua benigne approbavit atque indultum concessit.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

135.

1742 15 Julii. Altare privilegiatum.

Ordinis Capucinorum. Ad humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupat. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. sub 15 Julii 1742 benigne in perpetuum indulsit, ut Missae, quae juxta constitutiones, et a sacerdotibus ejusdem Ordinis in obitu cujuslibet Fratris Ordinis praedicti, vel alio die pro ejusdem anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migra-

verit, ad quodcumque altare ecclesiarum praedicti Ordinis tam erectarum, quam erigendarum celebrabuntur, animae, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

136.

1742 18 Julii. **De benedictione coronarum septem dolorum B. M. V.**

Ordinis Servorum B. M. V. Sacra Congregatio habita die 21 Junii 1742 ad humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. censuit, concedendam esse facultatem deputandi ad ejus libitum in locis, ubi ejusmodi Ordo seu Ordinis Conventus non existat, Rectores vel Conrectores, aut Priores, seu Praesidentes Confraternitatum sub invocatione B. M. V. Septem Dolorum canonice ubilibet erectarum et in posterum erigendarum, sive parochos, in quorum ecclesiis aut jurisdictione ejusmodi Sodalitates institutae reperientur, qui coronas cum applicatione indulgentiarum pro ipsis tantummodo confratribus et consororibus Sodalitatum hujusmodi benedicere valeant, ita, ut iidem confratres et consorores coronas sic a deputatis ejusmodi benedictas recitantes eas indulgentias perinde consequantur, ac si coronas ipsas a FF. sacerdotibus Ordinis praedicti benedictas recitassent; servato in distribuendis ejusmodi coronis earumque usu Decreto fel. rec. Alexandri VII., edito sub die 6 Februarii 1657, nimirum, ut hujusmodi coronae cum praedictis indulgentiis benedictae non transeant personam illorum, quibus prima vice concedentur aut distribuentur, nec commodari aut vendi aut precario dari valeant, alioquin careant indulgentiis jam concessis, et, aliqua deperdita, altera pro ea nullo modo subrogari possit, nisi a quibus supra, benedicta fuerit, quacumque concessione aut privilegio in contrarium non obstante. Et facta de praedictis omnibus et singulis sub die 18 Julii ejusdem anni per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro relatione Sanctitas Sua benigne annuit.

A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

137.

1742 19 Septembris. Indulgentia in articulo mortis crucifixo cujusdam parochi annexa.

Ex audientia SSmi die 19 Septembris 1742. SSmus, ut quotiescumque Orator particularem Jesu Christi D. N. Crucifixi imaginem, quam semel electam amplius mutare nequeat, ad quemcumque Christifidelem intra limites suae paroeciae, in articulo mortis constitutum, non autem in praesentia Episcopi aut ubi aliquis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis praevenerit, pie deferet, si hic vere poenitens et confessus ac Sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus Nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus, corde devote invocaverit, imaginem hujusmodi a praefato Oratore, non autem ab alio porrectam, osculatus fuerit, seu tetigerit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequatur, benigne concessit.

138.

1742 19 Septembris. Altare privilegiatum.

Ordinis Minorum Capucinorum. Nuper SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. sub die 15 Julii 1742 in perpetuum concessit, ut Missae, quae juxta constitutiones Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupat. ab ejusdem sacerdotibus in obitu cujuslibet Fratris hujusmodi ab hac luce migrantis, vel alio die ad quodcumque altare ecclesiarum Ordinis ejusmodi tam erectarum, quam in posterum erigendarum celebrabuntur, suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Cum vero, sicut modernus Procurator Generalis Ordinis praefati humillime exponebat, omnes et singuli sacerdotes tres Missas pro anima cujuscumque Summi Pontificis, et Cardinalis Protectoris, ac Imperatoris, atque Regis, necnon illorum, qui Superiores Majores ejusdem Ordinis fuerunt, qui e vivis decesserint, celebrare soleant, ac privilegium pro illis ad quodlibet altare ecclesiarum Ordinis hujusmodi ad septennium semel vel pluries obtentum fuerit, ideo praedicto Procuratore Generali supplicante, Eadem Sanctitas Sua sub die 19 Septembris ejusdem anni indultum praefatum pro tribus enuntiatis

Missis ad quodcumque altare ecclesiarum praefatarum in perpetuum benigne extendit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.

L. Card. **Picus**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

139.

1744 16 Decembris. Altare privilegiatum.

Constantien. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 12 Decembris 1744 declaravit, ecclesiam Monachorum Ordinis Cisterciensis monasterii *de Porta Coeli* nuncupat. in Termeback, Constantiensis dioecesis, provinciae Moguntinae, gaudere in perpetuum privilegio quotidiano ad altare vel Beatissimae Virgini Mariae, vel S. Bernardo, vel utrique dicatum, pro anima cujuscumque Christifidelis ab hac luce in Domino migrantis, et indulto ad omnia altaria in cujuslibet presbyteri vel clerici, aut laici monasterii praefati obitu, aut alia die pro Missis, quae juxta eorum constitutiones pro ipsorum anima celebrari solent, prout gaudent universae ecclesiae Monachorum Ordinis Cisterciensis ex Brevibus die 5 Aprilis 1743 obtentis, dummodo idem Institutum profiteantur. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 16 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

140.

1745 13 Februarii. Indulg. pro ecclesiis Monialium Ord. Eremit. S. Augustini.

Monialium Ordinis Eremitarum S. Augustini. Cum SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. die 10 Maji 1743 per Breve incipien. *Commissae Nobis* omnibus Christifidelibus confessis et S. Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Ordinis Eremitarum S. Augustini ubicumque erectis vel erigendis, in festis Nativitatis Dominicae, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes et Annuntiationis ac Assumptionis B. M. V., necnon die, qua festum ejusdem B. V. de Consolatione nun-

cupat. in dictis ecclesiis celebratur, devote visitaverint, ibique, ut fusius in eodem Brevi continetur, oraverint, indulgentiam plenariam concesserit, ac insuper indulserit, ut singuli Priores pro tempore existentes Conventuum, aut alii Fratres ejusdem Ordinis ab ipsis Prioribus deputandi in praedictis festivitatibus et die Christifideles ad easdem ecclesias accedentes, qui praemissa peregerint, nomine Sanctitatis Suae benedicere possent, Moniales dicti Ordinis monasterii S. Augustini civitatis Mantuanae Ordinario tamen subjectae, dubitantes, an et ipsae ejusmodi indulgentiis et facultate respective gaudere tuto valeant, humillimas SSmo preces porrexerunt, ut easdem indulgentias etiam favore proprii monasterii declarare vel concedere, dictamque facultatem ad suum pro tempore existentem confessarium communicare dignaretur. Hujusmodi autem precibus ab eadem Sanctitate Sua ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam remissis, eadem Sacra Congregatio, re mature perpensa, die 9 Februarii 1745 censuit, *supplicandum esse SSmo pro concessione indulgentiae plenariae dumtaxat pro Monialibus in sex festis enuntiatis;* quo vero ad Benedictionem rescribendum esse: *Negative.* De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 13 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit, ipsamque concessionem et declarationem ad reliqua hujusmodi Monialium monasteria extendit.

L. Card. de **Hieronymis**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

141.

1745 10 Aprilis. **Pia quaedam exercitia ultimo triduo majoris hebdomadae.**

Cum Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae humillime expositum fuerit, tribus diebus, scilicet feria V. in Coena Domini, ac Parasceve et Sabbato sancto, quibus incruenta Sanctissimi Corporis et Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacrificia ex ecclesiasticae disciplinae instituto offerri minime possunt, quoddam pium exercitium in Urbe et in aliquibus Italiae locis introductum

inveniri sub hac lege, ut quisque spatio saltem unius horae omnibus ac singulis praefatis diebus orationi mentali vel vocali in suffragium animarum in purgatorii poenis degentium vacare debeat, ut, quo tempore ipsae fidelium defunctorum animae suffragiis ex Missarum celebratione provenientibus destituuntur, alia, qua potest ratione valeant adjuvari, eadem Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1745, re mature perpensa, ad laudabile hujusmodi institutum confovendum, omnibus et singulis utriusque sexus in Urbe ac in Italia Christifidelibus, qui, saltem corde contriti diebus in Coena Domini ac Parasceve et Sabbato sancto, orationi mentali vel vocali in suffragium fidelium defunctorum unam saltem horam devote impenderint, indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum animabus fidelium defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 10 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis approbando benigne annuit.

C. Card. de **Hieronymis**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

142.

1745 10 Aprilis. Altare privilegiatum.

Ordinis Minorum Capucinorum. Cum SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. sub die 15 Julii 1742, ut Missae, quae juxta constitutiones Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum nuncupat., ab ejusdem sacerdotibus in obitu cujuslibet sacerdotis vel clerici, aut laici Ordinis hujusmodi ab hac luce migrantis, vel alia die celebrantur, ad quodcumque altare ecclesiarum ejusdem Ordinis tam erectarum, quam in posterum erigendarum celebrentur, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent, in perpetuum concesserit, ac inde hujusmodi indultum sub die 19 Septembris ejusdem anni ad tres Missas, quas singuli sacerdotes praedicti Ordinis pro anima cujuscumque Summi Pontificis et Cardinalis Protectoris ac Imperatoris atque Regis, necnon illorum, qui Superiores Majores ejusdem Ordinis fuere, qui e vivis decesserint, celebrare solent, benigne extenderit; demum supplicante Procuratore Generali ipsius-

met Ordinis, eamdem gratiam etiam ad unam Missam, quae a sacerdotibus Ordinis hujusmodi pro anima suorum respective parentum ab hac vita migrantium celebretur, extendi, ac hujusmodi precibus Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae relatis, eadem Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1745 idem indultum etiam pro unica hujusmodi Missa ad quodlibet altare ecclesiarum dicti Ordinis in perpetuum concedendum esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 10 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia.

C. Card. de **Hieronymis**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

143.

1746 4 Februarii. De altari privilegiato.

Papien. Cum Praepositus Joannes Capelli universorum suorum bonorum ex testamento anno 1702 stipulato Congregationem Pietatis nuncupatam in ecclesia S. Ambrosii civitatis Papiensis erectam et Archiconfraternitati S. Hieronymi Charitatis Urbis aggregatam haeredem instituerit, imposito tamen onere, altare privilegiatum quotidianum perpetuum ab Apostolica Sede obtinendi, ac ideo officiales dictae Congregationis pro hujusmodi privilegio, quibuscumque non obstantibus impetrando, humillime supplicari fecerint; datis super hujusmodi instantia a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita ad Ordinarium litteris, ac habita praeter expositorum confirmationem inter cetera relatione, ipsam Pietatis Congregationem ex allegato instrumento teneri ad celebrari faciendum in perpetuum totidem Missas redditibus ex illius haereditate percipiendis correspondentes ad unum altare ecclesiae ipsius Congregationis privilegiatum, ac Missas tercentum in suffragium animae ejusdem Praepositi Capelli singulis bienniis in ipsa ecclesia celebrari; Sacra eadem Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum Congregatio, re mature perpensa, die 31 Januarii 1746 censuit, indulgendum esse in perpetuum, ut Missae praefatae tantum in perpetuum legatae, quae pro anima ejusdem Praepositi Capelli, ad quodlibet altare ecclesiae Congregationis praedictae celebrabuntur, animae ejusmodi perinde suffragentur,

ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 4 Februarii ejusdem anni SSmo D. relatione, Sanctitas Sua benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

144.

1746 28 Septembris. Designatio altaris privilegiati.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 23 Septembris 1746 censuit, indulgendum esse, ut Abbas Canonicorum Regularium Lateranensium Monasterii S. Leonardi extra muros civitatis Veronensis altare praedicti S. Leonardi pro altari Sancti Ubaldi, quod in eorum ecclesia non reperitur erectum juxta Breve diei 18 Decembris 1743 designare valeat, servato in reliquis ipsius tenore Brevis. De quibus facta per me infrascriptum hujusmodi Sac. Congregationis Secretarium die 28 ejusdem mensis Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

145.

1747 21 Januarii. De translatione festivitatum et indulgentiarum.

Ordinis Carmelitarum regni Poloniae. Cupientes PP. Carmelitae antiquae Observantiae provinciae Russiae dies festos SS. Eliae, Angeli Martyris, Alberti Confess., Simonis Stocki, Andreae Corsini, Theresiae ac Mariae Magdalenae de Pazzis majori cum affluentia populorum celebrare, a Sacra Rituum Congregatione illos transferri obtinuerunt ad dies Dominicas proxime sequentes. Ut autem hujusmodi festivitates majori etiam cum animarum emolumento agantur, ab ista Sacra Congregatione plenariam indulgentiam pro unaquaque ex dictis festivitatibus iidemmet PP. Carmelitae petunt. Exaudiri confidunt Oratores ex eo potissimum, quod antedictae indulgentiae petuntur pro Sanctis praecipuis Ordinis, pro quibus Sacra Congregatio hasce spirituales gratias passim solet concedere, eo vel maxime, quia non agitur de

novis concedendis indulgentiis, sed de transferendis jam concessis a s. m. Gregorio XV. et Clemente X., ultra quam quod, cum tam indulgentiae, quam festivitates Christifidelium gratia concedantur, sicuti Sacra Rituum Congregatio dictas Sanctorum festivitates transferri permisit ob majus Christifidelium commodum, ita etiam pari ratione idem dicendum esset de indulgentiis, eo fortius, quia indulgentiae tamquam quoddam diei festi accessorium ab eodem die sejungi non debere videntur. Quamvis autem varia fuerit Sacrae hujus Congregationis praxis in concedendis hujusmodi indulgentiarum translationibus, pro circumstantiarum nimirum qualitate, saepius tamen illas denegasse comperitur, in praesenti vero casu nonnulla animadversione digna occurrunt; primo etenim in praefatis concessionibus enuntiatorum Pontificum desiderari indulgentias pro sanctis Elia et Simone Stocko, ita ut pro hisce Sanctis non esset dumtaxat translatio indulgentiarum, sed vera nova concessio, quae praesertim pro S. Elia esset contra praxim Sacrae hujus Congregationis haud concedendi indulgentias pro Sanctis veteris Testamenti, ut revera denegatum fuisse liquet pro hujus Sancti festo die in una Ordinis Carmelitarum 22 Februarii 1717; ulterius operae pretium esset, cohibere pruritum, qui in dies invalescit, petendi hujusmodi translationes; alias facile sternetur via quemcumque Sancti diem, qui infra hebdomadam occurret, transferendi in dies Dominicos, ita ut posthac timeri possit, Dominicos dies, qui Domino ab Ecclesiae primordiis dicati fuere, Sanctorum festivitatibus impleri, quod ecclesiasticae disciplinae nimis repugnaret. Omnibus itaque juxta morem perpensis EE. VV. sapienter decernent: *An petitae indulgentiarum translationes concedendae sint in casu?* Sac. Congregatio die 16 Januarii 1747 respondit: *Affirmative pro translatione indulgentiarum jam concessarum, attentis peculiaribus circumstantiis tum loci, tum obtentae a Sacra Rituum Congregatione translationis festorum, servato in reliquis respectivorum Brevium tenore.* Facta SSmo D. N. relatione per me infrascriptum Secretarium Sanctitas Sua die 21 Januarii benigne omnia approbando confirmavit.

A. M. Erba, Secret.

146.

1747 21 Januarii. **Sodalitiorum indulgentiae ne cumulentur multiplici aggregatione.**

Colonien. In parochiali ecclesia S. Columbae Coloniae tribus abhinc saeculis Sodalitium sub titulo adorationis perpetuae SS. Eucharistiae et quinque Christi Domini Vulnerum institutum jam fuit, quod postea grassantibus haeresibus abolitum, tandem anno 1702 renovatum nedum fuit, verum etiam aggregatum Archiconfraternitati S. Laurentii in Damaso Urbis, eique indulgentiae, quibus Archiconfraternitas gaudet, concessae. Porro, cum in ecclesia parochiali S. Quintini in Metropolitana Moguntina similis reperiatur Confraternitas, quae a s. m. Innocentio XI. plures, tum plenarias, tum partiales obtinuit indulgentias, pariterque alia in Metropolitana Coloniensi sub denominatione sanctorum trium Regum, quae similiter pluribus gaudet indulgentiis, sodales ecclesiae S. Columbae de promovenda devotione ac veneratione erga Eucharistiae Sacramentum solliciti, Sacrae huic Congregationi supplicant, ut revocatis tum Bulla renovationis, tum aggregatione, aliud expediatur Breve una cum indulgentiis Sodalitiorum, quae Moguntiae in ecclesia S. Quintini et Coloniae in ecclesia cathedrali existunt. Rationum summa, quibus Oratorum petitio innititur, haec est: ecclesiam S. Columbae satis antiquitate conspicuam esse ex eo potissimum, quia a S. Severino, Coloniensi Episcopo usque ab anno 350 inter novemdecim paroecias Coloniae dedicatam fuisse constat, nunc vero plura in suo districtu continere monasteria tum virorum, tum mulierum, praeter quamplurima oratoria, omniumque civitatis paroeciarum esse numerosissimam; ac in ea triginta fere Missas quotidie celebrari, quae omnia Oratores sibi persuadent, multum conferre posse ad gratiam impetrandam, eo vel maxime, quia de ecclesia agitur inter haereticos posita, quae, uti magis periculis et perturbationibus obnoxia, specialibus gratiis et privilegiis decorari jure ac merito videatur. Hujusmodi tamen petitioni illud nonnihil obesse posset, Sodalitium ecclesiae S. Columbae aggregatum Archiconfraternitati S. Laurentii in Damaso Urbis pluribus tunc gaudere indulgentiis ipsa Archi-

confraternitate aggregante, quod sane rationi haud esset consentaneum; tum etiam, quia multum idipsum repugnaret decori Metropolitanae ecclesiae necnon oeconomicae thesauri Ecclesiae dispensationi, in uno Sodalitio inferioris ecclesiae eas omnes cumulare indulgentias, quae duabus Confraternitatibus erectis in ecclesia metropolitana Coloniensi et in ecclesia parochiali Moguntina concessae fuere; meritoque vereri posset, concessionem petitam, si daretur, jurgiorum ac dissidiorum causam suppeditare inter Sodalitia sanctorum trium Regum et adorationis perpetuae, ambo in eadem Coloniensi civitate existentia. Consueta itaque sapientia EE. VV. respondere dignabuntur: *An precibus sit annuendum in casu?* Sac. Congregatio die 16 Januarii 1747 respondit: *Negative et ad mentem; et mens est, ut concedatur plenaria pro hora adorationis singulis sodalibus statuta, et applicatio omnium indulgentiarum ipsius sodalitii perpetuarum pro defunctis in perpetuum.* Facta SSmo D. N. relatione per me infrascriptum Secretarium Sanctitas Sua die 21 Januarii benigne omnia approbando confirmavit.

A. M. Erba, Secret.

147.

1747 21 Januarii. **Confraternitas adorationis perpetuae.**

Provinciae seu Ditionis Domus Bavaricae. Ad enixas preces Serenissimi Maximiliani Josephi, Bavariae Ducis, et Sacri Romani Imperii Electoris, ac Augustissimae Mariae Amaliae, Imperatricis Viduae, ejus Matris, Sac. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 16 Januarii 1747 censuit, indulgentiam plenariam etiam fidelibus defunctis per modum suffragii applicabilem singulis confratribus et consororibus Confraternitatum sub titulo Adorationis perpetuae seu per omnes et singulas horas exercendae orationis erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in temporali ejusdem Ducis et Electoris ditione erectarum et erigendarum a s. m. Clemente X. sub die 7 Septembris 1674 concessam, etiam ad quoscumque alios utriusque sexus Christifideles in eadem ditione existentes, etiamsi nulli ejusmodi Confraternitati fuerint adscripti, extendendam esse, dummodo tamen

cujusque nomen a respectivo parocho saltem describatur, et ab eodem hora pro ejusmodi oratione peragenda cuilibet decernatur, servato in reliquis praefati tenore Brevis. De quibus omnibus et singulis facta per me infrascriptum Secretarium die 21 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando praedictae extensioni benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

148.

1747 12 Aprilis. **Altare privilegiatum.**

Ad enixas preces D. Joannis Baptistae Marsilii, Abbatis et Procuratoris Generalis, nomine etiam D. Porphyri Tufi, Abbatis Generalis Monachorum Congregationis Silvestrinorum nuncupat., Ordinis S. Benedicti, humillime porrectas SSmus D. N. Benedictus PP. XIV., volens omnes et singulas ecclesias tam erectas quam in posterum erigendas Monachorum Congregationis hujusmodi, in quibus aliud altare, vel in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum simili privilegio decoratum forsan reperitur, quod per praesentes auctoritate Apostolica revocavit, et in qualibet ex dictis ecclesiis altare a praefato D. Porphyrio, vel pro tempore existente ejusdem Congregationis Abbate Generali, semel designandum, hoc speciali dono illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel regularis cujuscumque Ordinis, Instituti vel Congregationis Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum altare designandum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut D. N. Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari earumdemque praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu et sigillo praedicti, et pro tempore

existentis Procuratoris Generalis Congregationis praefatae munitis ipsam prorsus fidem in judicio et extra adhiberi, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae die 12 Aprilis anno 1747.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

149.

1747 12 Aprilis. **Indulgentia et benedictio nomine Summi Pontificis.**

Ordinis FF. Servorum Beatae Mariae Virginis. Ad humillimas preces Fr. Joannis Petri Fancelli, Prioris Generalis, et Fr. Francisci Mariae Pecoroni, Procuratoris pariter Generalis FF. Ordinis Servorum B. M. V., SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. ex motu proprio omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam ejusdem Ordinis in una tantum festivitate vel die cujuslibet anni in singulis ecclesiis hujusmodi per respectivum illarum Superiorem Provincialem designanda devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam etiam fidelibus defunctis applicabilem, benigne concessit. Insuper, ut Prior cujuslibet Conventus dicti Ordinis extra Urbem tantum existentis, vel alius sacerdos per dictum respectivum Superiorem Provincialem pariter eligendus in festivitate, vel die praefata benedictionem nomine Sanctitatis Suae populo semel impertiri valeat, clementer indulsit. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari, harumque litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu, et sigillo praedicti, et pro tempore existentis ejusdem Ordinis Procuratoris Generalis munitis eamdem prorsus fidem adhiberi, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae die 12 Aprilis 1747.

Fr. S. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

150.

1747 12 Aprilis. Altare privilegiatum.

Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli. SSmus D. N. Benedictus Papa XIV., cum sub expositione sibi humillime facta, quod gratiae, privilegia et indulta spiritualia Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini ex quibusdam Bullis fel. rec. Pauli et Julii III. etiam Clericis Regularibus Congregationis S. Pauli Decollati Barnabitis nuncupat. sint communia, per suum Apostolicum Rescriptum diei 4 Junii 1746 cum declaratione gratiam suffragari, perinde ac si per Litteras Apostolicas in forma Brevis solitis omnibus muniti clausulis expedita fuisset, concesserit privilegium quotidianum perpetuum altari vel S. Pauli Apostoli vel S. Caroli Borromaei in omnibus et singulis ecclesiis Congregationis Clericorum Regularium praefatae iisdem modo et forma, quibus simile privilegium concessum fuit in omnibus ecclesiis ipsorum Canonicorum Regularium Lateranensium per suum pariter Apostolicum Breve tenoris, qui sequitur, videlicet: *Benedictus PP. XIV. Ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna charitate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animae Domini Nostri Jesu Christi ejusque Sanctorum suffragia meritorum consequi, et illis adjutae ex purgatorii poenis ad aeternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Lateranensis, necnon Monialium Ordinis et Congregationis hujusmodi sub gubernio, cura et jurisdictione Canonicorum Regularium praefatorum existentium, et in qualibet ex dictis ecclesiis altare sub invocatione S. Ubaldi erectum seu erigendum, hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita ac de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, supplicationibus dilecti filii Alexandri Josephi Chiappini, moderni Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et*

Instituti regularis sacrosanctum Missae Sacrificium pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefati S. Ubaldi altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentias consequatur, ita ut ejusdem D. N. Jesu Christi, ac B. V. Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus, a purgatorii poenis liberetur, concedimus et indulgemus. Ac insuper auctoritate Apostolica permittimus, ut dilectus filius Abbas Generalis ejusdem Congregationis dumtaxat, adhibitis omnibus diligentiis super concessione altarium in eisdem ecclesiis existentium ab hac S. Sede privilegio pro liberandis animabus a purgatorii poenis, ut asseritur, in perpetuum alias decoratorum concessionem hujusmodi observet, et juxta datam sibi a Domino prudentiam unica vice tantum declaret, et quae ex iisdem altaribus sint revocanda, et quae de novo, ut praefertur, novo privilegio donanda, atque haec quidem eo privilegio in perpetuum gaudere, illa vero sic per dictum Abbatem revocata in perpetuum quoque haberi, ita tamen, ut ubi nullum, unum altare privilegio hujusmodi deputet, ubi vero unum, aut duo altaria repererit eodem privilegio ditata, utrumque firmum ac veluti de novo concessum esse statuat et decernat. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam fides in judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 18 Decembris 1740, Pontificatus Nostri anno quarto. D. Cardinalis Passioneus. Loco ✠ Sigilli. Ad humillimas preces D. Ubaldi Baldassini Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis S. Pauli ipsummet privilegium in singulis ecclesiis Clericorum praedictae Congregationis S. Pauli ad formam praeinserti Brevis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensium publicari, ac hujusmodi decretum imprimi posse benigne indulsit. Datum Romae die 12 Aprilis 1747.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

151.

1747 26 Augusti. De translatione processionis Confrat. SS. Rosarii.

Aquilejen. Cum experientia compertum sit, publicam supplicationem, quae primis Dominicis diebus cujuslibet mensis peragitur a sodalibus B. M. V. Rosarii pagi Sutri in Cargna, Aquilejen. dioecesis, ut plurimum perturbare functiones, quas explet iisdem diebus aliud Sodalitium, Rosarii Confraternitate antiquius, ad removendam perturbationis causam confratres Rosarii supplicarunt pro translatione ejusdem supplicationis ad secundas mensium Dominicas dies, excepta tamen prima Dominica Octobris, in qua festum SS. Rosarii majori ubique solemnitate celebratur. Die 16 Januarii labentis anni Sacra Congregatio rescripsit: *Dilata et ad mentem*, quae in eo versabatur, ut exquireretur ab Ordinario qualitas functionum alterius sodalitii, et an istas potius transferri expediat. Datis propterea literis Ordinarius respondit, sodalitium Septem Dolorum antiquius sodalitio Rosarii hasce obire functiones: supplicationem nempe ad ecclesiam S. Odorici, ibique sodales peccata confiteri sacraque refici Eucharistia, aliaque pia opera solitos esse exercere: adeoque tenaces eos invenisse harum sacrarum functionum, ut protestationem emiserint, se numquam passuros, illas ad alium diem transferri; quare ad removenda jurgia et seditiones Ordinarius putat, annui posse votis Confraternitatis SS. Rosarii. — Multa sane suadere videntur petitam translationem, et quidem remotio occasionis jurgiorum inter duo ista sodalitia, eo vel maxime, quia sperare non licet, ut sodalitium Septem Dolorum suas transferat functiones, quod ratione antiquioris possessionis pacificae, in qua reperitur, manutenendum videtur, tum etiam, quod sunt in alia possessione habendi operam parochi oppidi pro obeundis functionibus sodalitii, qui, cum alium sacerdotem non habeat adjutorem, praesto esse non potest functionibus Sodalitii Rosarii ac proinde necesse videtur, alium subrogare diem, ut commode ac pacate utrumque sodalitium proprias peragat functiones. Porro cum functiones Sodalitii Rosarii ex S. Sedis concessione addictae sint primis Dominicis diebus ex quadam relatione ad primam Dominicam

Octobris, in qua festivitas SS. Rosarii celebratur, potiori jure videntur addictae dictis diebus, quam functiones Sodalitii Septem Dolorum B. M. V., cujus anniversaria dies ab universa Ecclesia recolitur feria VI. post Dominicam Passionis, et idcirco translatio functionum huic magis conveniret, quam Rosarii sodalitio. Recurrunt praeterea aliae rationes in antedictae Congregationis Folio fusius allatae pro impedienda translatione supplicationis sodalitii Rosarii. Itaque, reassumpto praefato Folio, necnon libratis rationibus nuper expositis, iterum decidendum proponitur: *An petita translatio supplicationis concedenda sit in casu?* Sac. Congregatio die 19 Augusti 1747 respondit: *Affirmative, attentis peculiaribus circumstantiis.* Facta per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione die 26 Augusti Sanctitas Sua benigne omnia approbando confirmavit.

A. M. Erba, Secret.

152.

1747 26 Augusti. Indulg. plen. pro visitatione capellae SS. Sindonis.

Taurinen. Ad enixas preces Eminentissimi et Reverendissimi Caroli Victorii Amadei Card. de Lanceis, Archiepiscopi electi Nicosiensis et magni Serenissimi Sardiniae Regis Eleemosynarii, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae universis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, et S. Communione refectis, qui quacumque anni die regiam capellam, sanctissimae Sindonis nuncupatam civitatis Taurinen. devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam per unumquemque semel tantum in quolibet anno lucrifaciendam; insuper ex gratia speciali incolis ejusdem civitatis ac suburbiorum dumtaxat praemissa peragentibus in quatuor aliis anni diebus vel festivitatibus per laudatum Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Archiepiscopum semel eligendis, qua die vel festivitate praedictarum id egerint, plenariam

pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam die 26 Aug. anno 1747 in perpetuum benigne concessit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

153.

1747 26 Augusti. Altare privilegiatum.

Urbis. Cum, sicut humillime exponebatur, in ecclesia S. Silvestri et Dorotheae Fratrum Minorum Conventualium Ordinis S. Francisci in Transtiberim de Urbe quaedam pia Confraternitas *Congregatio* nuncupata *Divini Amoris S. Cajetani* canonice reperiatur erecta, quae Confraternitas juxta ipsius statuta nonnullas Missas pro animabus ipsorum confratrum et consororum ab hac vita decedentium celebrare, vel celebrari facere solet, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae hujusmodi, quae pro anima aliqua ipsorum confratrum et consororum, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad quodlibet altare cujusvis ecclesiae celebrabuntur, animae hujusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 26 Augusti 1747.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

154.

1748 2 Martii. Indultum pro Tertio Ord. Tridentino.

Tridentina. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. precibus nomine Tertii Ordinis S. Francisci de Poenitentia utriusque sexus in saeculo viventium sub invocatione S. Elisabeth in ecclesia Praeposituralis S. Margaritae civitatis Tridentinae, sub directione FF. Minorum de Observantia Reformatorum existentis sibi humillime porrectis ex gratia speciali benigne annuens die 2 Martii 1748 clementer indulsit, ut ii omnes et singuli Christifideles, qui simili Tertio Ordini in

capella S. Caroli penes FF. Minores Conventuales ejusdem civitatis jam adscripti ad praefatum Ordinem S. Elisabeth migrarunt, quotiescumque ad primaevum eorum coetum redire sibi grave nimis duxerint, omnes et singulas indulgentias hujusmodi Tertio Ordini S. Francisci generaliter concessas in eodem Tertio Ordine S. Elisabeth permanentes consequi valeant.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

155.

1748 5 Maji. **De facultate benedicendi coronas.**

Brixinen. Beatissime Pater! Antonius, Abbas et Praepositus perpetuus Canonicorum Regularium S. Augustini Canoniae Neocellae, Dioecesis Brixinen., humillime exponit, quod in sua ecclesia distante 80 circiter milliariis a Conventibus PP. Eremitarum S. Augustini erectionem Confraternitatis Sacri Cinguli a R. P. ejusdem Ordinis Generali cum annexis facultatibus obtinuit. Deinde facultatem impertiendi cum indulgentia plenaria Benedictionem Papalem in festo principali ejusdem Confraternitatis a Sanctitate Vestra impetravit. Nunc vero, cum sodales quasdam coronulas, quas cum annexis indulgentiis benedicere solent PP. Eremitae S. Augustini, summopere ab Oratore cupiant, ideo humillime supplicat Sanctitati Vestrae, quatenus benigne eidem Abbati ejusque successoribus impertiri dignetur facultatem ipsas coronulas cum indulgentiis annexis benedicendi praedictis sodalibus tantummodo distribuendas. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV., attentis expositis, facultatem benedicendi enuntiatas coronas cum indulgentiis annexis solis confratribus et consororibus Confraternitatis praedictae tantummodo distribuendas, etiam ad Oratorem et pro tempore existentes ejusdem Successores Abbates perpetuos benigne extendit die 5. Maji 1748.

A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

156.

1748 5 Maji. Confraternitas SSmi Nominis Jesu.

Die 5 Maji 1748 Sanctissimus in perpetuum concessit omnibus et singulis Archiepiscopis et Episcopis Hiberniae facultatem erigendi in quibusvis civitatibus, terris, locis suae respectivae dioecesis ob exercitium catholicarum functionum sibi interdictum, quotquot opportunas duxerint Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Nominis Jesu contra detestabilem jurandi ac maledicendi consuetudinem nuncupatas, non obstante Constitutione Clementis VIII. die 7 Decembris 1604 incipien. *Quaecumque* super distantia ab una ad aliam ejusdem Instituti erectionem requisita. Confratribus vero et consororibus ejusmodi Confraternitatum sic erectarum concessit omnes et singulas indulgentias Archiconfraternitati Sanctissimi Nominis Dei per Breve 31 Octobris 1606, et novissime ad corrigendos blasphemantes per Breve die 6 Sept. 1746 concessas, non ad instar, sed distinctive et specifice exprimendas.

A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

157.

1748 3 Augusti. Confraternitas Septem Dol. B. M. V.

Ordinis FF. Servorum B. M. V. Cum s. m. Paulus V. sub die 10 Martii 1611 confratribus et consororibus Confraternitatum sub titulo Septem Dolorum B. M. V. in ecclesiis Ordinis FF. Servorum ejusdem B. M. V. canonice erectarum, qui confessi et S. Communione refecti processioni solemni ab iisdem Confraternitatibus Dominica tertia cujuslibet mensis in ecclesiis ejusmodi Ordinis fieri solitae interfuerint, indulgentiam plenariam concesserit, et fel. rec. Urbanus VIII. per suum Breve diei 18 Septembris 1628 eamdem inter cetera indulgentiam etiam ad quascumque ejusmodi Confraternitates in ecclesiis saecularibus erectas ampliaverit; SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. supplicante Fr. Magistro Francisco Maria Pecoroni, moderno praefati Ordinis Procuratore Generali, humillime exponente, ad processionem ejusmodi Confraternitatum solemniorem semel in anno fieri consuetam magnum utriusque sexus Christifidelium, etsi nulli ex prae-

dictis Confraternitatibus nomen dederint, devotum populum convenire, praedictam indulgentiam plenariam ad omnes et quoscumque utriusque sexus Christifideles processionem ejusmodi solemniorem Dominica tertia mensis Septembris vel alia per Ordinarium semel designanda, peragendam comitantes, vel ecclesiam Confraternitatum eadem Dominica visitantes, benigne extendit, servato in reliquis allegatarum Pauli V. et Urbani VIII. concessionum tenore. Datum Romae die 3 Augusti anno 1748.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Pro-Secret.

158.

1748 3 Augusti. Confraternitas Septem Dol. B. M. V.

Ordinis FF. Servorum B. M. V. Cum s. m. Clemens XII. per suam Bullam datam Idibus Decembris 1734 omnibus utriusque sexus Christifidelibus confessis ac S. Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Fratrum Servorum B. M. Virginis in festo solemniori Septem Dolorum ejusdem B. V. Mariae semel in anno Dominica tertia mensis Sept. cum facultate illam transferendi, occurrenti, visitaverint, indulgentiam plenariam in perpetuum concesserit, cumque P. Magister Franciscus Maria Pecoroni, modernus praefati Ordinis Procurator Generalis, humillime exposuerit, eadem die cum magno devoti populi concursu et circumlatione statuae B. M. Virginis Septem Dolorum nuncupatae, supplicationem ab ecclesiis praedicti Ordinis, in quibus erecta reperitur ejusdem B. M. Virginis Septem Dolorum Confraternitas, singulis annis haberi, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. ad enixas preces ipsius Procuratoris Generalis praefatam indulgentiam plenariam etiam ad quoscumque utriusque sexus Christifideles solemniorem ejusmodi supplicationem comitantes benigne extendit, servato in reliquis enuntiatae Bullae tenore. Datum Romae die 3 Augusti 1748.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Pro-Secret.

159.

1748 3 Augusti. Confraternitas Septem Dol. B. M. V.

Ordinis FF. Servorum B. M. V. Cum s. m. Paulus V. sub die 10 Martii 1611 confratribus et consororibus Confraternitatum sub titulo Septem Dolorum B. Mariae Virginis in ecclesiis Ordinis Fratrum Servorum ejusdem B. Mariae Virginis canonice erectarum, qui confessi ac sacra Communione refecti, processioni solemni, ab iisdem Confraternitatibus Dominica tertia cujuslibet mensis in ecclesiis Ordinis ejusmodi fieri solitae, interfuerint, indulgentiam plenariam concesserit; et fel. rec. Clemens XII. per suam Bullam datam Idibus Decembris 1734 omnibus utriusque sexus Christifidelibus pariter confessis et sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Fratrum ejusdem Ordinis in festo solemniori Septem Dolorum ejusdem B. Mariae Virginis, semel in anno Dominica tertia mensis Septembris cum facultate illam transferendi, occurrente, visitaverint, indulgentiam plenariam in perpetuum indulserit; SSmus D. N. Benedictus PP. XIV., ad enixas preces Fr. Joannis Petri Fancelli, Prioris Generalis, et Fr. Francisci Mariae Pecoroni, Procuratoris Generalis Ordinis praefati, humillime exponentium, eadem die cum magno devoti populi concursu et circumlatione statuae ipsius B. Mariae Virginis Septem Dolorum nuncupatae, supplicationem pariter solemniorem ab ecclesiis praedicti Ordinis, in quibus erecta reperitur ejusdem B. Mariae Virginis Septem Dolorum Confraternitas, singulis annis haberi, praefatam indulgentiam plenariam etiam ad quoscumque utriusque sexus Christifideles, vel aliquam ecclesiam Ordinis, ut praefertur visitantes, vel ejusmodi solemniorem supplicationem comitantes, semel per unumquemque lucrifaciendam, benigne extendit, servato in reliquis allegatarum Pauli V. et Clementis XII. concessionum tenore. Voluitque Sanctitas Sua hujusmodi concessionis seu extensionis exemplis etiam impressis, manu moderni et pro tempore existentis Procuratoris Generalis subscriptis, et sigillo ejusdem Ordinis munitis eamdem prorsus fidem adhiberi, quae ipsis praesentibus, et exemplis a Secretaria Sacrae Congregationis

Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae expeditis, adhiberetur. Datum Romae die 3 Augusti 1748.

Fr. S. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Pro-Secret.

160.

1748 7 Decembris. Congregatio Prima Primaria.

Societatis Jesu. Exposuit Franciscus Retz, modernus Societatis Jesu Praepositus Generalis, Congregationem Primam Primariam nuncupatam sub titulo Annuntiationis Beatissimae Virginis Mariae Immaculatae in Collegio Romano ejusdem Societatis existentem ceterasque Sodalitates aut Confraternitates, vel Congregationes in aliis Collegiis, Domibus, Seminariis, Residentiis et quibuscumque aliis locis sub ipsius Societatis gubernio erectas, vel in posterum erigendas sub quovis ejusdem Beatissimae Virginis Mariae titulo, aut invocatione, dummodo tamen praedictae Congregationi Primariae aggregatae fuerint, plurimas a diversis Summis Pontificibus et praesertim a SSmo D. N. Benedicto PP. XIV. feliciter regnante per Literas Apostolicas diei 27 Septembris 1748 tam pro solis scholaribus, quam pro quibuscumque utriusque sexus Christifidelibus obtinuisse indulgentias, privilegia et gratias spirituales; sed cum nonnullae inter eas tantummodo reperiantur animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicabiles, reliquas etiam et singulas alias indulgentias, privilegia et gratias, eadem extensione cumulari enixe supplicavit. Propterea idem SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. humillimis praefati ejusdem Societatis Jesu Praepositi Generalis precibus clementer annuens, ut omnes et singulae indulgentiae sive partiales aut alias quomodocumque Congregationi Prima-Primariae ceterisque Sodalitiis aut Confraternitatibus vel Congregationibus praefatis hactenus concessae, etiam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari valeant. Praesenti in perpetuum valituro, benigne concessit atque indulsit. Datum Romae die 7 Dec. anno 1748.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, S. Cong. Indulg. Pro-Secret.

161.

1749 9 Februarii. Indulgentiae conceduntur ecclesiae loci Hietzing.

Viennen. in Austria. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. piis Augustissimae Imperatricis Mariae Theresiae, Hungariae et Bohemiae Reginae, precibus sibi per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Alexandrum Albani, apud S. Sedem Regnorum et Statuum ipsius Caesareae Majestatis ac Germaniae Comprotectorem porrectis, quibus enixe supplicatum fuit, ut ecclesiam Canonicorum Regularium S. Augustini loci Hietzing, dioecesis Viennensis in Austria palatio Caesareo regio contiguam ad divini cultus incrementum et ad confovendam erga Beatam Virginem Mariam Immaculatam Christifidelium devotionem liberali coelestium indulgentiarum munerum dispensatione condecorare dignaretur, benigne inclinatus, die 9 Februarii 1749 ex speciali gratia Augustissimis Francisco Primo, Romanorum Electo Imperatori, Eidemque Mariae Theresiae Imperatrici Reginae, ac Serenissimis ipsorum utriusque filiis Archiducibus necnon Carolo Henrico, Lotharingiae Principi, ejusque sorori Annae Principissae ceterisque et singulis utriusque sexus Domus Austriacae Archiducibus nunc et in posterum quocumque tempore existentibus vere poenitentibus, confessis et S. Communione refectis, qui praefatam ecclesiam quocumque anni die devote visitaverint, ibique pro pace et christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, omnibus et singulis eorumdem Majestatum, Archiducum ac Principum et Principissarum pro tempore existen. utriusque sexus Familiaribus, vere pariter poenitentibus, confessis et S. Communione refectis, qui duobus tantum cujuslibet mensis diebus ad cujusque arbitrium eligendis ipsammet ecclesiam, ut praefertur, visitaverint, ibique oraverint, in uno plenariam, in altero vero ipsorum die septem annorum, totidemque Quadragenarum; universis autem et singulis utriusque sexus Christifidelibus, similiter vere poenitentibus, confessis ac S. Communione refectis, qui dictam ecclesiam in festivitatibus Conceptionis, Visitationis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Purificationis et As-

sumptionis Beatissimae V. Mariae Immaculatae, ac Dedicationis ejusdem ecclesiae, necnon Sanctorum Annae, Josephi, Augustini et Leopoldi, Austriae Patroni, a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi, atque in primo et ultimo die novenae Nativitatis Dominicae devote visitaverint, ac uni ex supplicationibus ad eamdem ecclesiam fieri solitis semel in mense interfuerint, ibique, ut supra, oraverint, plenariam, in reliquis vero festis ejusdem B. Mariae Virginis Immaculatae, aliisque septem praedictae novenae diebus, ac aliam unam, uti praefertur, supplicationem singulis mensibus comitati fuerint, ac praemissa peregerint, septem annorum totidemque Quadragenarum; in reliquis vero singulis ejusmodi supplicationibus centum dierum indulgentiam concessit; insuper in singulis sabbati diebus, singularumque B. Mariae Virginis festivitatum pervigiliis partialem trium annorum, totidemque Quadragenarum, et quotiescumque Litanias ejusdem B. Mariae Virginis recitaverint, biscentum dierum; ac demum stationales pro diebus in Missali Romano tantum descriptis indulgentias, atque ut omnes et singulae enuntiatae indulgentiae ac peccatorum remissiones etiam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari valeant, in perpetuum clementer concessit, atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque; voluitque Sanctitas Sua, singulas has gratias absque ulla Brevis expeditione suffragari.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

162.

1749 7 Maji. Indulgentiae conceduntur Sodalitati Filiarum Mariae.

Aquen. Provinciae Mediolanen. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. omnibus et singulis consororibus Sodalitatis Filiarum Mariae nuncupatae in ecclesia B. Mariae Virginis Dolorosae, civitatis Aquensis, provinciae Mediolanen. vere poenitentibus et confessis, quae per modum Communionis generalis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festivitate Assumptionis B. V. Immaculatae in praedicta ecclesia sumpserint, ibique pro christianorum Principum con-

cordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam; iisdem consororibus, quae die vigesima tertia Januarii, in festo Purificationis, et Annuntiationis ejusdem B. M. Virginis, Dominica prima Aprilis, Maji, Junii, in festivitate Visitationis et Nativitatis laudatae B. M. Virginis Immaculatae sanctissimam Communionem in praefata ecclesia peregerint, et ut supra oraverint, qua die vel festivitatum vel Dominica praefatarum, id egerint, septem annorum totidemque Quadragenarum indulgentiam, quam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 7 Maji 1749.

Henricus, Card. Pro-Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

163.

1749 14 Maji. Confraternitas Cincturatorum.

Viennen. in Austria. Cum pro parte FFr. Eremitarum Ordinis S. Augustini excalceatorum nuncupatorum Conventus aulici civitatis Viennae, semel atque iterum proposita fuerit causa super asserta erectione Confraternitatis Cincturatorum, sive Cinguli SS. Monicae et Augustini, vel S. Mariae de Consolatione nuncupatae, ejusque aggregatione Archiconfraternitati ejusdem denominationis Bononiensi, bis audito prius Eminentissimo ac Reverendissimo Domino Cardinali Archiepiscopo Viennensi, et semel Procuratore Generali FFr. ejusdem Ordinis calceatorum, examinatis etiam atque mature discussis, praefatorum FFr. tam excalceatorum, quam calceatorum dictae civitatis Viennae juribus hinc inde deductis, duplex Sac. Congregatio Indulgentiarum et Sac. Reliquiarum emanavit Rescriptum, primum scilicet die 16 Jan. 1747, et alterum die 28 Aprilis 1749, de quibus omnibus et singulis facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 14 Maji ejusdem anni 1749 Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua ex causis sibi notis, ac nonnullis specialibus circumstantiis ab Eadem Sanctitate

Sua perpensis, praevia ad effectum, de quo agitur, derogatione Constitutionis 115 s. m. Clementis VIII. incipien. *Quaecumque* diei 7 Decembris 1603 super erectione et aggregatione Confraternitatum, benigne mandavit, literas patentes aggregationis ejusdem Confraternitatis Cincturatorum in ecclesia praedictorum FFr. Eremitarum excalceatorum erectae, praelaudatae Archiconfraternitati Bononiensi a Priore Generali FFr. ejusdem Ordinis calceatorum expediendas esse, atque a confratribus ejusmodi Confraternitatis functiones, solemnitates ac processiones, hactenus factas intra dictam ecclesiam peragi posse, reliquis inhibitis extra eamdem ecclesiam quomodolibet peragendis.

Henricus, Card. Pro-Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

164.

1749 2 Julii. Conceduntur indulgentiae 5 ecclesiis Fesulanis.

Fesulana. Ad humillimas preces moderni Episcopi Fesulani exponentis infrascriptas quinque ecclesias ejusdem respectivae civitatis, dioecesis et residentiae, amplissimis jam insignitas esse indulgentiis, documentum vero hujusmodi concessionum, praeter nonnullas vetustissimas in quodam lapide, aliquibusque foliis adnotationes non inveniri, ideoque supplicantis vel ipsas antiquas confirmari, vel alias de novo concedi, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. eumdem Episcopum speciali favore prosequi volens, servata ceteroquin oeconomicae indulgentiarum dispensationis moderatione, necnon hodierna laudabili Ecclesiae disciplina, ac praevia in iisdem quinque ecclesiis assertarum veterum et quarumcumque aliarum indulgentiarum revocatione, die 2 Julii 1749 per praesentes Literas in perpetuum valituras omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, confessis ac S. Communione refectis, qui ecclesiam S. Mariae in Campo nuncupatae in festivitatibus Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. Immaculatae, a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi, necnon in primo vel ultimo die novenae Nativitatis Dominicae, et una feria sexta Quadragesimae per Ordinarium semel designanda; atque

in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, ab ortu usque ad occasum solis dierum vel feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, iis vero eadem peragentibus, ac, ut supra, orantibus in festivitatibus Conceptionis, Purificationis, Visitationis, Nativitatis et Praesentationis ejusdem B. M. V. ac SS. Josephi, Joachim, Annae, Romuli Episcopi et Martyris, et Julii Martyris Senatoris Romani, necnon in aliis septem diebus novenae Dominicae, ceterisque feriis sextis Quadragesimae, ac reliquis diebus octidui omnium Fidelium Defunctorum, septem annorum totidemque Quadragenarum; omnibus etiam et singulis utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis, qui sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, occasione Communionis generalis semel in mense peragendae in eadem Ecclesia sumpserint, ibique, ut supra, oraverint, in una festivitate, vel die unius mensis quotannis Episcopi arbitrio designanda, plenariam; in alia vero festivitate, vel die singulorum reliquorum undecim mensium, ut supra eligenda septem annorum totidemque Quadragenarum. Ipsis autem Christifidelibus, saltem corde contritis, qui diebus Stationum juxta ritum Missalis Romani, eamdem ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint, easdem indulgentias, quas consequerentur, si iisdem diebus ecclesias Stationum Urbis vel extra illius muros existentes visitarent. Iis etiam saltem corde contritis, qui expositioni Venerabilis in solemnitate Ascensionis Dominicae et singulis diebus usque ad pervigilium Pentecostes inclusive immediate sequentibus devote interfuerint, ac oraverint, qua die id egerint, centum dierum, et quotiescumque praedictam ecclesiam visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, toties trium annorum totidemque Quadragenarum semel in die per unumquemque lucrifaciendam. Insuper privilegium altari per Ordinarium semel designando in octiduo omnium Fidelium Defunctorum ac in sex cujuslibet hebdomadae diebus ab Ordinario pariter eligendis. Universis pariter et singulis Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et S. Communione refectis qui

ecclesiam cathedralem Fesulanam in festivitatibus S. Josephi, S. Romuli, Episcopi et Martyris, et Dedicationis ejusdem ecclesiae a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi, necnon in primo et ultimo die novenae Nativitatis Dominicae, et una feria sexta Quadragesimae per Ordinarium semel designanda, atque in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ab ortu usque ad occasum solis dierum vel feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, plenariam; iis vero eadem peragentibus, ac ut supra orantibus in festivitatibus Nativitatis S. Joannis Baptistae, SS. Joachim et Annae ac SS. Andreae Corsini et Donati, ejusdem ecclesiae Episcoporum, necnon in aliis septem diebus novenae Dominicae, ceterisque feriis sextis Quadragesimae, ac reliquis diebus octidui omnium Fidelium Defunctorum, septem annorum totidemque Quadragenarum. Omnibus etiam et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occasione Communionis generalis semel in mense peragendae in eadem ecclesia sumpserint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate, vel die unius mensis quotannis Episcopi arbitrio designanda, plenariam; in alia vero festivitate vel die singulorum reliquorum undecim mensium ut supra eligenda septem annorum totidemque Quadragenarum. Similiter confessis ac S. Communione refectis, qui expositioni Venerabilis occasione exercitii Bonae Mortis in una festivitate vel die cujuslibet mensis, semel per Ordinarium designanda in praefata ecclesia faciendae interfuerint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate, vel die unius mensis per Ordinarium eligenda plenariam, in aliis vero singulis undecim festivitatibus vel diebus septem annorum totidemque Quadragenarum. Iisdem Christifidelibus saltem corde contritis, qui diebus Stationum juxta ritum Missalis Romani eamdem ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint, easdem indulgentias, quas consequerentur, si iisdem diebus ecclesias Stationum Urbis, vel extra illius muros existentes, visitarent, et quotiescumque altare, in quo corpus praedicti S. Romuli colitur, in ipsa ecclesia situm visitaverint, ibique ut supra oraverint

quadraginta dierum semel in die per unumquemque lucrifaciendam. Omnibus item Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et S. Communione refectis, qui ecclesiam Sanctae Mariae *Primeranae* nuncupat. in festivitatibus Purificationis et Assumptionis B. M. V. Immaculatae a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, plenariam, qui vero in festivitatibus Annuntiationis, Visitationis, Nativitatis, Praesentationis, et Conceptionis ejusdem B. M. V. eadem peregerint, septem annorum et totidem Quadragenarum. Cunctis similiter Christifidelibus praefata opera pia peragentibus, ac ecclesiam S. Alexandri, Episcopi Fesulani et Martyris, in festivitate ejusdem S. Alexandri et in solemnitate Omnium Sanctorum visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis et solemnitatis hujusmodi plenariam, et qui dictam Confessionem et Communionem ac visitationem in festo S. Marci Evangelistae peregerint septem annorum et totidem Quadragenarum indulgentiam. Universis quoque et singulis Christifidelibus vere poenitentibus confessis, ac S. Communione refectis, qui ecclesiam Abbatialem et parochialem S. Bartholomaei alias cathedralem Canonicorum Regularium Lateranensium in festivitatibus ejusdem S. Bartholomaei Apostoli et in Dominica tertia post Pascha a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis et Dominicae hujusmodi, in primo et ultimo die novenae Nativitatis Dominicae et in una feria sexta Quadragesimae per Ordinarium semel designanda, atque in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ab ortu usque ad occasum solis dierum vel feriae hujusmodi singulis annis devote visitaverint ibique ut supra oraverint, plenariam; iis vero eadem peragentibus in festivitatibus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. M. V. ac S. Joseph necnon in aliis septem diebus novenae Nativitatis Dominicae, ceterisque feriis sextis Quadragesimae, ac reliquis diebus octidui Omnium Fidelium Defunctorum septem annorum totidemque Quadragenarum, praeter indulgentias eorumdem Canonicorum Ordini generaliter concessas. Iis autem, qui saltem corde contrito eamdem ecclesiam in reliquis feriis sextis totius anni visita-

verint, ibique ut supra oraverint, centum dierum. Omnibus quoque et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui sanctissimum Eucharistiae Sacramentum occasione Communionis generalis semel in mense peragendae in eadem ecclesia sumpserint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate vel die unius mensis quotannis arbitrio Episcopi designanda plenariam; in alia vero festivitate vel die singulorum reliquorum undecim mensium, ut supra eligenda septem annorum totidemque Quadragenarum. Insuper confessis ac sacra Communione refectis, qui expositioni Venerabilis occasione exercitii Bonae Mortis in una festivitate, vel die cujuslibet mensis semel per Ordinarium designanda in praefata ecclesia faciendae interfuerint, ibique ut supra oraverint, in una festivitate vel die unius mensis per Ordinarium eligenda plenariam, in aliis vero singulis undecim festivitatibus, vel diebus septem annorum, totidemque Quadragenarum indulgentiam. Quas etiam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant clementer concessit atque indulsit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam vel gratias absque ulla Brevis expeditione suffragari, harumque litterarum exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo ejusdem vel pro tempore existentis Episcopi Fesulani munitis, eamdem adhiberi fidem, quae adhiberetur his praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Henricus, Card. Pro-Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

165.

1749 11 Augusti. Conceduntur indulgentiae Confrat. SSmi Sacramenti.

Cum in concessionibus ab Apostolica Sede sodalibus Archiconfraternitatis et Sodalitiorum sanctissimi Eucharistiae Sacramenti hactenus factis aliquam quidem esse indulgentiam pro nonnullis specialiter expressis, non autem pro universis charitatis seu pietatis operibus in forma singulis Confraternitatibus concedi solita generaliter animadversum fuerit; ideo SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. hujusmodi Archiconfraternitatis et Confraternitatum pietatem et devotionem

erga sanctissimum Eucharistiae Sacramentum confovere, et maximopere augere cupiens, omnibus et singulis confratribus et consororibus Archiconfraternitatis et Confraternitatum ejusdem sanctissimi Eucharistiae Sacramenti canonice ubique locorum hactenus erectarum, et quocumque futuro tempore erigendarum, corde saltem contritis, quotiescumque Missis in ecclesia seu capella vel oratorio Archiconfraternitatis, vel Confraternitatum hujusmodi pro tempore celebrandis, seu congregationibus publicis, vel privatis earumdem Archiconfraternitatis vel Confraternitatum ubivis faciendis, vel quibuscumque processionibus de licentia Ordinarii peragendis interfuerint; aut pauperes hospitio susceperint vel pacem inter inimicos aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, vel si impediti sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias quocumque et quomodocumque pro tempore deferetur comitari nequiverint, et campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum hujusmodi recitaverint; aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, vel ignorantes Dei praecepta et ea, quae ad salutem sunt, docuerint, vel infirmitate aut carcere detentos visitaverint, aut aliquo spirituali seu temporali subsidio subvenerint; vel quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint, toties, pro quolibet praedictorum operum exercitio centum dierum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari. Datum die 11 Augusti 1749.

Henricus, Card. Pro-Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

166.

1749 13 Septembris. Via Crucis.

Beatissime Pater! Fr. Joseph Maria ab Ecclesia, Guardianus et Missionarius Capucinus, ad sacros pedes Beatitudinis Vestrae provolutus humiliter exponit, quod enixe deprecatus

a populo Brioni Vallis Vergusca, dioecesis Novocomensis, ut Viam Crucis erigeret eodem tempore et loco, quo elapso anno sacras ibi peragebat missiones, ratus bona fide, se posse cum privilegio PP. de Observantia communicare, illam erexit. Intelligens modo hujusmodi privilegium eorumdem Patrum privativum esse, Sanctitatis Vestrae eximiam venerabundus deprecatur clementiam pro ipsiusmet Viae Crucis convalidatione, ne Oratoris honor, qui nimium viget in illis regionibus, detrimentum patiatur, dum in casu irritationis Missionarii nomen vilescet, et ab ipsa illi incolae sumerent scandalum. Quam Deus etc. *Ex Aud. diei 13 Septembris 1749.* SSmus attentis peculiaribus circumstantiis petitae sanationi et convalidationi, de qua in precibus, benigne annuit ex gratia speciali, ne transeat in exemplum, injuncto etiam onere Priori Generali Ordinis Capucinorum scribendi epistolam encyclicam sui Ordinis Provincialibus, qui ab hujusmodi invalidis Viae Crucis erectionibus Fratres Provinciae abstinendos esse admoneant, utpote Ordini FF. Minorum de observantia et Reformatorum ab Apostolica Sede privative reservatis.

A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

167.

1749 28 Septembris. Conceduntur indulg. pro orationibus ante Reliquias fundendis.

Toletana. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. piis Serenissimae Mariae Barbarae, catholicae Hispaniarum Reginae, precibus sibi per subscriptum Eminentissimum et Reverendissimum D. D. Cardinalem Sacr. Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum Praefectum Fr. Joachim Portocarrero apud Sanctam Sedem Regnorum et Statuum Serenissimi Regis Catholici Protectorem Regiisque Negotiis praepositum porrectis, quibus enixe supplicatum fuit, ut quamdam thecam ex Sac. Reliquiis Sanctorum prout in singulos anni dies illorum natalitia seu festivitates occurrunt, ditatam ac authenticis litteris rite munitam et ab ipso Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali eidem Serenissimae Reginae catholicae dono datam, ad divini cultus

incrementum, et ad confovendam erga Beatissimam Virginem Mariam immaculatam et reliquos Sanctos catholicorum Regum et Principum devotionem liberali coelestium indulgentiarum munerum dispensatione condecorare dignaretur benigne inclinatus die 28 Septembris 1749 ex speciali gratia Serenissimis Ferdinando Sexto Hispaniarum Regi catholico, eidemque Mariae Barbarae Reginae Oratrici ac Serenissimis ipsorum utriusque sexus filiis, fratribus, eorumque uxoribus, sororibus, ceterisque singulis utriusque sexus Regiae catholicae Hispaniarum Domus Principibus nunc et in posterum quocumque tempore existentibus, vere poenitentibus confessis ac S. Communione refectis, qui quocumque anni festo vel die ante praefatam sacrarum Reliquiarum thecam pro pace et christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo festo vel die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem semel quolibet anni die vel festo per unumquemque ipsorum lucrifaciendam; iis vero diebus, quibus corde tantum contriti fuerint, quinque annorum totidemque Quadragenarum indulgentiam semel pariter in die acquirendam, quam etiam animabus Fidelium Defunctorum per modum suffragii applicare valeant in perpetuum benigne concessit, atque indulsit. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

168.

1749 22 Novembris. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Pauli Primi Eremitae. Ad humillimas preces Fr. Francisci Kovachich, moderni Fratrum Ordinis Sancti Pauli Primi Eremitae Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. volens omnes et singulas ecclesias ejusdem Ordinis in Urbe et extra Italiam dumtaxat ubique erectas vel in posterum erigendas, in quibus altare ad tempus nondum elapsum privilegio decoratum forsan existit, quod per praesens decretum Apostolica auctoritate revocavit, ac

in iisdem singulis situm altare a respectivo locorum Ordinario semel designandum, hoc speciali dono illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis, aut Instituti regularis, Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare praefatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur benigne concessit, atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 22 Novembris Anno 1749.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

169.

1749 22 Novembris. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Pauli Primi Eremitae. Ad humillimas preces Fr. Francisci Kovachich moderni FFr. Ordinis S. Pauli Primi Eremitae Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae pro anima cujuscumque Fratris Presbyteri, Clerici, vel Laici Ordinis ejusmodi, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, in cujusque obitu vel alia die juxta ipsorum constitutiones Missae celebrari solent, ad quodlibet altare cujuscumque ecclesiae ejusdem Ordinis, tam erectae, quam in posterum erigendae celebrabuntur, animae hujusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 22 Novembris 1749.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

170.

1750 18 Martii. Altare privilegiatum.

Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatae. Ad humillimas preces Josephi Augustini Delbequii a Sancto Nicolao, Clericorum Regularium Congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatae Praepositi Generalis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. volens omnes et singulas ecclesias Clericorum Regularium hujusmodi ubique terrarum existentes tam erectas, quam inposterum erigendas, in quibus aliud altare in perpetuum simili privilegio jam decoratum non reperitur, et praevia in ceteris ejusmodi ecclesiis revocatione ejusdem privilegii quomodolibet ad tempus nondum elapsum forsan concessi, ac in eis situm altare a respectivo locorum Ordinario in singulis praedictis ecclesiis semel designandum hoc speciali privilegio illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare praefatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari. Datum Romae die 18 Martii anno 1750.

Fr. S. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

171.

1750 8 Augusti. Altare privilegiatum.

Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli. Ad humillimas preces D. Pauli Philippi Premoli, moderni Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupat., SSmus D. N.

Benedictus Papa XIV. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae pro anima cujuscumque presbyteri, clerici et laici praefatae Congregationis juxta ipsorum constitutiones in eorum obitus, vel alia die ad quodcumque altare cujuscumque ecclesiae ejusdem Congregationis tam erectae, quam inposterum ubicumque erigendae pro illorum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabuntur, animae hujusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 8 Augusti anno 1750.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

172.

1750 8 Augusti. Indulgentiae apocryphae.

Urbis et Orbis. Ut sacrarum indulgentiarum thesaurus ab omni simulationis et falsitatis vitio servaretur immunis, sacrosancta Synodus Tridentina salutari decreto sancivit, ut Episcopi omnes abusus, si qui nascerentur in suis dioecesibus, colligerent et postea ad S. Sedem deferrent, ut ejus auctoritate et providentia statuatur, quod universalis Ecclesiae bono videbitur expedire. Nuper autem cum in dioecesi Salisburgensi aliqua evulgata sint folia, quae apocrypharum indulgentiarum seriem prae se ferre videntur, Consistorium Archiepiscopale Salisburgi de enuntiato Tridentino decreto sollicitum ad hanc Sacram Congregationem eadem folia detulit, ut EE. VV. post illorum examen decernerent, quod ecclesiasticae disciplinae ac oeconomiae magis conveniat. Animadverti debet indulgentias, de quibus sermo est, Monialibus Annuntiatae fuisse concessas, et idcirco multum suspicari posse de illarum subsistentia, utpote impetratarum ante s. m. Paulum V., qui sua Constitutione, cujus est initium *Romanus Pontifex,* cunctas indulgentias pro Regularibus, etiam Ordinum Mendicantium, revocavit. Examinatis itaque

tum origine Ordinis,[1]) tum indulgentiarum qualitate in epitome enuntiatorum foliorum relatis ab EE. VV. definiendum erit: *An delata folia sint permittenda, vel potius interdicenda?* Sac. Congregatio die 8 Augusti 1750 respondit: *Interdicenda et ad mentem; et mens est, ut P. Procurator Generalis FF. Ordinis Minorum de Observantia S. Francisci doceat de prætensa facultate privativa erigendi Sodalitia Pacis.*

173.

1750 23 Novemb. **An PP. Minor. Observ. S. Francisci habeant privativam facultatem erigendi Ordinem Pacis.**

Urbis et Orbis. Proposita causa super subsistentia nonnullarum indulgentiarum, quæ a compluribus Romanis Pontificibus asserebantur concessæ coronis, quas vocant Monialium Sanctissimæ Annuntiatæ a B. Joanna Valesia inventis juxta Summarium Passaviæ typis impressum, EE. VV. in Congregatione habita die 8 Augusti proxime præteriti rescripserunt, præfatum *Summarium esse interdicendum et ad mentem,* quæ in eo versabatur, ut P. Procurator Generalis Ord. Min. de Observ. S. Francisci sollicite doceret probatis documentis de privativa facultate erigendi Ordinem Pacis, sive Confraternitates nonnullas sub diversis denominationibus, qua gaudere sibi persuadent Patres antedicti Ordinis. Verum certiorato de hujusmodi decreto P. Procuratore Generali, cum usque modo nullum probationis monumentum fuerit allatum, ne diutius res in longum protraheretur, neve privilegium nullo suffultum documento magis evulgetur, partes erunt EE. VV. decernere, quod magis expediat. Ob oculos vero haberi poterunt verba Brevis s. m. Innocentii XII. cujus est initium *Cœlestium munerum;* ibi: *„omnes et singulas indulgentias etc. ad Confraternitates sub memorato titulo decem virtutum etc. ubique pariter locorum opera præfatorum Fratrum canonice hactenus erectas et in posterum erigendas etc. extendimus et ampliamus;“* ex quibus sane verbis etsi evincatur PP. Minores de Observ. solitos fuisse erigere dictas Confraternitates, non tamen id agere privative quoad omnes alios dici posse videtur, ita ut privativa facultas in præsenti casu adhuc sit probanda

[1]) Vel Sodalitii Pacis, cui illae indulgentiae suspectae dicebantur concessae.

a PP. Observantibus, si ea frui velint; nam privilegia, utpote a jure exorbitantia, non admittuntur, nisi probentur... Itaque omnibus perpensis ab EE. VV. exquiritur: *An Patribus Minor. Observ. S. Francisci competat privativa facultas erigendi Ordinem Pacis, sive Confraternitates sub diversis denominationibus a B. Joanna Valesia institutas in casu?* Sac. Congregatio die 23 Novemb. 1750 respondit: *Ex hactenus deductis non subsistere.*

174.

1750 11 Decembris. **Altare privilegiatum.**

Ordinis FF. SS. Trinitatis Redempt. Captiv. discalc. nuncup. Ad humillimas preces Fr. Amadei de Sanctis, moderni FFr. Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum Discalceatorum nuncupat. Congregationis Hispaniarum Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. volens omnes et singulas ecclesias conventuales FFr. Ordinis et Congregationis hujusmodi tam erectas quam in posterum erigendas, in quibus aliud altare a s. m. Benedicto XIII. juxta certam formam jam privilegiatum in perpetuum reperitur, quod per praesentes Literas auctoritate Apostolica revocavit, et in eis situm altare a respectivo locorum Ordinario semel designandum hoc speciali privilegio illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare praefatum celebrabit: anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 11 Decembris 1750.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

175.

1750 11 Decembris. Altare privilegiatum.

Ordinis SS. Trinit. Redempt. Captiv. Ad humillimas preces Fr. Magistri Petri Francisci Vacchini, moderni FFr. totius Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum nuncupat. Vice-Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. audito voto Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae volens omnes et singulas ecclesias conventuales FFr. hujusmodi ubique terrarum existentes, tam erectas quam in posterum erigendas, in quibus aliud altare sub die 29 Julii 1727 a s. m. Benedicto XIII. juxta certam formam jam privilegiatum in perpetuum reperitur, quod per praesentes Literas auctoritate Apostolica revocavit, et in eis situm altare a respectivo locorum Ordinario semel designandum hoc speciali privilegio illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare praefatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 11 Decembris 1750.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

176.

1751 3 Aprilis. Oratorium hospitii Regularium quoad indulgentias.

Tertii Ordinis de Poenitentia S. Francisci. Nonnullis in dubium revocantibus utrum ecclesia cujusdam hospitii oppidi Canillas de Aeytuno Malacen. Dioecesis, in quo sex tantum alumni Tertii Ordinis de Poenitentia S. Francisci commorantur, revera gaudeat privilegiis et maxime indul-

gentiis eorum Ordini concessis, ad removendum obortum dubium dictorum alumnorum nomine declaratio petitur, et quatenus opus sit, pro illarum nova concessione huic S. Congregationi supplicatur. Tota dubitandi ratio in eo potissime versatur, ecclesiam, de qua sermo est, veri Conventus ecclesiam haud esse, sed tantum simplicis hospitii, ita ut potius oratorium dici posse videatur quam ecclesia, et idcirco verisimile non esse, S. Sedem hujusmodi ecclesias, quae non videntur destinatae ad universalem perpetuumque Dei cultum, coaequare voluisse quoad privilegia ecclesiis Conventuum. Verumtamen Oratorum templum verae ecclesiae potius quam oratorii nomen promereri videtur; in eo etenim SS. Eucharistiae Sacramentum jugiter asservatur, veneratur imago Deiparae sat miraculis clara, verbum Dei annuntiatur et Sacramenta tum Poenitentiae, tum Eucharistiae administrantur nedum oppidanis, verum etiam finitimis, qui devotionis causa illuc saepe conveniunt, quibus in terminis non raro Sacra Congregatio declaravit, hujusmodi ecclesias, sive oratoria reliquarum Ordinis ecclesiarum generalibus indulgentiis gaudere. Libratis itaque rationum momentis ab EE. VV. erit decernendum: 1° *An ecclesia hospitii oppidi Canillas gaudere valeat indulgentiis Tertio Ordini de Poenitentia S. Francisci concessis? Et quatenus Negative,* 2° *Quaenam sint concedendae in casu?* Sac. Congregatio die 30 Martii 1751 respondit: Ad 1m: *Affirmative.* Ad 2m: *Provisum in primo.* De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 3 Aprilis ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis confirmando benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erbani, Prot. Apostolicus, Secret.

177.

1751 3 Aprilis. **Indulg. pro functionibus hebdom. majoris.**

Urbis et Orbis. Editum jam fuit Decretum tenoris, qui sequitur: *Cum Sac. Congregationi Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae humillime expositum fuerit, tribus diebus, scilicet feria quinta in Coena Domini, ac Parasceve et Sab-*

bato sancto, quibus incruenta Sanctissimi Corporis et Sanguinis D. N. J. C. Sacrificia ex ecclesiasticae disciplinae instituto offerri minime possunt, quoddam pium exercitium in Urbe, et in aliquibus Italiae locis introductum inveniri, sub hac lege, ut quisque spatio saltem unius horae omnibus ac singulis praefatis diebus orationi mentali, vel vocali in suffragium Animarum in purgatorii poenis degentium vacare debeant, ut quo tempore ipsae Fidelium Defunctorum animae suffragiis ex Missarum celebrationibus provenientibus destituuntur, alia qua potest ratione, valeant adjuvari, eadem Sac. Congregatio die 6 Aprilis 1745 re mature perpensa ad laudabile hujusmodi institutum confovendum, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui saltem corde contriti diebus in Coena Domini, ac Parasceve et Sabbato sancto orationi mentali, vel vocali in suffragium Fidelium Defunctorum unam saltem horam devote impenderint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum Animabus Fidelium Defunctorum applicabilem in perpetuum concedendam esse censuit. De quibus facta per me infrascriptum Secretarium die 10 ejusdem mensis Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis approbando benigne annuit. C. Card. De Hieronymis Praef. Loco ✠ Sigilli A. M. Erba Prot. Apost. Secret. Cum vero eidem Sac. Congregationi delatum fuerit, populi frequentiam ac devotionem erga sacras functiones in enuntiato triduo ex Ecclesiae ritu vel consuetudine ad recolenda Sacra Dominicae Passionis mysteria fieri solitas in aliquibus locis tepescentem excitari posse, si indulgentias praedictas ad omnes utriusque sexus ejusmodi sacris functionibus interessentes extenderetur; eadem Sac. Congregatio die 30 Martii 1751 attentis expositis rescribendum esse censuit, „Interessentes ejusmodi functionibus praefata indulgentia gaudere, dummodo, ut praefertur, orent.“ De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sac. Congregationis Secretarium die 3 Aprilis ejusdem anni SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis confirmando benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.

A. M. **Erba**, Prot. Apostolicus, Secret.

178.

1751 24 Aprilis. Altare privilegiatum.

Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum. Ad humillimas preces Patris Magistri Dominici Josephi ab Astigarribia, moderni Fratrum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum nuncupat. Vicarii et Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Benedictus Papa XIV. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae in obitus presbyterorum et clericorum ac laicorum Ordinis hujusmodi, vel alia quacumque die juxta ipsius Ordinis constitutiones ad quodlibet altare cujuslibet ecclesiae Ordinis praedicti celebrabuntur, animae ejusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 24 Aprilis anno 1751.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

179.

1751 20 Julii. De subsistentia indulgentiae, si Titulus ecclesiae mutetur.

Cremonen. S. m. Gregorius XIII. ut erga Congregationem Camaldulensium suum studium et benevolentiam demonstraret, plenariam indulgentiam pro Titulis ecclesiarum ejusdem Ordinis perpetuo concessit; postea vero cum a fel. rec. Gregorio XIV. ecclesia S. Catharinae Cremonae Camaldulensibus monachis fuerit donata, et suppresso Titulo ejusdem Sanctae, alius scilicet S. Romualdi fuerit subrogatus, nihilo tamen minus apud Cremonenses prior Titulus ad haec usque tempora semper viguit, quinimo, tum ab eodem Gregorio XIV., tum a constitutionibus Ordinis monasterium Cremonae SS. Romualdi et Catharinae denominatione fuit nuncupatum; hinc ex hujusmodi promiscua denominatione ortum est dubium, utrum in festo die S. Catharinae antedicta ecclesia plenaria indulgentia a Gregorio XIII. Camaldulensibus ecclesiis concessa gaudeat. Quare Abbas et mo-

nachi enuntiati monasterii hocce dubium proponentes, pro illius resolutione instant. Quaeritur itaque: 1° *An in ecclesia monasterii SS. Romualdi et Catharinae Cremonae in festo ejusdem S. Catharinae consequi possit indulgentia plenaria a s. m. Gregorio XIII. ecclesiis Camaldulensibus concessa? Et quatenus Negative,* 2° *An aliqua partialis sit concedenda pro eodem festo die in casu etc.?* Sac. Congregatio die 20 Julii 1751 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Plenaria juxta stilum.*

180.

1751 20 Julii. Sanctimoniales quoad indulgentias Ordinis.

Nullius Provinciae Bononien. Sanctimoniales Capucinae nuncup. civitatis Carpi in voluntaria clausura viventes sub nonnullis regulis S. Clarae ac peculiaribus quibusdam Ordinarii legibus, cum nulla adhuc gaudeant indulgentia, eo quod eorum Institutum usque modo approbatum non sit a Sede Apostolica, nec valeant alias ecclesias pro acquirendis indulgentiis visitare, petunt admitti ad participandum indulgentiis Ordinis S. Clarae concessis, tam quoad personas, quam quoad ecclesias. Petitam gratiam obtinere confidunt Oratrices ex eo potissime, quia sub regula S. Clarae militant, eo quod rationi et aequitati consentaneum videtur Oratrices utpote profitentes Institutum S. Clarae ejusdem Ordinis privilegiis participes esse, tum quia favores ex vulgatis juris principiis sunt ampliandi, tum etiam quod Oratrices ob clausuram non volentes alias visitare ecclesias, deterioris essent conditionis laicis, qui indulgentias pluribus in locis possent consequi; et hoc pacto ex perfectiori vita Sanctimoniales Oratrices detrimentum potius etiam quoad spiritualia bona, quam emolumentum reportarent, quod sane nec dici, nec permitti posse videtur. Preces praeterea consonae videntur praxi S. hujus Congregationis, quae ubi regulam et Institutum ab aliquo observari animadvertit, ejusdem regulae et Instituti indulgentias, ea profitentibus solet concedere, ut revera concessisse constat in Senen. 4 Febr. 1741, in Placentina 18 Maji 1744, et in Monialium S. Ursulae 16 Decembris 1749. Tandem Sanctimonialium votis adnectuntur Ordinarii literae, quibus gratia commendatur.

Porro nonnulla occurrunt animadvertenda, quae precibus contraria videntur: et quidem Ordinem Sanctimonialium a S. Sede adhuc non esse approbatum ac propterea ab eadem S. Sede spiritualibus gratiis cumulari non solet, ne videatur tacite illum approbare, eo vel magis quia Ordinarius asserit, Oratrices non adhuc habere, quae requiruntur ad perpetuam clausuram servandam. Ultra quam quod Carpenses Sanctimoniales non videntur perfecte servare Institutum S. Clarae, quoties partim aliquibus dumtaxat dictae sanctae regulis et partim Ordinarii legibus moderantur; ex qua sane regularum, legumque commixtione Oratrices habendae non sunt tamquam verae Clarissae Moniales, et idcirco nec etiam quoad indulgentias. Verum tamen est Carpensibus Capucinis tum inspecta earum denominatione, quum determinatione ad regulas S. Clarae hujus potius Ordinis quam alterius indulgentias competere. Libratis itaque rationum momentis EE. VV. consueta sapientia decernere dignentur: 1° *An sanctimonialibus Capucinis Carpi concedendae sint indulgentiae Ordinis? Et quatenus Negative,* 2° *An alias concedere expediat in casu?* Sac. Congregatio die 20 Julii 1751 respondit: Ad 1m: *Negative.* Ad 2m: *Concedendas indulgentias Conservatoriis concedi solitas.* [1])

181.

1751 20 Julii. Conceduntur indulg. Missionum.

Ordinis B. M. V. Redemptionis Captivorum. Redemptionis Captivorum inclitus Ordo, qui ex Instituto incumbit illud vere sanctum et plenum charitate opus redimendi nimirum captivos Christifideles e Turcarum potestate, ut non minus in corpus quam in animas ipsorum Christifidelium suam ostenderet curam et sollicitudinem, catechesibus, concionibus et sacris maxime Missionibus fideles ipsos e daemonum tyrannide liberare conatur, et benedicente Deo, redundans fructus ex Missionibus potissimum quotidie percipitur. Ut autem hujusmodi fructus uberior consequi queat, praefatus Ordo ab hac Sac. Congregatione petit indulgentias et facultates, quibus alii Regulares Ordines gaudeant pro

[1]) Cfr. num. 185 (infra pag. 149).

Missionibus. Quaeritur itaque: 1° *An Ordini PP. Redemptionis Captivorum concedendae sint facultates et indulgentiae, quibus gaudent alii Regularium Ordines pro Missionibus? Et quatenus Negative,* 2° *Quaenam facultates et indulgentiae concedi debeant in casu etc.?* Sac. Congregatio die 20 Julii 1751 respondit: Ad 1m: *Concedendas esse Collegiis Missionum Ordinis supplicantis indulgentias Missiones peragentibus concedi solitas.* Ad 2m: *Provisum in primo.*

182.

1751 4 Septembris. Altare privilegiatum.

FF. Minorum S. Francisci Conventualium. Ad humillimas preces P. M. Fr. Caroli Antonii Calvi, Ministri Generalis et P. M. Fr. Michaelis Benedicti Oneti, Procuratoris Generalis FFr. Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupat. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae juxta constitutiones vel laudabilem consuetudinem ejusdem Ordinis sive cujusque hujusmodi Conventus, vel monasterii Monialium ipsius dumtaxat Ordinis Min. S. Francisci Conventualium pariter nuncupat. sub cura et gubernio ejusmodi Superiorum viventium, tam erectis, quam erigendis, pro Summis Pontificibus, Cardinalibus Protectoribus, Vice-Protectoribus, ac Titularibus, Episcopis seu Ordinariis, Principibus supremis, aliisque in temporalibus locorum patronis, necnon pro respectivis Conventuum ac monasteriorum benefactoribus, fundatoribus, ipsisque Fratribus et Monialibus, horumque tantum genitoribus ab hac luce migrantibus celebrari debent et solent, ad quodcumque altare respective, tam Conventuum Fratrum, quam monasteriorum Monialium hujusmodi ecclesiae in eorum vel earum obitu, aut alia die celebrabuntur, animae ejusmodi pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Praesenti in perpetuum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 4 Septembris 1751.

Fr. J. A. Card. Guadagni, Pro-Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

183.

1752 15 Januarii. Capellae FF. Ord. S. Francisci de Observ.

Ordinis FF. S. Francisci de Observ. Reform. nuncupat. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die undecima Januarii 1752 censuit, declarandum esse, omnes et singulas capellas publicas praefatorum Fratrum Ordinis S. Francisci de Observantia Reformatorum nuncupatorum in Germania, Polonia, Hungaria, Bohemia, Transylvania, Prussia, Russia, aliisque conterminis provinciis existentes gaudere, donec residentiam inibi praefati Fratres duxerint, omnibus et singulis indulgentiis et privilegiis, ceteris ecclesiis ejusdem Ordinis generaliter concessis, dummodo ad illas capellas Christifideles ad Sacrum audiendum et ad percipienda Ecclesiae Sacramenta confluant. De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sac. Congregationis Secretarium Sanctissimo Domino relatione die 15 ejusdem mensis, Sanctitas Sua votum Sac. Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

184.

1752 15 Januarii. Confraternitatis scholarium.

Cleric. Regul. Congr. S. Pauli. SSmus concessit Praeposito Generali sive ejus Vicario Generali pro tempore existenti Clericorum Regularium Congregationis S. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupat. facultatem erigendi (servata tamen forma Constitutionis Clementis VIII. diei 7 Dec. 1604, incip. *Quaecumque)* in quibusvis Collegiis, Seminariis aliisque domibus, tam intra, quam extra Italiam sub cura ejusdem Congregationis manentibus, Confraternitates seu Congregationes tam scholarium, quam aliorum non scholarium sub quacumque denominatione, seu titulo B. M. V. cum facultatibus necessariis et opportunis pro canonica et honesta illarum erectione, regimine et directione, in forma solita et sacris canonibus, ac Concilii Tridentini decretis non contraria. Insuper die 15 Januarii 1752 audito voto Sacrae Congregationis concessit iisdem Confraternitatibus,

vel Congregationibus sic erectis indulgentiam plenariam in cujusque Christifidelis masculini tamen sexus ingressu, ac pro solis confratribus indulgentiam plenariam in festo titularis cujusque Confraternitatis seu Congregationis, et in aliis tribus festivitatibus semel designandis, necnon septem annorum in aliis quatuor pariter festis. Insuper plenariam pro Communione generali semel in mense peragenda. Similiter plenariam semel in anno pro exercitiis spiritualibus octo saltem dierum, et quoad juvenes trium dierum; et plenariam in articulo mortis; necnon partialem centum dierum pro quolibet pietatis vel charitatis opere. Concessit pariter, ut Missae, quae ad quodlibet altare pro confratribus defunctis celebrabuntur, gaudeant privilegio, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent, et demum indulsit, ut de omnibus et singulis praedictis indulgentiis participent omnes clerici, sacerdotes et laici praedictae Congregationis, quamvis nulli ejusmodi Confraternitatum vel Congregationum nomen et frequentiam praestiterint, in perpetuum.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

185.

1752 15 Januarii. Altare privilegiatum.

Nullius Provinciae Baren. Praepositus mitratus ecclesiae Canosae habens territorium et jurisdictionem separatam supplicat, ut declaretur, an sua ecclesia possit frui altaris privilegio quotidiano a s. m. Benedicto XIII ecclesiis cathedralibus concesso, et quatenus negative, supplicat in favorem suae ecclesiae pro hujusmodi privilegii concessione. Sacra Congregatio die 11 Januarii 1772 censuit, posse concedi ecclesiae Canosae altare privilegiatum quotidianum perpetuum eodem modo ac ecclesiae cathedrales ex concessione Benedicti XIII hujusmodi privilegio fruuntur. Facta de his omnibus per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium Sanctissimo D. N. relatione, Sanctitas sua die 15 Januarii benigne annuit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secretarius.

186.

1752 15 Februarii. Moniales quoad indulg. Fratrum.

Nullius Provinciae Bononien. Instantibus Monialibus Capucinis Carpi pro indulgentiis Ordini S. Francisci concessis, Sacra ista Congregatio die 20 Julii proxime praeteriti rescripsit: *concedendas esse indulgentias Conservatoriis concedi solitas.* Verum huic Rescripto non acquiescentes praefatae Moniales iterum preces instaurant et pro eadem gratia supplicant. Quaeritur itaque: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu?* Sac. Congregatio die 15 Januarii 1752 respondit: *In decisis, et ad mentem. Et mens est, ut supplicetur SSmo pro concessione plenariae pro omnibus in aliquibus festis ad septennium.*

187.

1752 17 Aprilis. Via Crucis.

Beatissime Pater! Provincialis ceterique Fratres Ordinis Min. Capucin. provinciae Tirolen. humillime exponunt Sanctitati Vestrae, quod magnus est devoti populi concursus ad ecclesias eorum Ordinis in dicta provincia praesertim erga SSma Dominicae Passionis mysteria per exercitium Viae Crucis recolenda, unde fideles saepe saepius dicti Ordinis Fratres instantissime rogant, ut ad augendam ejusmodi pii exercitii devotionem instituere velint publice Viam Crucis, uti solent instituere Fratres Observantes Reformati et Recollecti, cum singulis indulgentiis et privilegiis ipsi pio exercitio ab Apostolica Sede concessis. Ideo ne tot fideles in praefata provincia commorantes ejusmodi spirituali subsidio careant, atque in iis devotio erga SSma Passionis mysteria tepescat, supplicant humillime S. V. quatenus Oratori, et pro tempore existenti Provinciali, ceterisque Fratribus ejusdem provinciae Capucinis, facultatem impertiri dignetur, erigendi Stationes Viae Crucis cum annexis indulgentiis non tantum in ecclesiis, seu extra et prope ecclesias Conventuum dictorum Capucinorum, sed etiam in locis praedictae provinciae, in quibus nullus adsit Conventus Fratrum Min. de Observantia, vel Reformatorum aut Recollectorum, sicuti jam gaudent ex concessione Apostolica FF. Capucini Helvetiae

et Rhaetiae. Quod Deus etc. Relatis humillime SSmo D. N. praefatis precibus, ac ab eadem Sanctitate Sua ad Sacram Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam benigne remissis, eadem Sacra Congregatio die 17 Aprilis 1752 decernendum esse censuit: *Detur Rescriptum Apostolicum diei 10 Martii 1742 super hujusmodi precibus ad instantiam Procuratoris Generalis FF. Min. Capucinorum pro tota Germania emanatum,* videlicet: Die 10 Martii 1742. SSmus remisit preces ad P. Ministrum Generalem Ord. Min. S. Francisci de Observantia cum facultatibus necessariis et opportunis pro concessione petitae facultatis erigendi Viam Crucis in locis tantummodo Germaniae, in quibus non adsit Conventus FF. eidem Ministro Generali subjectorum.

188.

1752 10 Maji. **Indulgentia 20 dierum conceditur iis, qui tactum Virgae poenitentialis devote recipiunt.**

Minister Provincialis Provinciae Russiae Ord. Minor. Observantium S. Francisci, Polonus, humillimus Orator reverenter exponendo EE. VV. qualiter in celeberrima ecclesia Conventus Lezayscensis B. V. Mariae auctoritate Apostolica coronatae dioecesis Premisliensis in confiniis infidelium situata instituti sint quatuor Poenitentiarii, quibus nuper Sac. Congregatio S. Officii concessit facultatem absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi reservatis prout adnexum diploma authenticum testatur. Prostratus ante thronum gratiae EE. VV. humillime supplicat, quatenus EE. VV. praefatis quatuor Poenitentiariis electis, seu pro tempore eligendis, ictum seu tactum poenitentialis Virgae praebentibus necnon singulis utriusque sexus Christifidelibus eumdem ictum seu tactum humillime et corde saltem contritis recipientibus; qua vice id egerint indulgentiam viginti dierum in perpetuum benigne concedere dignentur, prout EE. VV. dignati sunt similem gratiam concedere pro ecclesia FFr. Min. Socahensi dioecesis Chelmensis die 25 Junii 1746. Ex eo enim in populo ad illam ecclesiam ex longinquis partibus turmatim confluenti major devotio, majorque illius sanctuarii reverentia in dies augebuntur. Quam gratiam etc. Die 10 Maji

1752 SSms D. N. Benedictus PP. XIV. tum praefatis quatuor Poenitentiariis electis, seu pro tempore eligendis ictum seu tactum poenitentialis Virgae praebentibus, cum singulis utriusque sexus Christifidelibus eumdem ictum seu tactum humillime et corde saltem contritis recipientibus, qua vice id egerint, indulgentiam viginti dierum in perpetuum benigne concessit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

189.

1752 10 Maji. **Communicatio indulgentiarum in 5 anni diebus.**

Beatissime Pater! Fr. Petrus Franciscus Vachini, Sac. Theol. Magister et in Curia Romana Vice-Procurator Generalis totius Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, S. V. exponit, quod usque hodie tam dicti Ordinis Pater Generalis quam Procurator Generalis, tam praedecessores, quam moderni, et etiam in praesentiarum Procurator in expediendis erectionibus Confraternitatum secundum facultates a Sede Apostolica concessas praefato Ordini semper deputarunt in suis patentibus literis pro hujusmodi erectionibus expeditis directorem, seu capellanum earumdem Confraternitatum pro tempore, pro functione facienda, vocata *communicatio indulgentiarum* in quinque diebus anni ad tenorem formulae praescriptae a s. m. Clemente X. juxta ejus Breve Apostolicum die 11 Februarii 1673 emanatum, verum, quia occasione, qua Sacrae Congregationis mandato, reformata fuit dicta formula faciendi dictas erectiones, aut aggregationes, repertum fuit, quod praedicta facultas faciendi dictas functiones ad ecclesias Ordinis solum pertinere, ideoque ut impediatur quaelibet deordinatio et praejudicium; quod dicto Ordini evenire posset cessatione dictarum functionum in ecclesiis extra praedictum Ordinem, ubi sunt dictae Confraternitates erectae, eo magis, quod a quodam Episcopo oppositum fuit, nisi constet de specifica facultate humillime supplicat Orator S. V., ut benigne concedere dignetur extensionem dictae facultatis in quacumque ecclesia, ubi sit erecta dicta Confraternitas, una cum facul-

tate deputandi directorem seu capellanum pro tempore. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. attentis expositis petitae extensioni benigne annuens, indulsit, ut Patres tam Generalis, quam Procurator Generalis praefati Ordinis, moderni, et pro tempore existentes, ad faciendam in enuntiatis quinque diebus functionem, quam communicationem indulgentiarum vocant, in ecclesiis extra dictum Ordinem ubicumque existentibus, in quibus Confraternitas SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum canonice reperiatur erecta, rectorem, seu capellanum cujuslibet ejusmodi Confraternitatis pro tempore electum deputare valeant, dummodo tamen servetur formula in Brevi s. m. Clementis X. diei 11 Februarii 1673 incipien.: *Ex injuncto Nobis coelitus* praescripta, et methodus in literis erectionum, sive aggregationum ejusmodi Confraternitatum a Sac. Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 11 Januarii 1752 recognita et approbata. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae die 10 Maji 1752.

Fr. S. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

190.

1752 19 Augusti. Absolutio generalis.

Ordinis B. M. V. de Mercede. Magister Fr. Dominicus Joseph ab Astigarribia, Vicarius et Procurator Generalis Regalis ac Militaris Ordinis B. V. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, ad pedes S. V. provolutus humiliter exponit, quod praefatus Ordo ab immemorabili tempore absolvere et benedicere consuevit, certis quibusdam anni diebus, omnes tam Saeculares quam Regulares in ecclesiis ipsius Ordinis praesentes, communicando ipsis indulgentias a Summis Pontificibus dicto Ordini concessas, cum specifica facultate eas communicandi. Et licet ex sacramentali Confessione, sacraque Communione, operibus, ad praedictam communicationem indulgentiarum singulis praedictis diebus obtinendam praescriptis, inferatur, indulgentiam, auctoritate Apostolica communicari solitam, esse plenariam, cum hoc tamen certo non constet, ad tollendos scrupulos, et liberta-

tem in hac materia, pro libito opinandi, humiliter precatur Orator S. V., ut pro sua summa benignitate declarare dignetur, indulgentiam, diebus ad impertiendam absolutionem a S. Sede destinatis, communicari consuetam, esse plenariam sicut et Benedictionem auctoritate Summorum Pontificum praedictis diebus impertiri solitam esse Papalem, et quatenus opus sit, id de novo concedere. Et erit pro summa gratia etc. Die 19 Augusti 1752. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. attentis praemissis, et praesertim Brevi s. m. Clementis VIII. diei 9 Julii 1602 incipien *Cum ad uberes* favore Confraternitatum B. V. M. de Mercede Redemptionis Captivorum nuncup. dumtaxat emanato, quo injungitur, ut ejusmodi confratres et consorores ad dictam indulgentiarum communicationem praescriptis diebus obtinendam sint contriti, confessi, ac sacra Communione refecti, et attenta pariter ejusdem gratiae extensione ad reliquos omnes utriusque sexus Christifideles in ecclesia praesentes ab eadem Sanctitate Sua sub die 10 proximi praeteriti Maji facta, benigne declaravit, quoscumque utriusque sexus Christifideles indulgentiam in praedicta communicatione lucrari plenariam, quam etiam, quatenus opus sit, ex integro concessit. Datum Romae die 19 Augusti 1752.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

191.

1752 28 Augusti. Oratoria Soc. Jesu quoad indulgentias.

Missionum Societatis Jesu in Hibernia. Apostolica Sedes paterna prosequens benevolentia eos, qui in vinea Domini strenue laborant, prae oculis habens praeclara merita S. Francisci Xaverii, ad ejus devotionem confovendam concessit, ut qui in una ex decem *sextis feriis* vel ante, vel post diem festum ejusdem Sancti confessi, ac sacra communione refecti aliquam Societatis Jesu ecclesiam devote visitaverint, plenariam suorum peccatorum remissionem consequi possint, et in reliquis *sextis feriis* eadem pia opera peragentes relaxationem septem annorum, totidemque quadragenarum de injunctis poenitentiis; verum in Hibernia cum Societas Jesu

proprias non habeat ecclesias, eo quod PP. ejusdem Societatis tamquam Missionarii in toto regno sunt divisi, et idcirco nequeant catholici Hiberni participes esse praefatarum indulgentiarum, Superior dictarum Missionum Sacrae huic Congregationi supplicat pro gratia, ut easdem indulgentias Christifideles consequi valeant in quacumque ecclesia, oratorio, aut ara, in quibus PP. Societatis sacras obibunt functiones saepedictis feriis sextis in honorem S. Francisci Xaverii. Quaeritur igitur: *An oratoria, capellae ceteraque loca Hiberniae, in quibus PP. Missionarii Soc. Jesu sacras obeunt functiones, subrogari debeant in locum ecclesiarum ejusdem Societatis pro acquirendis indulgentiis concessis in decem feriis sextis ante vel post diem festum sancti Francisci Xaverii in casu?* Sac. Congregatio die 28 Augusti 1752 respondit: *Negative et ad mentem; et mens est, ut, quatenus habeant oratoria fixa, in ipsis indulgentia petita concedatur.*

192.

1753 28 Martii. Altare privilegiatum.

Monialium totius Ordinis B. M. V. de Mercede Redempt. Captiv. Ad humillimas preces P. Magistri Dominici Josephi ab Astigarribbia, moderni FFr. Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum nuncupat. Vicarii et Procuratoris Generalis, Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. volens omnes et singulas ecclesias monasteriales Monialium ejusdem Ordinis et sub cura et jurisdictione Superiorum Ordinis ejusdem existentium, sive erectas, sive in posterum erigendas, in quibus altare a s. m. Benedicto XIII. sub die 24 Januarii 1725 pro una cujuslibet hebdomadae dumtaxat feria privilegiatum in perpetuum reperitur, quod per praesentes Literas auctoritate Apostolica revocavit, et in eis situm altare a respectivo Locorum Ordinario semel designandum hoc speciali dono illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis Missam pro anima ipsarum Monialium, earumque consanguineorum et affinium in primo et secundo gradu inclusive, ac puellarum in iisdem monasteriis educandarum, aliarumque inibi servientium et

pro tempore degentium, necnon monasteriorum praefatorum benefactorum, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad altare praefatum celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 28 Martii 1753.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

193.

1754 7 Septembris. Altare privilegiatum.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV., praevia revocatione alterius altaris privilegiati, quatenus adsit, in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum Apostolico privilegio decorati, benigne concessit atque indulsit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque sacerdote saeculari, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regulari ad unum altare per Ordinarios Locorum in qualibet ex ecclesiis presbyterorum saecularium Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, tam erectis, quam in posterum erigendis in quacumque mundi parte existentibus situm, semel tantum respective designandum, excepta tamen ecclesia dictorum presbyterorum de Urbe, pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabitur, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc concessionem suffragari debere absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 7 Septembris 1754.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

194.

1755 9 Aprilis. Indulgentia Portiunculae.

Marianen. Inter ceteras indulgentias a SSmo D. N. peculiari Constitutione anno 1751 Sodalitio Tertii Ordinis S. Francisci nuncupati concessas, illa etiam recensetur, qua pro die 2 Augusti (quam Portiunculae vocant) gaudent ecclesiae Ordinis ejusdem S. Francisci. Verum cum praefata indulgentia ad sodales dumtaxat limitata sit, Sodalitium oppidi S. Joannis de el Rey, Marianensis dioecesis, supplicat huic Sacrae Congregationi pro extensione antedictae indulgentiae ad quoscumque Christifideles, etiam non sodales, qui enuntiata die Sodalitii ecclesiam visitaverint. Voti compotes fieri sperant confratres Oratores ea praesertim de causa, quia eorum ecclesia, Ordinis S. Francisci ecclesia dici possit et debeat, utpote ad sodalitium ejusdem Ordinis pertinens, et uti talis rationi consentaneum videtur, ut Ordinis indulgentiis gaudeat, tum quia juxta juris principia favores sunt ampliandi, et praesertim ille, de quo sermo est, uti mere spiritualis, multumque ad animarum salutem conducens. Ultraquam quod ad petitam extensionem confratres summopere conferre putant illud animadvertere, in tota Marianensi dioecesi nullam reperiri Ordinis S. Francisci ecclesiam, in qua die secunda Augusti Christifideles Portiunculae indulgentiam consequi valeant, ac proinde peculiaris quaedam ratio suadere videtur indulgentiam sodalibus dumtaxat concessam ad omnes Christifideles extendere. Porro, cum Sodalitio Oratori speciali gratia SSmus D. N. plures, tum plenarias, tum partiales, praeter consuetas indulgentias, concesserit, si ejusdem Sodalitii precibus annueret Sacra Congregatio nova superadderetur perpetua gratia contra praxim ipsius Sacrae Congregationis, quod sane absque urgenti causa praestari non solet; et quamvis in dioecesi Marianensi alia non sit ecclesia Ordinis S. Francisci pro acquirenda Portiunculae indulgentia, utique non deerunt aliorum Ordinum ecclesiae pro aliarum festivitatum indulgentiis lucrandis. Consueta itaque sapientia EE. VV. dignabuntur decernere. Quaeritur itaque: *An indulgentia plenaria confratribus Tertii Ordinis S. Francisci concessa pro die 2 Augusti extendenda sit ad*

omnes Christifideles in ecclesia Sodalitii Tertii Ordinis oppidi S. Joannis de el Rey in casu? Sac. Congregatio die 8 Aprilis 1755 respondit: *Pro gratia, attentis peculiaribus circumstantiis.* De quibus facta per me infrascriptum ipsius Sacrae Congregationis Secretarium die 9 ejusdem mensis SSmo D. N. relatione Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, S. C. Indulg. Secret.

195.

1755 10 Maji. **Altare privilegiatum.**

Ad humillimas preces Fr. Petri Pauli Renzi, Prioris Generalis Ordinis S. Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. praevia revocatione alterius altaris privilegiati, quatenus adsit, in perpetuum, vel ad tempus nondum elapsum simili privilegio decorati (firmis tamen remanentibus privilegiis, ut asseritur, antea in perpetuum concessis in ecclesiis FFr. Congregationis ejusmodi B. Petri de Pisis, scilicet S. Onuphrii de Urbe, B. M. Virginis Gratiarum nuncupat. Civitatis Neapolitanae, ac S. Sebastiani Civitatis Venetiarum) benigne concessit, atque indulsit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque sacerdote saeculari, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis, ad unum altare per Ordinarios locorum in qualibet ex ecclesiis Fratrum dictae Congregationis tam erectis, quam in posterum erigendis, in quacumque mundi parte existentibus situm, semel tantum respective designandum pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit celebrabitur, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae Virginis Mariae, Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro decreto. Voluit-

que Sanctitas Sua, hanc concessionem suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 10 Maji anno 1755.

Fr. S. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, S. C. Indulg. Secret.

196.

1755 19 Julii. Altare privilegiatum.

Ad humillimas preces D. Benedicti de Geisman, Abbatis Werdinensis et Helmstadiensis, Praesidis Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existen. SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. volens omnes et singulas ecclesias monasteriorum Monachorum Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existentium, in quibus aliud altare, vel in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum simili privilegio decoratum forsan reperitur, quod per praesens decretum revocavit, et in qualibet ex dictis ecclesiis altare sub invocatione S. Benedicti erectum sive erigendum hoc speciali dono illustrare, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti regularis sacrosanctum Missae Sacrificium pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum S. Benedicti altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut Domini Nostri Jesu Christi ac Beatissimae V. Mariae Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur benigne concessit atque indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro decreto. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 19 Julii anno 1755.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Pro-Secret.

197.

1755 19 Julii. Indulgentiae pro hospitalibus Ordinis S. Joannis de Deo.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. die 19 Julii 1755 omnibus confessariis ab Ordinariis locorum approbatis, qui

in audiendis confessionibus Christifidelium infirmorum hospitalium Ordinis S. Joannis de Deo se exercuerint, item eisdem infirmis quoties vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in praefatis hospitalibus devote sumpserint; item omnibus Christifidelibus, qui infirmos in ea adduxerint, et denique iisdem, qui quodcumque pietatis et charitatis opus erga ipsos infirmos exercuerint, toties, pro quolibet praefatorum piorum operum exercitio centum dierum indulgentiam de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta in perpetuum benigne concessit seu relaxavit. Iisdem vero doctrinam christianam docentibus et addiscentibus omnibus et singulis indulgentiis a fel. rec. Clemente XII. generaliter concessis gaudere, et tandem dicentibus „*Laudetur Jesus Christus*“ et respondentibus „*Amen*“, indulgentia pariter centum dierum etiam a fel. rec. Sixto V. similiter generaliter concessa et a Benedicto XIII. confirmata etiam in perpetuum gaudere benigne declaravit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

198.

1756 19 Januarii. Visitatio ecclesiae.

Proposito in Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita dubio: *An pro acquirenda indulgentia, quae spatio octo sive trium dierum alicui ecclesiae conceditur, visitatio dictae ecclesiae peragi debeat singulis praefatis diebus, vel satis sit, semel dicto spatio perficere?* Eadem Sac. Congregatio die 19 Januarii 1756 declaravit: *Semel tantum sufficere ecclesiae visitationem implere.*

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

199.

1756 3 Aprilis. Numismata S. Benedicti.

Pragen. Ad humillimas et enixas preces P. Martini Schmidt, moderni et pro tempore existentis Abbatis mona-

sterii regii Pragae Bohemorum in Emaus, Ordinis S. Benedicti Congregationis Monserratensis in Germania, dioecesis Pragensis regni Bohemiae, ut asseritur Praelati infulati ac per Bohemiam ejusdem Congregationis Monserratensis Visitatoris perpetui, regiaeque capellae in eodem regno Bohemiae capellani perpetui SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. eidem Martino, ejusque successoribus, ac omnibus et singulis Abbatibus, Prioribus, ceterisque Monachis sacerdotibus ipsimet, et pro tempore existenti Visitatori perpetuo subjectis,[1]) numismata, seu medallias, vel cruces, aut cruculas S. Benedicti nuncupatas, quarum una pars imaginem ejusdem S. Benedicti repraesentat, altera vero crucem, in cujus extremo circuitu literae seu characteres, scilicet „V. *(vade)* R. *(retro)* S. *(Satana)* N. *(numquam)*, S. *(suade)* M. *(mihi)* V. *(vana)*, S. *(sunt)* M. *(mala)* Q. *(quae)* L. *(libas)* I. *(ipse)*, V. *(venena)*, B. *(bibas)*; in linea ejus recta C. *(Crux)* S. *(Sancta)* S. *(sit)* M. *(mihi)* L. *(lux)*; in inversa vero N. *(non)* D. *(Draco)* S. *(sit)* M. *(mihi)* D. *(dux)*; ac demum in quatuor lateribus, C. *(Crux)* S. *(Sancti)* P. *(Patris)* B. *(Benedicti)*" respective significantes exprimuntur, facultatem privative benedicendi benigne concessit. Eadem vero numismata per Abbatem ceterosque Monachos praefatos pro tempore existentes benedicta spiritualibus gratiis ac coelestibus Ecclesiae thesauris specialiter insignire volens, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus ejusmodi numismata sic benedicta devote gestantibus, necnon cum vel coram aliquo eorum orantibus, ac insimul pia opera, prout infra suis cuique locis respective injungitur, peragentibus indulgentias modo et forma, quae praescribitur, clementer indulsit, videlicet: „Ut qui saltem semel in hebdomada coronam Domini, vel Beatissimae Virginis Mariae, aut rosarium ejusve tertiam partem, aut Officium vel divinum vel parvum Beatissimae Virginis Mariae vel Defunctorum, aut septem Psalmos Poenitentiales, vel Graduales recitare, aut rudimenta fidei docere, aut detentos in carcere, vel alicujus domus hospitalis aegrotos visitare, aut pauperibus subvenire, aut Missam vel audire vel, si est sacerdos, celebrare consueverit,

[1]) Eadem facultas aliis ejusdem Ordinis monasteriis iisdem fere verbis concessa est.

si vere poenitens et sacerdoti per Ordinarium approbato confessus sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in quolibet ex diebus infrascriptis, nimirum die festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, sanctissimae Trinitatis et Corporis Christi, ac die Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis Beatissimae V. Mariae, necnon primo die Novembris festo Omnium Sanctorum, ac die festo S. Benedicti, et pro haeresum exstirpatione, fidei catholicae exaltatione ac propagatione, pace et christianorum Principum concordia, ceterisque Romanae Ecclesiae necessitatibus pias ad Deum preces effuderit, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam consequatur. Qui eadem in aliis festis Domini, aut Beatissimae Virginis, Sanctorumve Apostolorum, aut S. Josephi, aut SS. Mauri, Placidi, Scholasticae et Gertrudis Ordinis S. Benedicti peregerint, in quolibet eorum septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam acquirat, quam pariter adipiscatur, qui Missam audiet, vel si est sacerdos celebrabit ac pro christianorum Principum prosperitate, illorumque statuum, et ditionum tranquillitate Deum orabit. Qui ob reverentiam erga Passionem Jesu Christi Domini Nostri feriis sextis aut in honorem Beatissimae Virginis diebus sabbati, qualibet earum die id egerit, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum. Qui vero confessus ac S. Communione refectus jejunium iisdem diebus per integrum annum servaverit, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam lucrabitur, qua etiam gaudebit, qui idem opus complere intendens infra annum decesserit. Qui semel vel pluries in die jaculatoriam „*Benedicta sit purissima et immaculata Conceptio*“ proferre consueverit, indulgentiam quadraginta dierum. Qui saltem semel in hebdomada recitare consueverit coronam, aut rosarium, aut Officium Beatissimae Virginis vel Defunctorum, aut Vesperas, unumque saltem ex Nocturnis, et Laudes, aut septem Psalmos Poenitentiales et Litanias, eorumque preces, aut in honorem sanctissimi Nominis Mariae quinquies salutationem Angelicam, aut Antiphonam „*Sub tuum praesidium*“ cum una qualibet

ex probatis orationibus Beatissimae Virginis, quo die id fecerit, indulgentiam centum dierum consequatur. Qua semel in quavis feria sexta fruatur, qui Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam ter recitaverit, ac de Passione et Morte Domini Nostri Jesu Christi pie cogitaverit; eamdem pariter lucretur, qui ob devotionem erga SS. Josephum, Benedictum, Maurum, Scholasticam et Gertrudem recitando Psalmum „*Miserere mei Deus etc.*“ aut quinquies Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam oraverit, ut Deus per eorum intercessionem sanctam catholicam Ecclesiam conservet, ipsumque devotum beato fine quiescere faciat. Qui in celebranda Missa, vel sumenda Eucharistia, aut Officio divino, vel parvo B. M. V. recitando, priusquam incipiat, devotam aliquam precationem adhibuerit, quinquaginta dierum indulgentia gaudeat, quam similiter assequatur, qui pro Christifidelibus in exitu vitae constitutis Deum deprecabitur, ac pro ipsis ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerit. Qui detentos in carcere, aut aegrotos in nosocomiis visitaverit, eos aliquo pio opere adjuvando, aut doctrinam christianam in ecclesia vel domi filios aut propinquos aut famulos docuerit, praeter indulgentias ab aliis Summis Pontificibus ad id concessas, toties indulgentiam bis centum dierum acquirat. Qui rosarium vel coronam B. M. V. in honorem ejusdem purissimae Immaculatae Conceptionis recitaverit, ipsam deprecans apud ejus divinum Filium, ut sine lethali labe vivere ac mori valeat, indulgentiam viginti annorum semel in hebdomada consequatur, qua pariter, qui sacratissimum Eucharistiae Viaticum ad infirmos devote sociaverit, praeter indulgentias ad idem tam pium opus ab aliis Summis Pontificibus concessas, omnino gaudeat. Qui quotidie pro haeresum exstirpatione oraverit, indulgentiam viginti annorum semel in hebdomada consequatur. Qui conscientiam suam excusserit, ac vere poenitens peccata commissa emendare et confiteri firmiter proposuerit, quinquies Oratione Dominica et Salutatione Angelica devote repetita, unius anni, si vero confessus et sacra Communione refectus fuerit, eadem die decem annorum indulgentia fruatur. Qui probo suo exemplo, aut consilio aliquem peccatorem ad

poenitentiam reduxerit, tertiae partis poenarum sibi propter sua peccata alias quomodolibet debitarum remissionem consequatur. Qui vere poenitens, confessus, sacraque Communione refectus in feria quinta Coenae Domini et in die Paschatis Resurrectionis pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, Summique Pontificis conservatione pias ad Deum preces fuderit, easmet acquirat indulgentias, quas iisdem diebus Sanctitas Sua populo benedicens publice elargitur. Qui Deum pro Ordinis seu Religionis S. Benedicti propagatione deprecatus fuerit, particeps sit omnium et singulorum bonorum operum, quae in eadem Religione quomodolibet peraguntur. Qui vel infirmitate corporis vel alio legitimo impedimento detentus, Missam audire, aut, si sacerdos sit, celebrare, aut Officium vel divinum vel B. V. M., aut alia virtutis exercitia ad praefatas indulgentias acquirendas injuncta peragere nequiverit, eisdem nihilominus gaudeat, si pro ipsis recitaverit ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, ac Antiphonam „*Salve Regina*“ atque in fine ejus dixerit „*Benedicta sit sanctissima Trinitas, et laudetur sanctissimum Sacramentum, ac Conceptio B. M. V. sine labe originali conceptae*“, dummodo tamen confessus, ac sacra Communione refectus fuerit, vel inde saltem contritus peccata sua confiteri firmiter proposuerit. Qui in articulo mortis animam suam Deo pie commendans praemissa peccatorum suorum confessione, sumptaque sacratissima Eucharistia, si potuerit, sin minus elicita cordis contritione, Jesu et Mariae nomina ore, si potuerit, alioquin corde saltem invocaverit, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam consequatur. Quilibet omnes et singulas praefatas indulgentias et peccatorum remissiones necnon poenitentiarum relaxationes aut ipse adipisci, aut fidelibus defunctis per modum suffragii applicare valeat. Sanctitas Sua declaravit, quod ejusmodi numismata seu medalliae, quae non fuerint benedictae a praefatis Monachis, vel quibus ab Apostolica Sede ex speciali gratia indultum fuerit, omni penitus careant indulgentia. In distribuendis hujusmodi numismatibus, eorumque usu Eadem Sanctitas Sua servari jubet decretum fel. rec. Alexandri VII. editum sub die 6 Februarii 1657 nimi-

rum, ut numismata, quae vulgo medalliae nuncupantur, cum praefatis indulgentiis benedicta non transeant personam illorum, quibus a Monachis praedictis concedentur, aut quibus ab his prima vice distribuentur; nec commodari, aut precario dari aut vendi valeant, alioquin careant indulgentiis jam concessis, et aliqua deperdita altera pro ea subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit, quocumque privilegio aut concessione in contrarium non obstante. Insuper expresse prohibet, ne quis sacerdos, sive saecularis, sive cujuscumque Ordinis regularis, quavis etiam dignitate insignitus extra praefatos Monachos, vel quibus a S. Sede ex speciali privilegio indultum est, ejusmodi numismata benedicere, aut a se benedicta fidelibus distribuere audeat seu praesumat, sub poenis per respectivos locorum Ordinarios, aut fidei Inquisitores juxta reatus qualitatem arbitrio infligendis. Voluitque, quod istarum literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae vel pro tempore existentis praefati Abbatis munitis eadem prorsus fides ubique locorum adhibeatur, quae adhiberetur his praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae die 3 Aprilis 1756.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

200.

1756 31 Julii. **Indulgentia pro traditione doctrinae christianae.**

Cum nihil tum a SS. Patribus, quum a sacris Conciliis et praesertim a Tridentino magis Rectoribus animarum commendetur, quam, ut plebes sibi commissas saltem diebus Dominicis ac festis solemnioribus pascant salutaribus verbis, docendo, quae scire omnibus necessaria sunt ad salutem, quae vitia potissimum declinare, quasque virtutes magis sectari oporteat, ut poenam aeternam evadant, ac gloriam sempiternam consequantur, mos ubique fere invaluit apud parochos hujusmodi munus implendi explicatione Evangelii, quae praefatis diebus festis ut plurimum in parochiali Missa habetur. Quinimo san. mem. Clemens XI. ut Christifideles

alacriori animo huic tam utili explicationi interessent, indulgentiam centum dierum, quoties id egerint, concessit, quam etiam Sanctissimus Dominus Noster anno 1751 benigne confirmavit. Nihilo tamen minus, cum homines semper in malum sint proclives, paucique de aeterna salute sint solliciti, pauci quoque salutis monita a proprio Pastore statutis diebus audire curent, ita ut non raro contingat, ut parochi vel coram paucissimis habeant praefatam Evangelii explicationem, vel eam ob auditorum deficientiam omittere non dubitent.

Intelligens propterea Sanctissimus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. ex hujusmodi sive intermissa, sive neglecta Evangelii explicatione, ignorantiam populi in iis, quae ad aeternam salutem spectant, in dies augeri, quae origo esse solet et praecipua causa animarum ruinae, nec huic gravi malo faciliori modo occurri posse, quam spirituali aliqua ampliori gratia excitando tam parochorum zelum, quam Christifidelium negligentiam, audito prius Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae voto, indulgentias a san. mem. Clemente XII. docentibus et addiscentibus Catechismum, Doctrinamve Christianam concessas, partialem videlicet septem annorum totidemque quadragenarum, pro qualibet vice, et plenariam in tribus diebus festis, nimirum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis Dominicae, necnon Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum (revocata antedicta centum dierum indulgentia) ad praefatam Evangelii explicationem clementer extendit. Datum Romae die 31 Julii 1756.

Fr. J. Card. **Portocarrero** Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

201.

1757 8 Februarii. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Benedicti. Cum, sicut humillime exponebatur, per constitutiones Monachorum Ordinis S. Benedicti in cujuscumque presbyteri vel clerici aut laici Ordinis praefati diebus obitus, vel alia die, aliquot Missae juxta constitutiones praedictas a Monachis in sacro presbyteratus Ordine constitutis pro anima defuncti celebrari debeant, aut soleant; SSmus D. N. Benedictus PP. XIV., praevia revocatione alte-

rius similis decreti sub die 19 Julii 1755 expediti, supplicationibus nomine D. Benedicti de Geisman Abbatis Werdinensis et Helmstadiensis, Praesidis Congregationis Bursfeldensis Ordinis S. Benedicti in Germania existen. porrectis, benigne concessit, ut, quandocumque sacerdos aliquis ejusdem Ordinis et Congregationis Missam vel in die obitus Monachorum, vel in alio juxta constitutiones praefatas ad quodcumque altare ecclesiarum tam Monachorum, quam Monialium Congregationis praedictae quam aliarum etiam ecclesiarum pro illorum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabit, Missa hujusmodi animae, pro qua celebrata fuerit, perinde suffragetur, ac si ad altare privilegiatum celebrata fuisset. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 8 Febr. anno 1757.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

202.

1757 28 Martii. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Benedicti. Ad humillimas preces moderni Abbatis Generalis monasteriorum Monachorum Ordinis S. Benedicti in regnis et dominiis fidelissimi regis Portugalliae et Algarbiorum existentium SSmus D. N. Benedictus PP. XIV., praevia revocatione alterius altaris privilegiati, quatenus adsit, concessi, necnon alterius similis decreti, benigne concessit atque indulsit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque sacerdote saeculari, vel alicujus Ordinis, Congregationis et Instituti regularis ad altare semel tantum per respectivos locorum Ordinarios designandum in qualibet ex ecclesiis Monachorum ejusdem Ordinis S. Benedicti in supradictis regnis et dominiis tantum existentibus, et sub regimine, et gubernio ejusdem Abbatis subjectis pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabitur, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut

Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Mariae Virginis Sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro decreto. Voluitque Sanctitas Sua, hanc concessionem suffragari debere absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 28 Martii 1757.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

203.

1757 6 Augusti. Ordini conceduntur indulgentiae.

Ordinis S. Basilii Graecorum Melchitarum, Congregationis S. Joannis Baptistae in Soario. Ad humillimas preces P. Nicolai Saigh, Abbatis Generalis necnon Abbatum Definitorum et Monachorum ac Monialium Ordinis S. Basilii Graecorum Melchitarum Congregationis S. Joannis Baptistae in Soario, quorum regulae et constitutiones a SSmo D. N. Benedicto PP. XIV. nuper fuerunt approbatae per litteras in forma Brevis sub die 11 Junii 1757, idem Sanctissimus Dominus Benedictus PP. XIV. attento quod praefatus Ordo nullis gaudeat indulgentiis pro diebus Sancti Fundatoris, Propagatorum, aliorumque Sanctorum prout ceteri Ordines Regulares, indulgentiam plenariam, singulis Christifidelibus confessis ac sacra Communione refectis visitantibus ecclesias monasteriorum ejusdem Ordinis Monachorum ubicumque existentium; in ecclesiis autem Monialium pro ipsis tantum, aliisque in earum monasteriis degentibus in sequentibus festis anni diebus, videlicet: Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, 25 Decembris, Epiphaniae Domini, 6 Januarii, Paschatis Resurrectionis Dominicae, Ascensionis Domini, Dominicae Pentecostes, Assumptionis B. M. V., 15 Augusti, Nativitatis S. Joannis Baptistae, 24 Junii, SS. Apostolorum Petri et Pauli, die 29 Junii, Protectorum, S. Basilii Magni Fundatoris, 8. Januarii, S. Michaelis Archangeli, 8 Novembris, SS. Joachim et Annae, 9 Septembris, S. Joseph Sponsi B. M. V., 19 Martii, S. Nicolai Episcopi et Confessoris 6 Decembris, S. Macrinae, Sororis S. Basilii Magni, 19 Julii, necnon plenariam eisdem Monachis et Monialibus visitantibus pariter

praedictas eorum ecclesias in sequentibus festis, videlicet: Purificationis B. M. V., 2 Februarii, Annuntiationis B. M. V., 25 Martii, Nativitatis B. M. V., 8 Septembris, Conceptionis B. M. V., 8 Decembris, Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi, 6 Augusti, S. Antonii Abbatis, 17 Januarii, SS. Athanasii et Cyrilli, Episcoporum Alexandriae, 18 Januarii, S. Gregorii Nazianzeni, 25 Januarii, S. Ephrem Syri, 28 Januarii, S. Leonis Papae, 18 Februarii, S. Gregorii Papae, 12 Martii, S. Benedicti Abbatis, 21 Martii, S. Joannis Climaci, 30 Martii, S. Georgii, Martyris 23 Aprilis, S. Marci Evangelistae, 25 Aprilis, S. Joannis Evangelistae, 8 Maji, S. Mariae Magdalenae, 22 Julii, S. Laurentii Martyris, 10 Augusti, Decollationis S. Joannis Baptistae, 29 Augusti, S. Simeonis Stylitae, 1 Septembris, Exaltationis S. Crucis, 14 Septembris, S. Theclae V. et M., 24 Septembris, S. Lucae Evangelistae, 18 Octobris, S. Hilarionis Abbatis, 21 Octobris, S. Demetrii Martyris, 26 Octobris, S. Matthaei Apostoli et Evangelistae, 16 Novembris, S. Joannis Chrysostomi, 13 Novembris, S. Catharinae V. et Mart., 25 Novembris, S. Sabae Abbatis, 5 Decembris, S. Ignatii Episcopi Antiochiae et Martyris, 20 Decembris, S. Stephani Protomartyris, 27 Decembris, S. Euthymii Abbatis, 20 Januarii, S. Isaiae Prophetae, 9 Maji, S. Eliae Prophetae, 20 Julii; ac insuper indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum eisdem Monachis et Monialibus tantum visitantibus pariter praedictas eorum ecclesias in aliis sequentibus Sanctorum festis, videlicet: Praesentationis B. M. V., 21 Novembris, S. Silvestri Papae, 2 Januarii, S. Agathae, 5 Februarii, SS. Quadraginta Martyrum, 9 Martii, S. Irenis V. et Mart., 5 Maji, S. Christinae V. et Mart., 24 Julii, S. Theodorae, 11 Septembris, S. Euphemiae, 16 Septembris, S. Sophiae, 17 Septembris, S. Ananiae, Discipuli Domini, 1 Octobris, S. Euphrosynae, 25 Septembris, S. Clementis Papae, 24 Novembris, S. Barbarae, 4 Decembris, S. Ambrosii Episcopi et Doctoris, 7 Decembris, S. Luciae V. et Mart., 13 Decembris, S. Anastasiae, 22 Decembris; die 6 Augusti 1757 in perpetuum benigne concessit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

204.

1757 22 Septembris. Variae gratiae conceduntur.

Ordinis Servorum B. M. V. Cum sicut humillime exponebatur, pluribus in ecclesiis Ordinis Servorum B. M. V. sancta et salubris jam invaluit consuetudo celebrandi unum anniversarium semel tantum quolibet anno pro defunctis confratribus et consororibus Confraternitatis Septem Dolorum B. M. V. necnon adscriptis eorum numero, qui in uno anni die ad unius horae spatium Deiparae Dolores et Redemptoris Passionem recolunt ac meditantur, SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. ad humillimas preces Fr. Josephi Antonii Rossi, Prioris Generalis, et Fr. Angeli Mariae Vallimpenta, Procuratoris Generalis totius Ordinis Servorum B. M. V. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis ejusdem Ordinis ubicumque existentibus die pro solemnis anniversarii generalis in suffragium confratrum et consororum defunctorum dictae Confraternitatis celebratione per Ordinarium semel tantum in qualibet ex dictis ecclesiis designanda devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, quam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant, benigne concessit. Insuper clementer indulsit, ut Missae Defunctorum die praefata, non tamen impedita, ad quaecumque altaria praedictarum ecclesiarum celebrari possint, et animae, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti ad septennium tantum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 22 Sept. anno 1757.

A. E. Vicecomes, Secret.

205.

1758 20 Julii. Indulgentia plen. pro visit. ecclesiae et facultas dandi Bened. Papalem.

Salisburgen. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam B. M. V. de Consolatione nuncupat. Ordinis Fratrum Sancti Pauli Primi Eremitae loci Mariatrost, Salisburgen. dioecesis, in qua Confraternitas Cincturatorum Sanctorum Monicae et Augustini sub invocatione B. M. V. de Consolatione pariter nuncupat. canonice reperitur erecta, die, vel Dominica, qua in ipsa ecclesia festum ejusdem B. M. V. ab eadem Confraternitate quotannis celebratur, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei, vel Dominicae hujusmodi devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam benigne concessit. Insuper ut parochus ecclesiae, sub cujus districtu erecta reperitur Confraternitas, pro tempore existens, vel alius sacerdos ab eo deputandus, populo die vel Dominica praedicta, in supradicta Ecclesia Benedictionem nomine Sanctitatis Suae libere et licite impertiri valeat, servata tamen formula impressa a fel. rec. Benedicto PP. XIV. in Sua Epistola Encyclica diei 19 Martii 1748 approbata, sub poena privationis hujusmodi facultatis, clementer indulsit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die 20 Julii anno 1758.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Sac. Congr. Indulg. Secret.

206.

1758 30 Julii. Moniales, quae recitant Off. B. M. V. quoad indulg. Ordinis.

Moguntina. Pater Theodosius Becker, Ord. Min. S. Francisci Reformat. Missionarius Apostolicus, humillime supplicat Sanctitati Vestrae, quatenus gratiose annuere dignetur, ut Sanctimoniales Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini

Wormatiae, dioecesis Moguntinae, quae numquam fuerunt subjectae Ordini, sed Ordinario, nec Ordinis Officium, verum solummodo B. V. Mariae recitant, gaudere possint privilegiis dicti Ordinis, prout Sanctitas Vestra concessit Monialibus S. Francisci anno 1748 die 2 Martii, ut habetur in Decreto Viennen. in Austria. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne declaravit, supradictas Sanctimoniales, earumque ecclesias gaudere indulgentiis earum Ordini generaliter concessis, licet non divinum, sed B. V. M. Officium tantummodo recitent. Datum Romae die 30 Julii 1758.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apostolicus, Secret.

207.

1760 2 Augusti. Indultum quoad visitationem ecclesiae Confraternitatis.

Urbis et Orbis.[1]) SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne concessit, ut confratres et consorores cujuscumque Confraternitatis seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis, dummodo sit auctoritate Ordinaria erecta, aliqua corporis infirmitate laborantes, vel carceribus detenti eisdem omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, gaudere possint et valeant, ita tamen, ut, omissa visitatione ecclesiae, alia pia opera injuncta, quae pro viribus peragere poterunt, fideliter et devote exsequantur. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari in perpetuum, et ad preces[2]) cujuscumque Sodalitii, Confraternitatis seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae die Audientiae SSmi 2 Augusti 1760.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
J. de Comitibus, Secret.

208.

1760 20 Septembris. Confraternitas scapularis B. M. V. de Monte Carmelo.

Anno 1645, cum in civitate Gaditana nullus existeret Carmelitarum excalceatorum conventus, Patri Generali Car-

[1]) Habetur quidem inter Decreta (n. 222), sed posuimus etiam hoc loco, quia continet concessionem et hoc loco quaeretur.

[2]) Ex decreto diei 12 Febr. 1877 illae preces non jam sunt necessariae.

melitarum calceatorum supplex libellus oblatus est, quo petebatur venia, ut in ecclesia PP. Ordinis Praedicatorum Confraternitas scapularis erigi posset; quam facultatem memoratus P. Generalis concessit, adjecta tamen expressa conditione, ut haec Confraternitatis erectio in ecclesia PP. Praedicatorum durare intelligeretur, quoadusque in civitate Gaditana non fieret fundatio conventus Carmelitarum calceatorum aut excalceatorum.

Anno 1757 in civitate Gaditana conventus Carmelitarum excalceatorum fundatus est, et P. Prior ejusdem conventus apud Ordinarium instantiam cum fecisset pro translatione supra nominatae Confraternitatis Scapularis ad novum suum conventum, ab ipso Episcopo beneplacitum adeptus est. His vero non obstantibus deputati ipsius Confraternitatis non modo impediebant, quin ejusdem translatio ad novum Conventum Carmelitarum fieret, verum id etiam agere studebant, ne Patres in nova ipsorum ecclesia Confraternitatem Scapularis erigere possent. Quapropter S. V. supplicant, ut declarare velit, supra memoratam Confraternitatem, nisi ad ecclesiam Carmelitarum transferri velit, supprimendam esse, neque amplius indulgentiis Confraternitati Scapularis concessis gavisuram esse, oratores vero vi ipsorum privilegiorum ad erectionem Confraternitatis in propria ecclesia progredi posse. Haec est gratia etc.

Ex Aud. Sanctissimi. Die 20 Septembris 1760 Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. Oratoris precibus benigne annuens confirmavit privativam Ordinis Carmelitarum sive calceatorum, sive excalceatorum erigendi Confraternitates Scapularis; atque ideo declaravit praedictum Conventum nuper fundatum in civitate Gaditana manuteneri in eodem privilegio, et in propria ecclesia erigere posse Confraternitatem dicti Scapularis, ac proinde suspendit Confraternitatem ejusdem Scapularis in ecclesia FF. Ordinis Praedicatorum jamdudum erectam, et quaslibet indulgentias, quibus ante fruebatur, in casu, quo ad ecclesiam praedictam FF. Carmelitarum excalceatorum se transferre renuerit. Datum ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 20 Sept 1760.

J. de Comitibus, Secr.

209.

1761 24 Februarii. Via Crucis.

Comaclen. Beatissime Pater! Episcopus Comacli, humillimus famulus Sanctitatis Vestrae, exponit, se in ecclesia Patrum Capucinorum ejusdem civitatis erectam reperisse Viam Crucis, erga quam augeri cupiens populi devotionem, ipsemet cum Patribus Capucinis intervenit toties, quoties pium Viae Crucis exercitium peragitur. Verum quum in eo peragendo animadverterit, confusionem et perturbationem excitari ob populi multitudinem, quam ecclesia haud capere potest, exinde morem induxit cum dictis Patribus, ut processio incipiat in ecclesia et Stationum visitationem prosequatur in publico porticu extra ecclesiam, ad eamdem regrediatur ut finem Viae Crucis imponat. Dubitans, an per istam consuetudinem a se introductam suas facultates excesserit, supplex adit Sanctitatem Vestram, expostulans, ut ad id necessariae facultates sibi concedantur. Quod Deus etc. Ex Audientia SSmi die 24 Februarii 1761. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne tribuit Oratori quascumque facultates necessarias et opportunas, ut praelaudatum pium exercitium Viae Crucis juxta morem ab eo introductum in posterum peragi possit, et, quatenus opus sit, clementer annuit pro sanatione cujuscumque defectus. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

J. de Comitibus, Secret.

210.

1762 30 Novembris. Indulg. pro festo et octava immacul. Concept. B. M. V.

SSmus D. N. Clemens PP. XIII. Oratorum precibus benigne inclinatus indulgentiam plenariam ecclesiis Min. Conventualium S. Francisci pro festo immaculatae Conceptionis B. M. V. in perpetuum concessam extendit ad totam octavam in ecclesia Oratorum, semel tantum lucrandam, spatio octidui ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus confessis ac sacra Communione refectis, praefatam ecclesiam devote visitantibus. Voluitque Sanctitas Sua, ejusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex

Secretaria Sac. Congregationis indulgentiarum die 30 Novembris 1762.

J. de Comitibus, Secret.

211.

1763 1 Martii. Ordini Cisterc. variae gratiae conceduntur.

SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ad humillimas preces P. Michaelis Cuyas, moderni Abbatis regii monasterii B. Mariae Virginis *Populeti* nuncupat. Ordinis Cisterciensis, Tarraconen. dioecesis, attentis tum peculiari Religionis observantia, tum etiam divino cultu, quo Monachi in praefato monasterio degentes laudabiliter in recitandis horis canonicis aliisque sacris functionibus Altissimo famulantur, necnon eximia erga pauperes et egenos liberalitate, aliisque virtutum meritis, quibus multipliciter commendantur, benigne inclinatus privilegium perpetuum a fel. rec. Benedicto PP. XIV. in omnibus ecclesiis ejusdem Ordinis Cisterciensis circa Missas, quae vel in die obitus Monachorum, ac etiam Monialium sub cura, gubernio et jurisdictione Monachorum hujusmodi existentium, vel in alio die ad quodcumque altare Ordinis praedicti pro illorum et illarum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migrasset, celebrarentur, generaliter concessum, pro animabus quorumcumque utriusque sexus Christifidelium in Christi charitate etiam defunctorum ad quodcumque altare erectum sive erigendum, non solum in ecclesia supradicti monasterii, verum etiam in aliis ab eodem monasterio dependentibus ex speciali gratia, etiam perpetuo extendit et ampliavit ita, ut omnes et singulae Missae, quae a Monachis tam praesentibus, quam pro tempore existentibus supradicti monasterii pro animabus eorumdem utriusque sexus Christifidelium in Christi charitate, ut supra defunctorum, vel in die obitus vel in alio celebrabuntur, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Insuper omnibus et singulis ejusdem monasterii Monachis tum sacerdotibus, tum laicis, necnon ceteris ejusdem monasterii servitio addictis infirma valetudine laborantibus clementer indulsit, ut omnes et singulas indulgentias visitantibus ecclesias praefati Ordinis generaliter

concessas, aliquas pias preces seu opus pium pro viribus arbitrio prudentis confessarii peragentibus, durante dumtaxat infirmitate, consequi valeant, quas consequerentur, si ipsorum ecclesiam personaliter visitarent. Deinde iis omnibus in articulo mortis constitutis, dummodo sanctissima Jesu et Mariae nomina, sin minus ore potuissent, saltem corde invocantibus indulgentiam plenariam benigne concessit. Demum omnibus ejusdem monasterii Monachis, sacerdotibus, sacrosanctum Missae Sacrificium celebrantibus, laicis vero aliisque ut supra inservientibus, sacramentaliter confessis ac sacra Communione etiam refectis pariter indulgentiam plenariam semel quolibet mense lucrandam eo nimirum die, quo praemissa peregerint, quam etiam animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant, etiam benigne impertitus est. Quas omnes et singulas extensiones, ampliationes, indulta, concessiones, et impertitiones perpetuis futuris temporibus valituras esse decrevit. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 1 Martii anno 1763.

J. de Comitibus, Secret.

212.

1763 22 Martii. Facultas dandi benedictionem nomine Summi Pontificis.

Constantien. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ad preces Eminentissimi et Reverendissimi Episcopi Constantiensis eidem benigne impertitus est facultatem elargiendi Benedictionem nomine Sanctitatis Suae in quacumque ecclesia suae dioecesis sibi bene visa, non autem subdelegandi ad eamdem Benedictionem impertiendam Episcopum suum Suffraganeum. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 22 Martii 1763.

J. de Comitibus, Secret.

213.

1763 10 Maji. Facultas erigendi Confrat. SS. Trinitatis.

Ord. SSmae Trinitatis Redempt. Captiv. Beatissime Pater! Commissarius Generalis Provinciarum familiae Matris Redemptionis Ord. discalc. SSmae Trinitatis Redem-

ptionis Captivorum exponit Sanctitati Vestrae, die 6 Augusti anni 1608 Paulum V. fel. rec. concessisse facultatem Ministro Generali et Procuratori Generali ejusdem Ordinis in Romana Curia commoranti erigendi Confraternitates sub titulo et invocatione SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum pro tunc, quando Religio intra solos limites Hispaniae continebatur. Cum vero in praesentiarum, benedicente Domino, Religio propagata sit per Italiam, et per partes septemtrionales, scilicet per Germaniam, Hungariam, Bohemiam, Poloniam, Lithuaniam, ac in duas familias divisa, una intra Hispaniam, altera extra Hispaniam, juxta Breve s. m. Clementis PP. XII., ita, ut uno sexennio habeat Ministrum Generalem Hispanum, altero vero Extra-Hispanum, ita tamen, ut, quando una familia habeat Ministrum Generalem, altera canonice eligat Commissarium Generalem. Cum ergo in partibus septentrionalibus devotio et cultus augeatur erga SSmam Trinitatem et commiseratio erga pauperes captivos Christianos, multaeque ecclesiae, maxime parochiales desiderent et rogent habere Confraternitatem sub invocatione SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, Commissarius vero Generalis non habeat facultatem erigendi praedictas Confraternitates, et recursus ad Ministrum Generalem, qui pro tunc semper manet in Hispaniis, vel etiam ad Procuratorem Generalem Romae existentem sit difficilis, ideo Commissarius Generalis praedictus supplicat Sanctitati Vestrae, ut tam ipse, quam pro tempore existentes sui successores, utpote Superiores Generales possint et valeant erigere Confraternitates sub invocatione SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne annuens pro gratia concessit, ut Orator ejusque successores Commissarii Generalis officium exercentes, Confraternitates sub invocatione SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, uti in precibus, erigere possint ac valeant. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari in perpetuum absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Maji 1763.

J. de Comitibus, Secret.

214.

1763 23 Augusti. Altare privilegiatum.

Urbis. SSmus D. N. concessit privilegium quotidianum perpetuum omnibus altaribus ecclesiae Archiconfraternitatis S. Mariae de Suffragio de Urbe; idemque privilegium concessit altari in oratorio ejusdem Archiconfraternitatis existenti, cum revocatione cujuscumque Brevis jam obtenti. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1763.

J. de Comitibus, Secret.

215.

1764 10 Aprilis. Indulg. pro novena ante fest. immac. Concept. B. M. V.

Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci. SSmus D. N. ad enixas preces Fr. Hyacinthi Mariae Barberii, Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, concessit in qualibet ejusdem Ordinis ecclesia ubique locorum erecta et erigenda indulgentiam plenariam pro omnibus lucrandam in uno novem dierum praeparationis ad festum Conceptionis B. M. V. Immaculatae, uti antedicti Ordinis Patronae. In aliis vero diebus pro expositione sanctissimi Sacramenti centum dierum indulgentiam elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua hujusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Aprilis 1764.

J. de Comitibus, Secret.

216.

1764 7 Augusti. Facultas erigendi confrat. B. M. V. Boni Consilii.

Ordinis Eremitarum S. Augustini. Sanctissimus ex speciali gratia concessit in perpetuum P. Generali pro tempore Ordinis Eremitarum S. Augustini facultatem erigendi in quacumque ecclesia sui Ordinis ubicumque locorum existente Confraternitatem sub invocatione B. M. V. Boni Consilii, accedente tamen consensu Ordinarii respective locorum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Augusti 1764.

J. de Comitibus, Secret.

217.

1764 18 Septembris. Conceditur indulg. pro 3 festis.

Instituti Ursulinarum. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne annuens ex speciali gratia Monialibus vulgo Ursulinae tum Romae tum in Galliis existentibus ceterisque in earum monasteriis degentibus, vere poenitentibus confessis, ac S. Communione refectis, quae earum respective ecclesiam in singulis tribus diebus scilicet S. Ignatii, S. Agnetis, et B. Angelae Mericiae, earum Fundatrice a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, qua die praefatorum id egerint, indulgentiam plenariam concessit; voluitque Sanctitas sua, hujusmodi gratiam futuris temporibus fore valituram, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 18 Septembris 1764.

J. de Comitibus, Secret.

218.

1764 15 Octobris. Altare privilegiatum.

Alphonsus de Liguori, Episcopus S. Agathae Gothorum et Rector Major Congregationis SSmi Redemptoris, Sanctitati Vestrae suppliciter exponit, per Breve Pontificium expeditum die 11 Augusti 1757 supradictae Congregationi fuisse concessas omnes gratias et privilegia PP. Doctrinariorum et Piorum Operariorum, cum quibus communicant etiam PP. Philippini. Sed quia dubitatur, an in generali hac concessione possit comprehendi altare privilegiatum perpetuum quotidianum benigne concessum supradictis Congregationibus, propterea supplicat Sanctitatem Vestram, ut velit extendere et communicare supradictae Congregationi eamdem gratiam, quatenus non fuisset comprehensa in supradicta generali concessione. Quod ut Deus etc. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ex speciali gratia Oratoris precibus inclinatus concessit praefatae Congregationi altare privilegiatum quotidianum in perpetuum; quoad vero recitationem particularium officiorum ad formam Ordinarii PP. Doctrinae Christianae, et PP. Piorum Operariorum, instet Orator apud

Sac. Rituum Congregationem. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Octobris 1764.

J. de Comitibus, Secret.

219.

1764 25 Novembris. Extenduntur indulgentiae supra num. 217 memoratae.

Instituti Ursulinarum. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam in perpetuum concessam sub datum 18 Septembris currentis anni in tribus diebus S. Ignatii, S. Agnetis et B. Angelae Mericiae, earum Fundatricis pro Monialibus ceterisque in monasteriis degentibus, tum Romae, tum in Galliis existentibus, ad omnia et singula alia monasteria seu collegia ejusdem Instituti, tam in Italia, quam in Germania, et alibi hactenus erecta, et in posterum erigenda pariter pro Monialibus tantum, aliisque in praedictis monasteriis seu collegiis degentibus in perpetuum benigne extendit, dummodo in quolibet ex praefatis tribus diebus vere poenitentes, confessae et sacra Communione refectae propriam ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 25 Novembris 1764.

S. Borgia, Secret.

220.

1765 8 Januarii. Indulg. pro S. Communione.

Ordinis FF. Eremitarum discalceatorum S. Augustini. Ad humillimas preces Fr. Fabii ab Annuntiatione B. M. Virginis, Eremitarum discalceatorum S. Augustini Procuratoris Generalis SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne concessit Religiosis praefati Ordinis tam clericis quam laicis, quibus onus incumbit pro animabus defunctorum ejusdem Ordinis quasdam sacras Communiones peragendi, indulgentiam plenariam in iisdem Communionibus, quae per modum suffragii praedictis Defunctis applicari valeat. Voluitque San-

ctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 8 Januarii 1765.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

221.

1765 22 Januarii. Indulg. pro puellis.

Monial. Ursulin. Beatissime Pater! Moniales Ursulinae cum Romae tum alibi existentes humillime exponunt, Sanctitatem Vestram vigore Decreti 27 Novembris proxime elapsi indulgentiam plenariam in perpetuum pro festo B. Angelae Mericiae a Brixia, earum Institutricis, quod celebratur die 21 Martii, in cujus vigilia vi constitutionum suarum tenentur jejunare, benigne concessisse in omnibus ecclesiis ejusdem Instituti lucrandam a Monialibus ceterisque in earum monasteriis, seu collegiis degentibus, uti apparet ex eodem decreto. Quoniam vero Oratrices tenentur ex proprio Instituto puellas quoque exteras edocere, quae ad earum scholas quotidie proficiscuntur, ideo, ut magis ac magis in eis accendant devotionem erga praefatam B. Angelam, cujus patrocinio gaudent, necnon erga Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; orant propterea Sanctitatem Vestram, ut iisdem puellis saecularibus exteris vere poenitentibus, confessis et sacra Communione refectis, si ecclesias earumdem Monialium, et Collegiorum visitaverint, et juxta piam mentem Sanctitatis Vestrae oraverint, eammet indulgentiam dignetur quoque concedere. Quam Deus etc. Ex Audientia Sanctissimi die 22 Januarii 1765. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ex speciali gratia indulgentiam plenariam in perpetuum concessam in praefata die vigesima prima Martii in ecclesiis monasteriorum Monialium Ursulinarum ubicumque locorum existentibus, seu ecclesiis collegiorum ejusdem Instituti hactenus erectorum et in posterum erigendorum pro Monialibus tantum, aliisque in praedictis monasteriis, seu collegiis degentibus benigne extendit ad puellas, quae ab eisdem Monialibus in scholis intra earum claustra edocentur.

Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari in perpetuum absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

S. Borgia, Sac. Congreg. Indulg. Secret.

222.

1765 12 Martii. Altare privilegiatum.

Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Congregationis Lateranensis. Ex Audientia Sanctissimi die 12 Martii 1765. Quum alias fel. rec. Benedictus XIV. concesserit privilegium quotidianum altari sub invocatione Sancti Ubaldi erecto, seu erigendo in omnibus, et singulis ecclesiis Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, Congregationis Lateranensis, necnon Monialium Ordinis et Congregationis hujusmodi sub gubernio et jurisdictione Canonicorum Regularium praefatorum existentium, quumque modo compertum sit, in quibusdam praedictarum Monialium ecclesiis praefatum Sancti Ubaldi altare non existere, seu non in ara majori ecclesiae praedicti Sancti sacram imaginem collocatam esse, in qua pleraeque Missae celebrantur; idcirco SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ad humillimas preces Caroli Corio, moderni Procuratoris Generalis ejusdem Congregationis, benigne inclinatus concessit, ut in praefatis Monialium ecclesiis, ubi Sancti Ubaldi altare adhuc erectum non reperitur, privilegium quotidianum in altari majori ecclesiae ab Abbate Generali ejusdem Congregationis semel tantum designari possit. In iis vero Monialium ecclesiis, ubi praefatum Sancti Ubaldi altare erectum reperitur, in eo privilegium jam concessum permaneat, nec ad aliud ejusdem ecclesiae altare transferri queat, quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

223.

1765 30 Aprilis. Indulg. plenaria pro die 13 Decembris.

Congregationis Clericorum Regularium Theatinorum. Ex Audientia Sanctissimi die 30 Aprilis 1765. Ad humillimas preces Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Theatinorum SSmus D. N. Clemens PP. XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam praefatae Congregationis die decima tertia mensis Decembris a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam benigne concessit. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

224.

1765 21 Maji. Indulg. pro 9 feriis IV ante festum S. Josephi.

Ordinis FF. B. M. Virginis de Monte Carmelo. Ad humillimas preces Fr. Josephi Alberti Ximenez, Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum B. M. V. de Monte Carmelo, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et sacra Communione refectis, qui expositioni sanctissimi Eucharistiae Sacramenti de Ordinariorum respective locorum licentia in qualibet ex ecclesiis FFr. praedicti Ordinis ubicumque existentibus in novem feriis quartis immediate antecedentibus festum S. Josephi singulis annis faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam in una ex praedictis novem feriis quartis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda lucrifaciendam benigne concessit; ac insuper omnibus utriusque sexus

Christifidelibus, qui corde saltem contriti, ut supra, interfuerint et oraverint, in reliquis octo feriis, qua die praefatarum id egerint, indulgentiam centum dierum clementer elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 21 Maji 1765.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

225.

1765 21 Maji. Altare privilegiatum.

Urbis. Sanctissimus ex speciali gratia concessit privilegium quotidianum perpetuum omnibus altaribus ecclesiae Archiconfraternitatis B. Mariae Orationis et Mortis de Urbe. Idemque privilegium concessit altari in oratorio, et altari in coemeterio ejusdem Archiconfraternitatis existenti cum revocatione cujuscumque Brevis jam obtenti. Datum Romae die 21 Maji anno 1765.

S. Borgia, Secret.

226.

1765 4 Junii. Indulg. plen. pro octava festi S. Josephi.

Ordinis Fratrum Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo. Ex Audientia Sanctissimi die 4 Junii 1765. Ad humillimas preces Fr. Josephi Alberti Ximenez, Procuratoris Generalis Fratrum Ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam in perpetuum jam concessam pro omnibus Christifidelibus visitantibus aliquam ecclesiam praefati Ordinis in festo S. Josephi, ad totam octavam ejusdem festi semel tantum per unumquemque Christifidelem lucrifaciendam benigne extendit pro ecclesiis solummodo in Provinciis Hispaniarum existentibus, nempe utriusque Castellae, Cataloniae, Aragoniae et Boeticae. Servato in reliquis tenore assertae primae concessionis. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secre-

taria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Sac. Congr. Indulg. Secret.

227.

1765 20 Junii. Gratiae in favorem defunctorum.

Congregationis Missionis. Ex Audientia SSmi die 20 Junii 1765. Ad humillimas preces Antonii Jacquier, Congregationis Missionis Superioris Generalis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus concessit, ut tres Missae, quae juxta constitutiones in obitu alicujus ejusdem Congregationis a quocumque ipsius Congregationis sacerdote in eadem domo, ubi e vita defunctus cessit, commorante in suffragium ejus animae celebrantur, privilegio gaudeant, ac si in altari privilegiato celebrarentur; idem privilegium concessit pro una Missa ab aliis praedictae Congregationis sacerdotibus in quacumque domo degentibus ad eumdem finem celebranda; insuper concessit, ut quilibet sive clericus, sive Frater Coadjutor in domo demortui commorans, qui ter ad sacram Eucharisticam mensam in suffragium animae defuncti accesserit, quemadmodum alii Clerici et Fratres Coadjutores in quacumque Congregationis domo degentes, et semel Communionem pro defuncti anima applicantes, plenariam indulgentiam in ejusdem suffragium consequantur. Voluitque Sanctitas Sua, utramque gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Sac. Congr. Indulg. Secret.

228.

1765 16 Julii. Altare privilegiatum.

Mechoacan. in Indiis. Cum, sicut humillime exponebatur, in civitate Vallisoletana Mechoacan. dioecesis in Indiis, quaedam pia Unio presbyterorum compacta ex decano et Capitulo cathedralis ecclesiae dictae civitatis necnon Reli-

gionis Ordinum Min. Observ. S. Francisci, Augustinianorum Discalceatorum, B. M. Virginis de Mercede, ac de Monte Carmelo quinque provinciarum dictae dioecesis reperiatur erecta, sub hoc statuto, quod praedictae Unionis sacerdotes, sive saeculares, sive regulares pro ipsorum quolibet e vita decedente tres Missas celebrare debeant, SSmus D. N. Clemens PP. XIII., dummodo de asserto onere coram Ordinario constiterit, clementer indulsit, ut praedictae tres Missae, quae pro animabus ipsorum presbyterorum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare cujuscumque ecclesiae celebrabuntur, animabus hujusmodi, pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 16 Julii 1765.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

229.

1765 23 Julii. **Indulgentia pro expositione Sanctissimi in hebd. Septuagesimae etc.**

Urbis et Orbis. Cum alias s. m. Benedictus XIV. ad frequentes Episcoporum Pontificiae ditionis querelas gravioribus abusibus, qui bacchanalium tempore irrepserant, opportuno remedio occurrere concupiverit, perspexeritque in aliquibus ecclesiis salutari consilio institutam esse sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositionem per tres dies sive in hebdomada Septuagesimae, sive in altera Sexagesimae, aut Quinquagesimae ante diem Cinerum, ad hoc praecipue, ne fideles tempore tentationis a via Domini recederent, et in praedictis ecclesiis pie orantes divina impetrarent auxilia, universis utriusque sexus Christifidelibus confessis et sacra Communione refectis, qui easdem ecclesias, in quibus Venerabilis expositio sive in uno, sive in singulis praedictis triduis fieret, devote visitarent, indulgentiam plenariam mi-

sericorditer concessit et indulsit; hinc Sanctissimus Dominus Noster Clemens Divina Providentia PP. XIII. sedulo recogitans, praefatam Augustissimi Sacramenti expositionem plurimum hisce diebus profuisse, ac deinceps fore profuturam, eamdem plenariam indulgentiam ad quascumque catholici orbis ecclesias ubicumque locorum existentes, ubi Venerabilis expositio sive in hebdomada Septuagesimae, sive Sexagesimae, aut Quinquagesimae, sive in singulis praedictis hebdomadis per tres dies, atque etiam si tantummodo in feria V infra hebdomadam Sexagesimae peragatur, ex uberi pontificiae charitatis fonte benignissime extendit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulg. die 23 Julii 1765.

N. Card. **Antonellus** Praef.

S. Borgia, Sac. Congr. Indulg. Secret.

230.

1765 23 Julii. Altare privilegiatum.

Ordinis S. Benedicti. Ad humillimas preces moderni Abbatis Praesidis Congregationis Bursfeldensis, Ordinis S. Benedicti in Germania, existentis in monasterio Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli de Erfurt, SSmus D. N. Clemens XIII. privilegium quotidianum a s. m. Benedicto XIV. concessum altari sub invocatione S. Benedicti erecto, sive erigendo in omnibus et singulis ecclesiis monasteriorum Monachorum praefatae Congregationis Bursfeldensis clementer extendit. Itemque aliud privilegium ab eodem Benedicto elargitum, ut omnes et singulae Missae, quae pro anima cujuscumque Monachi, presbyteri, clerici et laici praefati Ordinis et Congregationis juxta ipsorum constitutiones in eorum obitu, vel alia die ad quodcumque altare ecclesiarum praedictae Congregationis pro illorum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabuntur, animae hujusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Eadem Sanctitas Sua pariformiter benigne extendit ad quascumque Moniales, ceterasque degentes in monasteriis praedictae Congregationis Bursfeldensis, ita ut omnes et singulae Missae, quae pro anima cujuscumque Monialis aliarumque in earum monasteriis de-

gentium juxta ipsarum constitutiones in earum obitu, vel alia die ad quodcumque altare ecclesiarum Monialium dictae Congregationis pro illarum anima, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, celebrabuntur, eidem animae, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Julii anno 1765.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

231.

1765 3 Septembris. Indulg. plen. pro die 27 Novembris.

Ordinis FF. Minorum Observ. S. Francisci. Ad humillimas preces Fr. Gregorii a Marsilia, Commissarii Generalis Curiae Min. Observ. Ordinis S. Francisci, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam praedicti Ordinis die 27 Novembris, in qua omnium Sanctorum ejusdem Ordinis festum celebratur, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint indulgentiam plenariam benigne concessit.[1]) Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 3 Septembris 1765.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

232.

1765 19 Novembris. Indulg. plenaria pro festo S. Patritii.

Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini. Ex Audientia Sanctissimi die 19 Novembris 1765. Ad humil-

[1]) Eadem gratia die 17 Septembris 1765 concessa fuit Ordini FF. Minor. Observ. Reformat.

limas preces Fr. Francisci Xaverii Vasquez, Ordinis Eremitarum S. Augustini Prioris Generalis, exposcentis plenariam indulgentiam pro Regularibus sui Ordinis die decima septima Martii, in qua festum S. Patritii Episcopi, Hiberniae Apostoli sub ritu duplici minori tam in recitatione Officii quam in Missa ab universo Ordine celebratur, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus indulgentiam plenariam tum omnibus ejusdem Ordinis Regularibus cum universis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam Regularium praedicti Ordinis ecclesiam eodem S. Patritii die festo devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, incipientem a primis Vesperis usque ad occasum solis diei festi hujusmodi, clementer concessit. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

233.

1766 21 Januarii. Benedictio in articulo mortis.

Societatis Jesu. Ad humillimas preces Laurentii Ricci, Societatis Jesu Praepositi Generalis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus concessit tum eidem cum suis pro tempore successoribus facultatem impertiendi per se sive per alios ejusdem Societatis sacerdotes ab ipso ejusque successoribus sublegandos omnibus dictae Societatis Religiosis in articulo mortis constitutis, riteque dispositis benedictionem una cum indulgentia plenaria, servata forma in Rituali Romano descripta. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 21 Januarii 1766.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

234.

1766 4 Martii. Altare privilegiatum.

Comaclen. Cum sicut humillime exponebatur, in civitate Comaclen. canonice quaedam pia Unio presbyterorum tantum reperiatur erecta, quorum praecipua cura est, presbyteros in extremo agone laborantes pie adjuvare, eorumdemque cadavera ad sepulturam associare, sub hoc inter cetera statuto vel laudabili consuetudine, quod ipsa unio vel singuli illius confratres, sive pro omnibus ejusdem confratribus defunctis, sive pro quolibet confratre hujusmodi ab hac vita decedente nonnullas Missas respective celebrare vel celebrari facere soleant, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. dummodo de asserto onere seu laudabili consuetudine coram Ordinario constiterit, clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae juxta praedictum statutum vel consuetudinem celebrandae, quae pro animabus ipsorum confratrum, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare cujuscumque ecclesiae celebrabuntur, animabus hujusmodi, pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Martii anno 1766.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

235.

1766 28 Aprilis. Translatio indulgentiae.

Societatis Jesu. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam, ut asseritur, in perpetuum jam concessam in omnibus ecclesiis Societatis Jesu lucrandam in festo S. Joannis Nepomuceni die 16 mensis Maji, ad diem decimam septimam ejusdem mensis in omnibus ecclesiis praefatae Societatis, ut in precibus, benigne transtulit; servato in reliquis tenore assertae primae concessionis. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 28 Aprilis 1766.

S. Borgia, Sac. Congreg. Indulg. Secret.

236.

1766 29 Aprilis. Altare privilegiatum.

Canonicorum Regularium Beatorum Martyrum de Poenitentia. Ad humillimas preces moderni Abbatis Generalis Ordinis Canonicorum Beatorum Martyrum de Poenitentia in Polonia et Magno Lithuaniae Ducatu existentium, SSmus D. N. Clemens PP. XIII., volens omnes et singulas ecclesias tam erectas, quam in posterum erigendas Canonicorum Regularium hujusmodi, in quibus aliud altare vel in perpetuum vel ad tempus nondum elapsum simili privilegio decoratum forsan reperitur, quod per praesens auctoritate Apostolica revocavit, et in qualibet ex dictis eorumdem Canonicorum Regularium altare ab Abbate Generali semel tantum designandum hoc speciali dono illustrare, benigne concessit atque indulsit, ut sacrosanctum Missae Sacrificium, quod a quocumque sacerdote saeculari vel regulari cujusvis Ordinis, Congregationis et Instituti pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum altare designatum celebrabitur, privilegio gaudeat. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione; ejusdemque Decreti transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu et sigillo praedicti et pro tempore existentis Abbatis Generalis Ordinis praefati munitis, ipsammet prorsus fidem adhiberi; quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Aprilis 1766.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

237.

1766 6 Maji. Absolutio generalis.

Ordinis FF. Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum. Ex Audientia SSmi die 6 Maji 1766. Cum, sicut humillime exponebatur a Fr. Michaele a S. Francisco de Paula, Procuratore Generali Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, Congregationis Hispaniae, FF. ejusdem Ordinis, consuevisse elargiri absolutionem gene-

ralem jam approbatam ab Apostolica Sede in septem per annos diebus, nimirum in festo SS. Trinitatis, in feria IV Cinerum, in feria V in Coena Domini, in festo S. Catharinae Virginis et Martyris, S. Agnetis secundo, et in festis S. Joannis de Matha et S. Felicis de Valois, etiam extra ecclesias Ordinis, non solum infirmis et Monialibus, verum etiam Imperatori, Regibus, Principibus et Magnatibus eisque inservientibus adscriptis Confraternitati SS. Trinitatis; SSmus D. N. Clemens PP. XIII. eamdem consuetudinem approbavit, et concessit eisdem FF. facultatem dandi supradictam absolutionem generalem, seu communicationem indulgentiarum aliorumque bonorum spiritualium Ordinis praedicti, dummodo tamen quoad Moniales adscriptas illam dent de licentia Ordinariorum. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

238.

1766 10 Junii. Absolutio generalis.

Ordinis FF. Calceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. Cum, sicut humillime exponebatur a Fr. Antonio Moreno Morales, Vicecuratore Generali Ordinis Calceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, Fratres ejusdem Ordinis consuevisse elargiri absolutionem generalem jam approbatam ab Apostolica Sede in septem per annum diebus, nimirum in festo Sanctissimae Trinitatis, in feria quarta Cinerum, in feria quinta in Coena Domini, in festo S. Catharinae V. et M., S. Agnetis secundo et in diebus festis S. Joannis de Matha et S. Felicis de Valois, etiam extra ecclesias Ordinis non solum infirmis et Monialibus, verum etiam Imperatori, Regibus, Principibus, et Magnatibus, eisque inservientibus adscriptis Confraternitati Sanctissimae Trinitatis; SSmus D. N. Clemens PP. XIII. eamdem consuetudinem approbavit et concessit eisdem FFr. facultatem dandi supradictam absolutionem generalem, seu

communicationem indulgentiarum aliorumque bonorum spiritualium Ordinis praedicti, dummodo tamen quoad Moniales adscriptas illam dent de licentia Ordinariorum. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Junii anno 1766.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

239.

1766 2 Septembris. Confoederationi S. Joannis Nepomuceni conceduntur indulgentiae.

Pragen. Ad humillimas preces Abbatis Josephi Callisti de Gentilibus, Auditoris Imperialis et unius ex numero tercentum Confoederatorum S. Joannis Nepomuceni in Stalka, civitatis Pragae, specialiter deputati, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus indulgentiam plenariam semel in mense et in articulo mortis ad septennium praedictis Confoederatis et Confoederationi aggregatis jam concessam in perpetuum duraturam ampliavit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiae extensionem in perpetuum absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Sept. anno 1766.

S. Borgia, Secret.

240.

1766 25 Novembris. Conceduntur indulgentiae navigantibus.

Beatissime Pater! Equites Pollastron et Borgia, Capitanei duarum navium bellicarum, Sanctitati Vestrae humiliter exponunt, durante navigatione tam se quam milites aliosque navium servitio addictos privatos manere indulgentiis, quas possent consequi per visitationem ecclesiarum. Quapropter Sanctitatem Vestram exorant, ut dignetur concedere ipsis aliquam indulgentiam tam plenariam quam partialem etiam defunctis applicabilem per modum suffragii, omni tempore, quo eaedem naves erunt in cursu. Et haec etc. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. Oratorum precibus benigne annuens

tum eisdem cum militibus ceterisque ambarum navium servitio addictis, qui vere poenitentes et confessi in uno die festo confessariorum arbitrio eligendo sacrae Eucharistiae pabulo refecti fuerint, indulgentiam plenariam semel lucrandam in unoquoque maritimo cursu concessit. Insuper omnibus iisdem, qui quinque *Pater* et *Ave* in qualibet die corde saltem contriti recitaverint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum clementer impertitus est, quam et plenariam, ut supra, animabus fidelium defunctorum applicari possint, concessit. Item quotiescumque Litanias B. M. V. devote recitaverint, concessit, ut indulgentiam biscentum dierum a fel. rec. Sixto V. ac Benedicto XIII. concessam et a Sanctitate Sua confirmatam eisdem animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicare valeant. Voluitque Sanctitas Sua, omnes et singulas supradictas gratias et indulgentias perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione tempore dumtaxat cursus earumdem navium fore valituras. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 25 Novembris 1766.

S. Borgia, Secret.

241.

1766 2 Decembris. Indulg. pro feriis quartis in hon. S. Josephi.

Monialium calceatarum Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo. Ad humillimas preces Fr. Josephi Alberti Ximenez, Procuratoris Generalis FFr. Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam concessam sub die 21 Maji 1765 in una ex novem feriis quartis immediate antecedentibus festum S. Josephi, Sponsi B. M. V., cum expositione sanctissimi Eucharistiae Sacramenti in qualibet ex ecclesiis FFr. praedicti Ordinis ubicumque existentibus singulis annis faciendae, per unumquemque utriusque sexus Christifidelem, qui praefatae sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositioni interfuerit, ad sui libitum eligenda lucrifaciendam, et in reliquis supradictis octo feriis indulgentiam centum dierum, ad iteratas ejusdem Procuratoris Generalis preces benigne inclinatus clementer extendit ad omnes et singulas ecclesias Monialium

praedicti Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti dictae sanctissimi Eucharistiae Sacramenti expositioni pro plenaria indulgentia lucranda in una ex eisdem feriis quartis, et centum dierum in octo reliquis feriis dummodo corde saltem contriti interfuerint, ac per aliquod temporis spatium pie oraverint. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Decembris anno 1766.

S. Borgia, Secret.

242.

1767 27 Januarii. Decem Dominicae in hon. S. Ignatii.

Societatis Jesu. Ad humillimas preces Laurentii Ricci, Praepositi Generalis Societatis Jesu, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui decem Dominicis diebus continuis ante festum S. Ignatii Loyolae, sive alias per annum vere poenitentes confessi sacraque Communione refecti piis meditationibus, aut orationibus, aliisve christianae pietatis operibus ad ejusdem Sancti honorem ac Dei gloriam vacando sanctificaverint, et aliquam ejusdem Societatis ecclesiam devote visitaverint, in qualibet ex praedictis Dominicis plenariam peccatorum suorum indulgentiam concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 27 Januarii 1767.

N. Card. **Antonellus**, Praef.

S. Borgia, Secret.

243.

1767 17 Februarii. Feriae quartae in hon. S. Josephi.

Monialium excalceatarum B. M. V. de Monte Carmelo. Ad humillimas preces Fr. Mariani Ventimilia, Generalis, et Fr. Josephi Alberti Ximenez, Procuratoris Generalis Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam concessam sub die 21 Maji

1765 in una ex novem feriis quartis immediate antecedentibus festum S. Josephi, Sponsi B. M. V., cum expositione sanctissimae Eucharistiae Sacramenti in qualibet ex ecclesiis FFr. praedicti Ordinis ubicumque existentibus singulis annis facienda, per unumquemque utriusque sexus Christifidelem, qui praefatae sanctissimi Sacramenti expositioni interfuerit ad sui libitum eligenda lucrifaciendam, et in reliquis supradictis octo feriis indulgentiam centum dierum, clementer extendit ad omnes et singulas ecclesias Monialium excalceatarum praedicti Ordinis pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti dictae sanctissimae Sacramenti Eucharistiae expositioni pro plenaria indulgentia lucranda in una ex eisdem feriis quartis, et centum dierum in octo reliquis feriis, dummodo corde saltem contriti interfuerint, ac per aliquod temporis spatium pie oraverint. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Februarii anno 1767.

S. Borgia, Secret.

244.

1767 28 Aprilis. Indulg. plen. pro ecclesiis cathedralibus Pontificiae ditionis in festo SS. Apost. Petri et Pauli.

Cum universalis Ecclesia, sed Romana potissimum Patronos habeat apud Deum Beatissimos Apostolorum Principes Petrum et Paulum, quorum orationibus ad obtinenda divina beneficia se adjuvari maxime confidit, ipsorum solemnitas tertio Kalendas Julii passioni eorum sacro, quamquam speciali et propria Urbis Romae, ubi illorum glorificatus est exitus, exsultatione celebretur; tamen etiam in aliis ecclesiis praesertim Nostri et hujus Apostolicae Sedis Status propensiori devotione et ampliori cultu peragi summopere decet. Itaque SSmus D. N. Clemens PP. XIII. haec provido et pio animo suo reputans, ut eorumdem memoria ac triumphus ferventius et religiosius recolatur, universis utriusque sexus Christifidelibus in tota Pontificia

ditione existentibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti propriae dioecesis ecclesiam cathedralem die martyrio Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli consecrata, a primis Vesperis usque ad occasum solis devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et infidelium conversione pie oraverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem perpetuis futuris temporibus misericorditer in Domino concessit, atque indulsit. Datum Romae die 28 mensis Aprilis currentis anni 1767.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Sac. Congreg. Indulg. Secret.

245.

1767 2 Junii. Indulg. plen. pro festo SS. Cordis Jesu.

Societatis Jesu. Ex Audientia SSmi die 2 Junii 1767. Ad humillimas preces Laurentii Ricci, Societatis Jesu Praepositi Generalis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus indulgentiam plenariam in perpetuum concessam Clericis Regularibus ejusdem Societatis in feria sexta post octavam SSmi Corporis Christi clementer extendit ad universos utriusque sexus Christifideles, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti in praefata feria sexta aliquam ecclesiam praedicti Ordinis ubicumque locorum existentem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ante SSmum Eucharistiae Sacramentum, vel ante Servatoris Nostri Jesu imaginem juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

N. Card. **Antonellus**, Praef.
S. Borgia, Sac. Congreg. Indulg. Secret.

246.

1767 16 Junii. Indulg. plen. pro Archiconfr. S. Joannis Nepomuceni.

Pragen. Ex Audientia Sanctissimi die 16 Junii 1767. Cum a SSmo D. N. sub die 2 Septembris 1766 ad humil-

limas preces Abbatis Josephi Callisti de Gentilibus, Auditoris Imperialis, confoederatis et aggregatis Confoederationi S. Joannis Nepomuceni ex numero tercentum erectae in oratorio Stalke nuncupat. civitatis Pragen. indulgentiam plenariam semel in mense, et in articulo mortis in perpetuum benigne concesserit, et ampliaverit absque ulla Brevis expeditione, nunc etiam ad ejusdem Auditoris Imperialis preces Archiconfraternitati ejusdem S. Joannis Nepomuceni erectae in ecclesia Metropolitana Pragensi simili modo in perpetuum benigne concessit, et ampliavit. Voluitque Sanctitas Sua, hujusmodi gratiae extensionem absque ulla Brevis expeditione, perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

N. Card. **Antonellus**, Praef.

S. Borgia, Sac. Congreg. Indulg. Secret.

247.

1767 19 Junii. Extensio indulgentiarum.

Tusculana. Cum SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam perpetuam in festo Beatorum Principum Apostolorum Petri et Pauli pro universis Pontificiae ditionis cathedralibus ecclesiis ad ipsorum memoriam religiosius recolendam concesserit, cumque idem festum in Tusculana cathedrali ecclesia Dominica infra octavam eorumdem Beatissimorum Principum Apostolorum celebretur; hinc Sanctitas Sua ad preces Celsitudinis Regiae Eminentissimae Henrici Benedicti Card. Ducis Eboracensis, Episcopi Tusculani, eamdem plenariam indulgentiam perpetuis futuris temporibus valituram pro dicta cathedrali ecclesia Tusculana ad praefatam Dominicam infra octavam ejusdem festi clementer extendit, atque omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti praefatam propriae dioecesis cathedralem ecclesiam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem Dominicae devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, lucrandam concessit atque indulsit. Datum ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 19 Junii 1767.

S. Borgia, Secret.

248.

1767 23 Junii. Indulgentia conceditur ecclesiis etc.

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei. Ad humillimas preces Curtii Boni, Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi et sacra Communione refecti aliquam praefatae Congregationis ecclesiam ubicumque locorum existentem diebus festis Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. a primis Vesperis usque ad occasum solis earumdem festivitatum devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 23 Junii 1767.

S. Borgia, Secret.

249.

1767 23 Junii. Conceduntur indulgentiae.

Monialium S. Marthae. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ad preces Abbatissae et Monialium monasterii S. Marthae Urbis benigne inclinatus, eisdem ceterisque in praefato monasterio degentibus tantum vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, ac juxta mentem Sanctitatis Suae pie orantibus in decem Dominicis praecedentibus sive subsequentibus festum S. Ignatii Loyolae indulgentiam in earum qualibet plenariam concessit. Item eisdem Monialibus, ceterisque in monasterio degentibus, quae vere poenitentes, confessae ac sacra Communione refectae in interiori monasterii ecclesia ante Servatoris Nostri Jesu imaginem pias ad Deum preces effuderint, in feria sexta post octavam sanctissimi Corporis Christi indulgentiam similiter plenariam concessit; ac insuper eisdem ut supra dispositis, et ante Salvatoris Nostri Jesu imaginem pie orantibus in prima feria sexta cujuslibet mensis indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum clementer elargitus est. Voluitque Eadem

Sanctitas Sua, omnes et singulas hujusmodi gratias perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituras. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Junii 1767.

S. Borgia, Secret.

250.

1767 23 Junii. Facultas concedendi indulgentias 100 dierum.

Beneventana. Cum modernus Archiepiscopus Beneventanus Joannes Baptista Colombini SSmo D. N. Clementi PP. XIII. humillime exposuerit, facultatem Archiepiscopis Beneventanis Pontificalia exercentibus centum dierum indulgentiam impertiendi, eamdemque etiam elargiendi pro aliis pietatis operibus veteri consuetudine viguisse ac vigere, eamque approbasse Cardinalem Ursinum tunc Archiepiscopum Beneventanum, postmodum fel. rec. Benedictum XIII. Pontificem Optimum Maximum; idcirco Idem Sanctissimus praedictam facultatem tum eidem moderno Archiepiscopo, quum ejus perpetuis futuris temporibus in Archiepiscopatu Beneventano successoribus benigne confirmavit, et, quatenus opus sit, de novo clementer concessit. Datum ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Junii 1767.

S. Borgia, Secret.

251.

1767 4 Augusti. Indulg. plen. pro octiduo in hon. S. Seraphini de Monte Granario.

Ordinis Minor. Capucinorum. Ex Audientia Sanctissimi die 4 Augusti 1767. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. ad humillimas preces Fr. Hieronymi Mariae a Caltanissetta, Procuratoris et Commissarii Generalis Ordinis Minorum Capucinorum, benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti aliquam ejusdem Ordinis ecclesiam ubicumque locorum existentem eo tempore, quo in earum singulis solemne octiduum in honorem S. Seraphini a Monte Granario ab Asculo nuncupati ejusdem Ordinis laici professi nuper Sanctorum fastis adscripti celebrabitur, devote visitaverint,

ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam semel tantum spatio praefati octidui lucrandam concessit. Voluitque Sanctitas Sua hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione pro hac tantum vice fore valituram, et praesentis decreti exemplis etiam impressis, manu et sigillo Procuratoris Generalis praedicti Ordinis munitis, ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

S. Borgia, Secret.

252.

1767 4 Augusti. Indulg. pro octiduo vel triduo in hon. S. Hieronymi Æmil.

Cleric. Regul. Cong. Somaschae. Ex Audientia Sanctissimi die 4 Augusti 1767. Ad humillimas preces Joannis Petri Riva, Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somaschae, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam ejusdem Congregationis, sive ipsius domuum et collegiorum ubique locorum existentium eo tempore, quo in earum singulis solemne octiduum, seu triduum in honorem S. Hieronymi Æmiliani ejusdem Congregationis Fundatoris nuper Sanctorum fastis adscripti celebrabitur, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam semel tantum spatio praefati octidui, seu tridui lucrandam concessit. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione pro hac tantum vice fore valituram, et praesentis decreti exemplis etiam impressis, manu et sigillo Procuratoris Generalis praedictae Congregationis munitis, ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

S. Borgia, Secret.

253.

1767 4 Augusti. Facultas benedicend. coronas, cruces etc.

Ordinis Min. Convent. Ad humillimas preces P. Ministri Generalis et Procuratoris Generalis Ord. Min. Conventualium S. Francisci SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus concessit tum eisdem, tum Assistentibus et Definitoribus Generalibus facultatem benedicendi mille coronas, aut cruces, aut sacra numismata, dummodo non sint ex ferro, stamno, plumbo, aut ex fragili materia facilis consumptionis, eisdemque applicandi indulgentias expressas in formula Romae edita typis R. C. A., ut ab eorum singulis distribuantur occasione anteactae solemnitatis sex Sanctorum canonizationis, quos inter S. Joseph a Cupertino, ejusdem Ordinis sacerdos, adnumeratur; Provincialibus vero quingenta, Ex-Provincialibus tercentum, aliis autem ejusdem Ordinis Religiosis sacerdotibus biscentum. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, praesentis decreti exemplis etiam impressis, manu et sigillo Procuratoris Generalis praedicti Ordinis munitis ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Augusti 1767.

S. Borgia, Secret.

254.

1767 1 Septembris. Indulg. plen. pro die 28 Septembris.

Ord. SS. Trinitatis Red. Captiv. Ex Audientia Sanctissimi die 1 Septembris 1767. Ad humillimas preces Fratris Ludovici Perez, Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti aliquam praedicti Ordinis ecclesiam ubicumque locorum existentem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam die vigesima octava mensis Septembris incipien. a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi clementer concessit. In ecclesiis vero Monialium praefati Ordinis eamdem plenariam indulgentiam

praedicta die a Monialibus tantum ceterisque in monasterio degentibus, ut supra rite dispositis lucrandam concessit. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

S. Borgia, Secret.

255.

1767 10 Novembris. Benedictio numismatum.

Ex Audientia Sanctissimi die 10 Novembris 1767. Ad humillimas preces Patris Fausti Maroni, Clerici Regularis Scholarum Piarum, Postulatoris Causae Canonizationis S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, Monialium Visitationis B. Mariae Virginis Fundatricis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus omnibus Archiepiscopis et Episcopis, in quorum dioecesibus praedictarum Monialium monasteria erecta reperiuntur, facultatem concessit benedicendi, distribuendique praesertim inter praefatas Moniales, ut per earum manus ad alios Christifideles deveniant, bis mille coronas aut cruces aut sacra numismata, dummodo non sint ex ferro, stamno, plumbo vel ex fragili alia materia facilis consumptionis, eisdemque applicandi indulgentias expressas in formula Romae edita typis Rev. Cam. Apost. occasione anteactae solemnis sex Sanctorum Canonizationis, quos inter S. Joanna Francisca Fremiot de Chantal adnumeratur. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

L. Card. Calinus, Praef.
S. Borgia, Secret.

256.

1767 17 Novembris. Altare privilegiatum.

Archiconfraternitas animarum purgatorii magis solatio indigentium sub invocatione Jesu Mariae et Joseph, nunc existens in Conventu Jesu et Mariae Patrum Augustinianorum excalceatorum Romae, solet ex eleemosynis, quas recipit occasione condemnatorum ad mortem, celebrari facere totidem Missas in suffragium animarum eorum. Rogatur

nunc humiliter Sanctitas Vestra, ut benigne concedere dignetur, ut omnes supradictae Missae gaudeant privilegio altaris ad majus solatium dictorum condemnatorum, in quocumque altari aut ecclesia celebrabuntur, in perpetuum. — SSmus D. N. Clemens PP. XIII. Archiconfraternitatis Oratricis precibus benigne annuens concessit, ut omnes, et singulae Missae quae ex fidelium eleemosynis pro animabus reorum, qui ultimo supplicio damnati sunt, juxta ejusdem Archiconfraternitatis consuetudinem celebrantur, in quocumque altari cujuscumque ecclesiae celebrentur, eodem privilegio gaudeant, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Novembris 1767.

S. Borgia, Secret.

257.

1767 17 Novembris. Indulg. plen. pro festo S. Andreae Avellini.

Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum. Ex Audientia Sanctissimi die 17 Novembris 1767. Ad humillimas preces Bartholomaei Carrara, Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti aliquam praefati Ordinis ecclesiam ubicumque locorum erectam, seu erigendam die festo S. Andreae Avellini, Confessoris ejusdem Ordinis, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam concessit. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

L. Card. Calinus, Praef.
S. Borgia, Secret.

258.

1768 12 Januarii. Indulg. pro festo S. Jos. Calasanctii.

Clericorum Regularium Scholarum Piarum. Ad humillimas preces Cajetani a S. Agnete, Ordinis Clericorum Regularium Scholarum Piarum Procuratoris Generalis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti propriam capellam Clericorum Regularium Scholarum Piarum iis in locis, in quibus ipsorum publica ecclesia non existit, seu aliquam ecclesiam parochialem in supradictis locis existentem, in quibus festum S. Josephi Calasanctii, Confessoris, Scholarum Piarum Fundatoris, celebrabitur, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam absque ulla Brevis expeditione in perpetuum concessit. Voluitque Sanctitas Sua, praesentis decreti exemplis etiam impressis manu et sigillo Procuratoris Generalis praedicti Ordinis munitis ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Januarii 1768.

S. Borgia, Secret.

259.

1768 12 Januarii. Facultas aperiendi capsam Reliquiarum.

Beatissime Pater! Faustus Antonius Maroni, Scholarum Piarum, Postulator causae S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal, fundatricis Ordinis Visitationis B. M. V., Orator humillimus Sanctitatis Vestrae post osculum Sanctissimorum pedum exponit, levatum e terra cum facultatibus debitis occasione solemnis ipsius beatificationis corpus S. Joannae Franciscae Fremiot de Chantal fuisse repositum in arcam omnino decentem, quantum circumstantiae tunc temporis, nempe anno 1752, permittebant, et Summus Pontifex Benedictus XIV. fel. rec. die 10 Martii praedicti anni reservavit sibi et successoribus suis facultatem aperiendi dictam arcam. Cum autem nunc praeparata sit arca magis con-

veniens ex argento ad asservandum majori cum decentia praedictum corpus, praedictus Faustus Antonius Maroni, Postulator, nomine Superiorissae et Matrum primi monasterii Visitationis B. M. V. supplex orat Sanctitatem Vestram, ut velit concedere Episcopo Gebennensi vel Aniciensi facultatem aperiendi dictam arcam, et transferendi corpus in novam arcam argenteam, manente semper deinceps reservata Sanctae Sedi facultate eamdem aperiendi. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. expetitis precibus benigne annuens facultatem concessit Reverendissimo Episcopo Aniciensi aperiendi capsam, in qua sacrum corpus S. Franciscae Fremiot de Chantal de anno 1752 secundo reconditum fuit, et illud in aliam argenteam de novo paratam collocandi; cum prohibitione tamen, ab illa non amplius extrahendi, nisi prius obtenta facultate a S. Sede Apostolica. Datum Romae die 12 Januarii 1768.

S. Borgia, Secret.

260.

1768 26 Aprilis. Indulg. pro visit. eccl. Ordinis.

Ordinis Clericorum Regularium Congregationis Somaschae. Ad humillimas preces Petri Riva, Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Congregationis Somaschae, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, aliquam praefati Ordinis ecclesiam ubicumque locorum erectam, seu erigendam die 24 Julii, in qua juxta decretum S. Romanae Ecclesiae celebratur festum S. Hieronymi Æmiliani Confessoris, ejusdemque Ordinis Fundatoris, a primis Vesperis usque ad occasum solis hujusmodi diei festi singulis annis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam clementer concessit. Voluitque Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram, et praesentis decreti exemplis etiam impressis manu et sigillo Procuratoris Generalis praedicti Ordinis munitis ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Aprilis 1768.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

261.

1768 10 Maji. Indulg. pro oratione ante statuam.

Neapolitana. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti ante statuam marmoream S. Januarii, Beneventi Episcopi et Martyris, ac totius regni Neapolitani praecipui Patroni, erectam supra pontem nuncupat. *della Maddalena* prope Neapolim pie oraverint, quoties id egerint, indulgentiam centum dierum benigne concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Maji 1768.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

262.

1768 17 Maji. Altare privilegiatum.

Congregationis Canonicorum Regularium S. Augustini loci Lubranensis dioecesis Wladislaviensis. Ad humillimas preces Canonicorum Regularium S. Augustini loci Lubranensis dioecesis Wladislaviensis SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus concessit in eorum ecclesia privilegiatum quotidianum in perpetuum altare S. Ubaldi, Episcopi Confessoris, et quatenus non adsit proprium altare S. Ubaldi, in altari, quod praefato privilegio quotidiano perpetuo decoratur, ejusdem imago apponatur. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione.[1]) Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Maji 1768.

A. Card. **Corsinius**, pro Emo. Praef.
S. Borgia, Secret.

[1]) Eadem concessio iisdem verbis pluribus aliis locis facta est.

263.

1768 17 Maji. Indulg. pro visit. ecclesiae S. Joannis Cantii.

Cracovien. Ad humillimas preces incolarum loci Kelii, dioecesis Cracoviensis, in qua S. Joannes Cantius ortum duxit, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti devote visitaverint ecclesiam seu oratorium publicum in honorem ejusdem S. Joannis Cantii erectum die, in qua ejus festum celebratur, et die sui ortus 24 Decembris, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis praedictorum dierum, usque ad occasum solis clementer concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Maji 1768.

A. Card. **Corsinius**, pro Emo. Praef.
S. Borgia, Secret.

264.

1768 31 Maji. Altare privileg. in capella publica.

Civitatis Plebis. Cum sicut humillime exponebat Joannes Hieronymus Orlandi, Nobilis Civitatis Plebis, capellam publicam sub invocatione S. Irenis existentem in loco nuncupato Villa della Baldina dictae Civitatis Plebis de ipsius familiae jurepatronatus possideat, Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII. Oratoris precibus benigne inclinatus, dummodo de asserto jurepatronatus coram Ordinario constiterit, clementer indulsit, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel Regularis Missam pro anima Oratoris, quando viam universae carnis ingressa fuerit, et cujuscumque consanguineorum et affinium defunctorum, vel aliorum quorumcumque Christifidelium decedentium de supradicta familia, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, ad altare dictae capellae celebrabit, animae horum de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequantur. Non obstantibus in contrarium facientibus

quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari, lapideoque monumento inscribi. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 31 Maji anno 1768.

265.

1768 31 Maji. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum. Ex Audientia Sanctissimi die 31 Maji 1768. Ad humillimas preces Fratris Erhardi Radkerspurgensis, Procuratoris et Commissarii Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti tam aliquam praedicti Ordinis ecclesiam ubicumque locorum existentem, quam aliquam saecularium ecclesiam civitatis Panormi et civitatis Corleonis in tribus diebus continuis per Ordinarios Locorum designandis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam semel spatio dicti tridui per unumquemque Christifidelem lucrifaciendam pro hoc anno tantum benigne concessit. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari, et praesentis decreti exemplis etiam impressis manu et sigillo Procuratoris Generalis praedicti Ordinis munitis ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

266.

1768 7 Junii. Indulg. pro visit. eccl. vel imaginis SS. Cordis Jesu.

Monialium Ss. Cordis Jesu monasterii de Bechorche. Ad humillimas preces Abbatissae et Monialium Sanctissimi Cordis Jesu monasterii de Bechorche in Kasroano, Provinciae Montis Libani sub Patriarchatu Antiocheno, SSmus

D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus omnibus Monialibus supradicti monasterii, quae vere poenitentes, confessae ac sacra Communione refectae in qualibet prima feria sexta cujuslibet mensis propriam ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium ante sanctissimum Eucharistiae Sacramentum vel Servatoris Nostri Jesu Christi imaginem juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum clementer elargitus est. Eamdem pariter indulgentiam concessit omnibus Monialibus aliorum monasteriorum sub eodem titulo Sanctissimi Cordis Jesu in Monte Libano existentium necnon Religiosis aliisque utriusque sexus Christifidelibus quomodocumque inservientibus. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Junii anno 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

267.

1768 7 Junii. **Variae indulg. conceduntur Monialibus.**

Monialium SS. Cordis Jesu monasterii de Bechorche. Ad humillimas preces Abbatissae et Monialium Sanctissimi Cordis Jesu monasterii Bechorche in Kasroano, Provinciae Montis Libani sub Patriarchatu Antiocheno SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus omnibus Monialibus in praefato monasterio degentibus, vere poenitentibus, confessis et sacra Communione refectis, quae propriam ecclesiam in quatuor anni diebus ac in una feria sexta Quadragesimae ab Ordinario designandis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, qua die praefatorum id egerint, indulgentiam plenariam, in reliquis vero Quadragesimae feriis sextis praemissa peragentibus indulgentiam septem annorum etc. concessit. Eisdemque Monialibus, quae in capella seu altari intra claustra dicti monasterii sito per novem continuos dies immediate ante-

cedentes festum Nativitatis D. N. J. Ch. aliqua pietatis opera quotidie exercuerint, indulgentiam plenariam, in primo et ultimo praefatorum novem dierum concessit, dummodo vere poenitentes, confessae ad sacram Eucharisticam mensam devote accedant, et juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effundant. Insuper concessit indulgentiam septem annorum etc. in reliquis septem diebus hujusmodi, si eadem devote peregerint. Omnibus pariter Monialibus praedictis, quae vere poenitentes, confessae sacraque Communione refectae in una die cujuslibet mensis ab Ordinario semel tantum designanda septem altaria intra claustra dicti monasterii sita devote visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur si septem altaria Basilicae Vaticanae ad id designata personaliter ac devote visitarent clementer elargitus est. Concessit pariter eisdem, quae ut supra in quatuor anni diebus ab Ordinario designandis devote visitaverint supra dicta altaria seu capellas, eas omnes et singulas indulgentias, quas consequerentur, si septem almae Urbis ecclesias ad id designatas personaliter ac devote visitarent. Ac demum benigne impertitus est supradictis Monialibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, quae in quatuor anni diebus Scalam intra claustra ejusdem monasterii sitam et orationi tantum destinatam pie ac devote ascendent, eas omnes et singulas indulgentias, quas consequerentur, si eisdem diebus Scalam sanctam de Urbe devote ascenderent. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, omnes supradictas gratias perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituras. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Junii 1768. A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.

S. Borgia, Secret.

268.

1768 7 Junii. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Monialium SS. Cordis Jesu monasterii de Bechorche. Ad humillimas preces Abbatissae et Monialium

Sanctissimi Cordis Jesu monasterii Bechorche in Kasroano, Provinciae Montis Libani sub Patriarchatu Antiocheno SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti earumdem Monialium ecclesiam in feria sexta post octavam Sanctissimi Corporis Domini devote visitaverint, ibique vel ante sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, vel ante Servatoris Nostri Domini Jesu Christi imaginem juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam, quae etiam animabus omnium fidelium defunctorum per modum suffragii applicari valeat incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem feriae sextae benigne concessit. Eamdem pariter indulgentiam concessit ecclesiis aliorum monasteriorum sub eodem titulo Sanctissimi Cordis Jesu in Monte Libano existentium. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Junii 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

269.

1768 21 Junii. Concessio indulgentiae pro festo B. Angelae.

Monialium S. Ursulae. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. indulgentiam plenariam ad humillimas preces Monialium S. Ursulae benigne concessam universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti aliquam praedictarum Monialium ecclesiam ubicumque locorum existentem die 10 Julii currentis anni devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, clementer extendit extra Urbem et exteras regiones ad illam diem a respectivis locorum Ordinariis infra tamen currentis anni spatium designandam. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 21 Junii anno 1768. A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

270.

1768 2 Augusti. Extenduntur indulgentiae.

Monialium Ursulinarum Constantien. Ad humillimas preces Superiorissae et Monialium Ursulinarum Lucernae, dioecesis Constantiensis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. declaravit, tum Moniales praedicti monasterii, cum aliorum monasteriorum in Germaniae et Galliarum regionibus existentium, quae non regulam S. Augustini profitentur, sed peculiares constitutiones ab ipsarum Fundatrice Anna de Xaintonge praescriptas, gaudere in perpetuum in earum ecclesiis plenaria indulgentia a Sanctitate Sua concessa ecclesiis Monialium Ursulinarum sub regula S. Augustini pro universis utriusque sexus Christifidelibus die 21 Martii ad formam Brevis expediti sub datum 30 Aprilis 1768. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Augusti 1768.

A. Card. Corsinius, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

271.

1768 2 Augusti. Conceduntur indulg. iis, qui intersunt concionibus.

Mexicana. SSmus D. N. benigne annuens pro gratia omnibus viris, qui moralibus concionibus ac sacris lectionibus in singulis feriis secundis, quartis et sextis Quadragesimae in parochiali sacrario nuncupat. ecclesiae cathedralis civitatis Mexicanae in Indiis peragi consuetis devote interfuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum pro qualibet vice clementer elargitus est. Ac insuper concessit Christifidelibus, qui saltem sexies praefatis spiritualibus exercitiis interfuerint, indulgentiam plenariam in una Quadragesimae die eorum libitu eligenda, in qua vere poenitentes confessi ad sacram Eucharisticam mensam devote accesserint. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Augusti 1768.

A. Card. Corsinius, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

272.

1768 2 Augusti. Conceduntur indulg. iis, qui doctrinae christianae intersunt.

Mexicana. SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne annuens pro gratia universis utriusque sexus Christifidelibus qui explanationi catechismi, seu doctrinae christianae tempore Quadragesimali per tres vices a parochis aut aliis sacerdotibus civitatis et dioecesis Mexican. in Indiis de licentia Ordinarii peragendae devote interfuerint, et in Dominica Passionis vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam praedictae civitatis vel dioecesis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam benigne concessit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Augusti 1768.

A. Card. Corsinius, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

273.

1768 9 Augusti. Confraternitati S. Joannis Bapt. conceduntur indulgentiae.

Albiganen. Ad humillimas preces confratrum Confraternitatis S. Joannis Baptistae, Lonni, dioecesis Albiganen. Archiconfraternitati Sanctissimi Nominis Mariae Urbis aggregatae, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus omnibus confratribus et consororibus vere poenitentibus confessis, et sacra Communione refectis, qui ecclesiam seu oratorium publicum dictae Confraternitatis in festo Sanctissimi Nominis Mariae devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam lucrandam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusmodi diei festi, clementer concessit. Iisdem vero confratribus et consororibus, qui in diebus praeparationis ante idem festum, orationi mentali, et spirituali exercitio fieri consuetis, devote vaca-

verint, indulgentiam septem annorum etc. pro qualibet vice benigne impertitus est. Voluitque Sanctitas Sua, hujusmodi gratias perpetuis futuris temporibus fore valituras, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretariâ Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Augusti 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

274.

1768 23 Augusti. Altare privilegiatum.

Assisien. Ad humillimas preces FFr. Min. Observ. Ordinis S. Francisci Basilicae S. Mariae Angelorum Assisii, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus, concessit, privilegiatum quotidianum in perpetuum pro Religiosis tantum dicti Ordinis altare S. Petri Regalati situm in choro nocturno. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

275.

1768 20 Septembris. Indulg. pro oratione coram statua SS. Trinitatis.

Scepusii in Hungaria. Ad humillimas preces P. R. Ambrosii Eremitae Camaldulensis Montis Coronae in eremo Lethrniz in Scepusio in Hungaria actualis Prioris SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti ante statuam Sanctissimae Trinitatis prae foribus dicti eremi collocatam ter *Pater* et *Ave* et *Gloria Patri* devote recitaverint, indulgentiam centum dierum in qualibet Dominica, ac in singulis diebus infra octavam festivitatis ejusdem Sanctissimae Trinitatis lucrandam clementer elargitus est, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum

Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Septembris 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

276.

1768 20 Septembris. Indulg. pro visitatione ecclesiae.

Urbis. Ad humillimas preces incolarum regionis Burgi Urbis, alias civitatis Leoninae, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti ecclesiam Sanctorum Michaelis et Magni Burgi Dominica immediate sequenti festum S. Leonis PP. IV., Fundatoris ejusdem civitatis, in qua ipsius festivitas celebrabitur, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis praedictae Dominicae clementer elargitus est. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Septembris 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

277.

1768 20 Septembris. Altare privilegiatum.

Albanen. Ad humillimas preces Reverendissimi Fr. Francisci M. Bergomen. Concionatoris Apostolici SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus concessit privilegiatum quotidie in perpetuum pro animabus omnium fidelium defunctorum altare oratorii adnexi ecclesiae Minorum Capucinorum Albani erectum in honorem Sacrorum Stigmatum Beatissimi Patris Francisci. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Septembris 1768.

A. Card. **Corsinius**, Pro-Praef.
S. Borgia, Secret.

278.

1768 16 Novembris. Altare privil. in sacello.

Treviren. Ad humillimas preces Josephi Munier, Moderni Abbatis monasterii M., Ord. Cisterciensis, dioecesis Trevirensis, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus, eidem concessit facultatem erigendi in loco Losheim in proprio rure privatum sacellum, in quo tam Orator ejusque successores, quam alii Religiosi praedicti Ordinis, dum ibi commorantur, Missam celebrare, et gaudere possint altari privilegiato, quo gaudent ecclesiae ejusdem Ordinis, ac insuper omnibus et singulis indulgentiis, quibus certis statutis diebus gaudent ecclesiae praedictae. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam in perpetuum fore valituram absque ulla Brevis expeditione, non obstantibus etc. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 16 Novembris 1768.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

279.

1768 29 Novembris. Absolutio generalis.

Ordinis Sanctissimae Trinitatis Discalceatorum Redemptionis Captivorum. Ex Audientia Sanctissimi die 29 Novembris 1768. Ad humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis Sanctissimae Trinitatis Discalceatorum Redemptionis Captivorum SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus concessit, ut in proximo futuro anno, et quotiescumque festum S. Joannis de Matha, praefati Ordinis Fundatoris, transferri contigerit, in omnibus ejusdem Ordinis ecclesiis ubicumque locorum existentibus universis utriusque sexus Christifidelibus rite dispositis supradicti Ordinis sacerdotes ea die, in qua praedictum festum celebrabitur, absolutionem generalem cum indulgentiis adnexis impertiri valeant. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

280.

1768 13 Decembris. Virgae Poenitentialis tactus.

FFr. Carmelitarum Discalceatorum Beldiezovic in Polonia. Ad humillimas preces FFr. Carmelitarum Discalceatorum Beldiezovic in Polonia SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui genuflexi et corde saltem contriti coram uno ex duobus, qui nunc in Oratorum ecclesia munus Poenitentiarii exercent, et in posterum in eodem munere successoribus devote se Virgae submiserint, indulgentiam viginti dierum clementer concessit, quam etiam iidem Poenitentiarii, quoties id egerint, lucrari valeant. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 13 Decembris anno 1768.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

281.

1769 10 Januarii. Visitatio ecclesiae die 31 Martii.

Monialium Ursulinarum. Ad humillimas preces Monialium Ursulinarum Urbis SSmus D. N. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi sacraque Communione refecti aliquam ex ecclesiis monasteriorum seu Collegiorum Monialium Ursulinarum ubicumque locorum existentibus hactenus erectis et in posterum erigendis devote visitaverint die 31 Martii, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis praedicti diei benigne concessit, cum revocatione tamen alterius decreti obtenti pro die 21 Martii. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Januarii 1769.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

282.

1769 17 Januarii. Confirmatio indulgent.

Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. Ex Audientia Sanctissimi die 17 Januarii 1769. Ad humillimas preces Fratris Michaelis a S. Francisco de Paula Procuratoris Generalis Ordinis Fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus confirmavit omnes et singulas infrascriptas indulgentias alias a Summis Pontificibus concessas, nimirum quoties vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti pro felici statu et pace S. R. E. totius reipublicae christianae per spatium unius horae contemplationi vacaverint, et in honorem Sanctissimae Trinitatis Hymnum *Te Deum laudamus* devote recitaverint, vel coronam B. M. V. dixerint, vel cilicium portaverint, vel per spatium Psalmi *Miserere mei Deus etc.* se flagellis caeciderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam quatuor tantum vicibus in anno lucrandam; indulgentiam pariter plenariam in mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti SSmum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus, corde saltem invocaverint. Insuper eisdem Religiosis, qui dictum Ordinem in suo primitivo rigore perseverare curaverint, sanctas consuetudines, constitutiones et regulam diligenter servaverint, seu Superiorum mandatis prompte obtemperaverint, aut ter in hebdomada, ut moris est, se flagellaverint, vel duabus horis quotidianis orationi mentali praesentes fuerint, aut jejunaverint, seu cilicium portaverint, vel refectorium cum aliqua mortificatione intraverint, sive pedes Religiosorum humiliter deosculati fuerint, vel alapam in memoriam Passionis Christi susceperint, seu culpas ordinarias coram aliis Religiosis in capitulis culparum dixerint, sive sacrosancto Missae Sacrificio, aut horis canonicis devote interfuerint, seu voluntatem suam abnegaverint, aut aliquem actum humilitatis, fidei, spei, et charitatis, vel alicujus virtutis fecerint, aut res ad captivorum redemptionem pertinentes diligenter tractaverint, toties pro quolibet praefato-

rum operum exercitio indulgentiam centum dierum benigne pariter confirmavit. Voluitque eadem Sanctitas Sua, has omnes et singulas gratias perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituras. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

283.

1769 17 Januarii. Indulg. pro visitatione ecclesiae.

FF. Ordinis S. Francisci Capucinorum. Ad humillimas preces Fr. Erhardi Radkerspurgensis, Definitoris et Procuratoris Generalis Ord. Min. S. Francisci Capucinorum SSmus D. N. Clemens PP. XIII. benigne inclinatus, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis Fratrum ejusdem Ordinis ubicumque existentem die festo Titulari earumdem respective ecclesiarum a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi vere poenitentes confessi, sacraque Communione refecti devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam clementer elargitus est. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Voluitque etiam, ut praesentis decreti transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Procuratoris Generalis dicti Ordinis subscriptis, et sigillo ejusdem Ordinis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesenti, si originaliter foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Januarii 1769.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

284.

1769 13 Junii. Indulg. pro Missionibus et Exercitiis.

Mediolanen. Ad humillimas preces sacerdotum Congregationis Oblatorum a S. Carolo Borromaeo institutae

Collegii loci *di Rò,* Mediolanen. dioecesis, SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui seu sacris Missionibus seu Exercitiis spiritualibus tum in ipsa dioecesi Mediolanensi, cum in aliis de Ordinariorum consensu per eosdem sacerdotes peragendis post tres saltem dies praedictarum Missionum seu Exercitiorum, quibus interfuerint, ad sacram eucharisticam mensam devote accesserint, indulgentiam plenariam concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 13 Junii anno 1769.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

285.

1769 27 Junii. **Facultas benedicendi scapulare Sept. Dol. B. M. V.**

Carthaginen. Ad humillimas preces Confraternitatis B. M. V. Septem Dolorum erectae in parochiali ecclesia villae de Sax, Carthaginensis dioecesis, SSmus D. N. audito voto P. Procuratoris Generalis Ordinis Servorum B. M. V. benigne inclinatus, concessit seniori sacerdoti confratri ejusdem Confraternitatis, facultatem benedicendi parvum habitum, seu scapulare B. M. V. Septem Dolorum, ipsumque imponendi omnibus utriusque sexus Christifidelibus, cum omnibus indulgentiis seu gratiis spiritualibus, quibus confratres dictae Sodalitatis gaudent et potiuntur; cum potestate, ipso impedito, alium sacerdotem confratrem substituendi, dummodo praefata Confraternitas canonice sit erecta, et nemo sit in dicta villa, qui eadem facultate gaudeat. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 27 Junii 1769.

L. Card. **Calinus**, Praef.
S. Borgia, Secret.

286.

1769 29 Augusti. Indulg. pro visit. altaris et capellae.

Urbis. Ad humillimas preces Abbatissae et Monialium Ordinis Sancti Francisci monasterii S. Laurentii nuncupat. *in Pane et Perna* de Urbe SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus eisdem ceterisque in monasterio degentibus, quae vere poenitentes, confessae ac sacra Communione refectae altare Conceptionis B. M. V. Immaculatae intra chorum existens in festo Sanctissimi Nominis Mariae devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi concessit. Insuper iisdem Monialibus, ceterisque in monasterio degentibus ut supra rite dispositis visitantibus capellam B. M. V. de Monte Carmelo intra claustra monasterii sitam, pieque juxta mentem Sanctitatis Suae orantibus, in Dominica infra octavam Commemorationis ejusdem B. M. V. de Monte Carmelo indulgentiam pariter plenariam a primis Vesperis incipiendam usque ad occasum solis praefatae Dominicae clementer concessit. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Augusti 1769.

S. Borgia, Secret.

287.

1769 5 Septembris. Indulg. pro visitatione ecclesiae.

Tusculan. Ad enixas preces Regiae Celsitudinis Eminentissimi Card. Ducis Eboracensis, Episcopi Tusculani, SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui in festo S. Matthaei Apostoli vere poenitentes et confessi in quacumque ecclesia sive intra sive extra civitatem Tusculanam sacro Eucharistiae pabulo refecti fuerint, ac deinde ecclesiam cathedralem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi clementer concessit. Voluit-

que Eadem Sanctitas Sua hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 5 Septembris 1769.

S. Borgia, Secret.

288.

1769 12 Septembris. Altare privilegiatum.

Ordinis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis. Ad humillimas preces Gabrielis Marin de Moya, Generalis, ac Francisci Dominici Canavassi, Procuratoris Generalis Clericorum Regularium Ministrantium infirmis, SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus concessit, ut omnes et singulae Missae, quae a quocumque sacerdote dicti Ordinis in vim statutorum, seu juxta Ordinis constitutiones pro anima cujuscumque presbyterorum, clericorum, et laicorum ejusdem Ordinis celebrari debent, ad quodcumque altare ecclesiarum Ordinis praedicti tam hactenus erectarum, quam in posterum erigendarum celebratae fuerint, eodem privilegio gaudeant, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Septembris 1769.

L. Card. Calinus, Praef.
S. Borgia, Secret.

289.

1769 29 Septembris. Indulg. pro visit. ecclesiarum.

Rothomagen. SSmus D. N. Clemens PP. XIV. omnibus utriusque sexus Christifidelibus dioecesis Rothomagensis benigne concessit, ut omnes et singulas indulgentias concessas et in posterum concedendas ecclesiis, seu capellis publicis praefatae dioecesis lucrari valeant semel, vel in die festo, in quo indulgentia reperitur concessa, vel infra ejus octavam, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam, in qua adest indulgentia devote visi-

taverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam in perpetuum absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Septembris 1769.

S. Borgia, Secret.

290.

1769 7 Novembris. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Ordinis Min. Capucinorum. Ad humillimas preces Fr. Erhardi Radkerspurgensis, Procuratoris et Commissarii Generalis Ordinis Minorum Capucinorum, SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, aliquam praedicti Ordinis ecclesiam ubicumque locorum existentem die 14 mensis Januarii cujuslibet anni devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae devote oraverint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei clementer impertitus est. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Novembris 1769.

L. Card. Calinus, Praef.
S. Borgia, Secret.

291.

1769 7 Novembris. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Eboracen. SSmus D. N. Clemens PP. XIV. attentis expositis et benigne annuens pro gratia extendit omnes et singulas indulgentias a Summis Suis Praedecessoribus ecclesiis et capellis publicis dioecesis Eboracensis hactenus concessas tum alias in posterum concedendas in quacumque anni die ad totam octavam ejusdem diei, ita ut omnes utriusque sexus Christifideles vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam aut capellam, in qua in-

dulgentia reperitur concessa, devote visitantes ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie orantes, vel in ipso die festo, vel infra octavam indulgentiam lucrari possint et valeant. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam quoad extensionem tantum indulgentiae per totam octavam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Novembris 1769.

S. Borgia, Secret.

292.

1769 5 Decembris. **Benedictio nomine Summi Pontificis.**

Januen. Ad humillimas preces Congregationis Missionis urbanae Sancti Caroli, civitatis Januen. SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus concessit Reverendissimo Archiepiscopo Januensi ejusque in posterum perpetuis temporibus successoribus facultatem impertiendi bis in anno Benedictionem nomine Sanctitatis Suae cum elargitione plenariae indulgentiae ab omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus lucrandae, qui sacris Missionibus bis pariter in anno a praefata Congregatione peragi consuetis nimirum per sexdecim dies incipien. a festo Ascensionis D. N. J. Ch. et a Dominica Septuagesimae usque ad diem Cinerum devote interfuerint, et vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint. Voluitque Idem Sanctissimus, hac nova facultate moderno Archiepiscopo ejusque successoribus concessa nullatenus derogari facultati a fel. rec. Clemente XIII. singulis Archiepiscopis tributae bis in anno illius nomine solemniter populum benedicendi, ut in Litteris Apostolicis sub datum Romae apud S. Mariam Majorem anno 1762 tertio Nonas Septembris. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 5 Decembris 1769.

S. Borgia, Secret.

293.

1770 9 Januarii. Benedictio nomine Summi Pontificis per subdelegatum.

Januen. Ad humillimas preces Congregationis Missionis urbanae Sancti Caroli, civitatis Januen. SSmus D. N. benigne inclinatus, concessit Reverendissimo Archiepiscopo Januen. ejusque in posterum perpetuis temporibus successoribus facultatem impertiendi bis in anno Benedictionem nomine Sanctitatis Suae cum elargitione plenariae indulgentiae ab omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus lucrandae qui sacris Missionibus bis pariter in anno a praefata Congregatione peragi consuetis, nimirum pro sexdecim diebus incipien. a festo Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, et a Dominica Septuagesima usque ad diem Cinerum devote interfuerint, et vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint; in casu vero absentiae ab urbe Reverendissimi Archiepiscopi, seu ob ejus impedimentum, eidem tribuit facultatem subdelegandi alios sibi bene visos ad praefatam Benedictionem bis in anno tempore Missionum populo impertiendam. Voluitque Sanctitas Sua hac nova facultate moderno Episcopo ejusque successoribus concessa, nullatenus derogari facultati a fel. rec. Clemente XIII. singulis Episcopis tributae bis in anno illius nomine solemniter populum benedicendi, ut in Litteris Apostolicis sub datum Romae apud S. Mariam Majorem anno 1762 tertio Nonas Septembris. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Januarii 1770.

S. Borgia, Secret.

294.

1770 16 Januarii. Translatio indulgentiae.

Provinciarum Poloniae et Lithuaniae. Ad humillimas preces Clericorum Regularium Ordinis Scholarum Piarum in Poloniae et Lithuaniae provinciis existentium SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus concessit translationem indulgentiae plenariae jam elargitae a s. m. Clemente XIII. sub die 1 Decembris anni 1765 universis

utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi sacraque Communione refecti aliquam ex ecclesiis eorumdem Clericorum tam erectis, quam in posterum erigendis devote visitaverint in die 27 Augusti pro festo S. Josephi Calasanctii ejusdem Ordinis Fundatoris, ad diem 4 Julii in omnibus ecclesiis Oratorum, ad quam diem pro regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae ejusdem Sancti festum translatum est ex decreto S. Rituum Congregationis sub die 9 Decembris 1769. Quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 16 Januarii anno 1770.

S. Borgia, Secret.

295.

1770 6 Martii. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Ordinis FF. Capucinorum S. Francisci. Ad humillimas preces Fr. Erhardi de Radkerspurg, Procuratoris Generalis Ordinis Min. S. Francisci Capucinorum SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus concessit omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti aliquam ex ecclesiis provinciarum Italiae, in quibus per Fratres ejusdem Ordinis divina Officia seu ecclesiastica Sacramenta administrantur, devote visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae preces effuderint, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si aliquam ex propriis ecclesiis Ordinis Capucinorum personaliter ac devote visitaverint. Quibuscumque etc. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam suffragari absque ulla Brevis expeditione, quousque in administratione praefatarum ecclesiarum Fratres praedicti permanebunt. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 6 Martii 1770.

L. Card. Calinus, Praef.
S. Borgia, Secret.

296.

1770 8 Maji. Indulg. pro visit. ecclesiae die 14 Novembris.

Ordinis Min. Conventualium S. Francisci Provinciae Argentinae. Ad humillimas preces Fr. P. Magistri Eugenii Weber, Ministri Provincialis provinciae Argentinae Ord. Min. Conventualium S. Francisci SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam tum Fratrum tum Sororum seu Monialium ejusdem Ordinis Min. Conventual. dictae provinciae devote visitaverint die 14 mensis Novembris, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis dictae diei 14 Novembris clementer concessit. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 8 Maji 1770.

S. Borgia, Secret.

297.

1770 3 Julii. Benedictio nomine Summi Pontificis.

Januen. Ex Audientia Sanctissimi die 3 Julii 1770. Ad humillimas preces Congregationis sacerdotum saecularium Missionariorum forensium civitatis Januensis SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus concessit Perillustrissimo et Reverendissimo Archiepiscopo Januensi facultatem impertiendi benedictionem nomine Sanctitatis Suae cum indulgentia plenaria in ultima cujuslibet Missionis a praefatis sacerdotibus peragendae die omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti praefatis Missionibus interfuerint. Pariterque concessit eidem Archiepiscopo, quoties impedimento detentus fuerit, facultatem alium sacerdotem sibi benevisum ad praedictum effectum subdelegandi. Voluitque Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione ad septennium fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

S. Borgia, Secret.

298.

1770 4 Septembris. Translatio indulgentiae.

Tusculana. Quum alias SSmus D. N. Clemens PP. XIV. ad enixas preces Regiae Celsitudinis Eminentissimi Card. Ducis Eboracensis, Episcopi Tusculani, benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui in festo S. Matthaei Apostoli vere poenitentes et confessi in quacumque ecclesia sive intra sive extra civitatem Tusculanam S. Eucharistiae pabulo refecti fuerint, ac deinde ecclesiam cathedralem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi in perpetuum duraturam concesserit, ad novas preces dictae Regiae Celsitudinis Eminentissimi Idem Sanctissimus benigne indulsit, ut quoties festum S. Matthaei Apostoli in diem jejunii inciderit, indulgentia plenaria ut supra concessa, in Dominicam immediate sequentem praedictum festum transferatur, servato in reliquis quoad omnia tenore praedictae concessionis. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Septembris 1770.

S. Borgia, Secret.

299.

1770 4 Septembris. Indulg. pro visit. eccl. die 7 Februarii.

Assisien. Ordinis Min. Obser. Provinciae Seraphicae. Ad humillimas preces Custodis et FFr. Conventus Assisiensis S. Damiani Min. Obser. Provinciae Seraphicae SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne inclinatus universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi et sacra Communione refecti aliquam ecclesiam sive Regularium, sive Monialium praedicti Ordinis Provinciae Seraphicae devote visitaverint die 7 Februarii, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei, clementer concessit. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae

ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Septembris 1770.

L. Card. Calinus, Praef.
S. Borgia, Secret.

300.

1771 7 Martii. Declaratio de altari privilegiato.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 2 Julii 1669 declaravit, celebrationem Missarum Sanctorum ritus duplicis revera suffragari pro Missis privilegiato altari addictis, quod postea etiam declaratum fuit a S. Rituum Congregatione die 5 Aprilis 1687, necnon confirmatum anno subsequenti a Ven. Innoc. XI. pro Dominicis aliisque diebus privilegiatis in quibus Defunctorum Missas celebrari vetitum sit. Deinde eadem Sacra Congregatio die 20 Julii 1751 declaravit, quod Missae, quae celebrantur tempore Officii generalis pro defunctis vel in festis Sanctorum ritus duplicis, vel in Dominicis tunc occurrentibus, gaudeant privilegio. Et non obstante clausula *quandocumque sacerdos aliquis Missam defunctorum die . . . celebraverit etc.* in concessione fortasse apposita, SSmus D. N. Clemens PP. XIV. ex Audientia diei 7 Martii 1771 declaravit, constare de privilegio ad formam resolutionum Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

Julius Caesar de Somalia, Secret.

301.

1771 9 Julii. Extensio indulgentiarum.

Monialium Capucinarum. SSmus D. N. Clemens PP. XIV. benigne annuit pro extensione indulgentiae plenariae in festo titulari cujuslibet ecclesiae Monialium Capucinarum, ubique locorum existentis, et in die 14 mensis Januarii ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus lucrandae, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti aliquam ex praedictis ecclesiis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris

temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Julii 1771.

J. Caesar de Somalia, Sac. Cong. Secret.

302.

1771 17 Septembris. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Reatina. SSmus D. N. benigne annuens pro gratia universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam Minor. Conventualium S. Francisci, Reatinae civitatis in triduo postremis Octobris diebus celebrando devote visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam semel tantum spatio tridui lucrandam benigne concessit. Monialibus vero, ceterisque in monasteriis ejusdem civitatis degentibus, dummodo vere poenitentes etc. in praedicto triduo ecclesiam proprii monasterii e cratibus devote visitaverint, indulgentiam similiter plenariam semel tantum lucrandam impertitus est. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Septembris 1771.

J. C. de Somalia, Secret.

303.

1775 7 Junii. Conceduntur indulg. Stationum Urbis.

Beatissime Pater! Provincialis Provinciae Tyrol., Ordinis FF. Minor. Capucinorum, supplicat humiliter Sanctitatem Vestram, ut dignetur ipsis concedere in perpetuum indulgentias Stationum, quae descriptae sunt in Missali Romano in omnibus ecclesiis Conventuum eorum Provinciae. SSmus D. N. Pius PP. VI. omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui supradictas praefatae Provinciae ecclesias, singulis Quadragesimae, aliisque anni diebus in Missali Romano descriptis, devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quoties id egerint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si eisdem diebus ecclesias almae Urbis pro consequendis indulgentiis Stationum designatas persona-

liter et devote visitarent, benigne concessit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam in perpetuum suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Junii 1775.

J. Caesar de Somalia, Secret.

304.

1775 9 Augusti. Extensio indulgentiarum.

Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Congregationis Italiae. Ad humillimas preces Fr. Elisei a Conceptione, Procuratoris Generalis Carmelitarum excalceatorum Congregationis Italiae, SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne inclinatus indulgentiam plenariam in perpetuum jam concessam Conventui Mexicano Congregationis Hispaniae a fel. rec. Clemente XII. die 3 Decembris 1739 in festo S. Theresiae et tota ejus octava, ac indulgentiam concessam universae Congregationi Hispaniae in festo et in octava Patrocinii S. Josephi, B. M. V. Sponsi, a s. m. Benedicto XIV. die 27 Februarii 1742, pariterque indulgentiam plenariam eidem Congregationi Hispaniae die 8 Augusti 1749 ab eodem Pontifice concessam in festo Transverberationis Cordis S. Theresiae; ac denique indulgentiam plenariam in festis SS. Joachim et Annae eidem Congregationi Hispanien. ab ipso Benedicto XIV. die 18 Martii 1749 concessam clementer extendit ad omnes et singulas ecclesias Congregationis Italiae, tum Religiosorum, tum etiam Monialium praefati Ordinis sub eorum tamen cura et gubernio existentium. Quam gratiam voluit ipse Sanctissimus suffragari absoluto hoc anno Jubilaei, servato in reliquis tenore assertarum concessionum, ac perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Augusti 1775.

J. C. de Somalia, Secret.

305.

1775 23 Septembris. Indulgentia plurium millium annorum revocatur.

Urbis. Cum sicut ab Eminentissimo et Reverendissimo Domino Cardinali Carolo Victorio Amadeo de Lanceis hu-

millime exponebatur, prope portas ecclesiae sui tituli S. Praxedis de Urbe duo reperiantur lapidea monumenta, in quibus asseritur, duodecim millia annorum totidemque quadragenarum indulgentiam ac tertiae partis peccatorum remissionem lucrandam quotidie, fuisse concessam; cumque de canonica hujus gratiae concessione nullum authenticum documentum proferri, imo ex reformationibus circa indulgentiarum concessiones pluries a Summis Pontificibus factis, de illarum valore prudenter dubitari possit; ex quo praedictus Eminentissimus pro nova indulgentia plenaria perpetua supplex orabat, SSmus D. N. Pius PP. VI. has preces me infrascripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretario in Audientia die 23 Septembris anni Jubilaei 1775 referente, ad novam gratiam impertiendam benigne inclinatus juxta votum concessit, ut, dummodo praefati duo lapides prius amoveantur, omnes et singuli utriusque sexus Christifideles vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti, qui in quocumque anni die supraenuntiatam S. Praxedis ecclesiam devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam semel in anno ab unoquoque Christifideli lucrandam consequi possint et valeant. Quam gratiam voluit Eadem Sanctitas Sua absque ulla Brevis expeditione suffragari ac perpetuis futuris temporibus absoluto tamen hoc anno Jubilaei fore valituram.

J. C. de Somalia, Secret.

306.

1775 23 Septembris. Indulg. pro visit. eccl. et privilegium pro 5 altaribus.

Bononien. Ad humillimas preces R. P. Abbatis Domini Caesarei Pozzi Congregationis Olivetanae, in quibus supplex orabat, ut ecclesia monasterii ejusdem Congregationis sub titulo S. Michaelis in Bosco extra civitatem Bononiae sita, privilegio altarium, necnon indulgentia plenaria perpetua decoraretur, SSmus D. N. Pius PP. VI. hujusmodi preces me infrascripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretario in Audientia diei 23 Septembris anno Jubilaei 1775 referente, benigne concessit, ut omnes et singuli utriusque sexus

Christifideles vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti, qui supradictam praefati monasterii ecclesiam in quocumque anni die festo devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam pro vivis ac defunctis in perpetuum valituram, absoluto tamen praesenti anno Jubilaei incipiendam lucrari possint et valeant. Insuper Eadem Sanctitas Sua clementer indulsit, ut firmo remanente privilegio altaris Pietatis inferioris ecclesiae ejusdem monasterii, omnia et singula quinque altaria ecclesiae superioris, nempe S. Michaelis, S. Franciscae Romanae, S. Caroli, B. Bernardi Ptolomaei, ac Sanctissimi Crucifixi privilegio quotidiano perpetuo gaudeant pro Missis, quae in iisdem altaribus a quocumque sacerdote sive saeculari sive regulari pro animabus fidelium defunctorum celebrabuntur, ita ut animae fidelium, pro quibus Missae fuerint celebratae, de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequantur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione; non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, facta etiam facultate typis R. C. A. imprimi posse.

L. Card. Calinus, Praef.
J. C. de Somalia, Secret.

307.

1776 28 Februarii. Indulg. pro visit. capellae nosocomii.

Passavien. Ad humillimas preces Consilii ecclesiastici Passavien. SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne annuens pro gratia omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui capellam publicam sub titulo Sanctissimi Redemptoris Nostri Jesu Christi in Cruce morientis, in novo infirmorum nosocomio ejusdem civitatis ac dioecesis Passavien. sitam, die festo principaliori in praefata capella de licentia Ordinarii celebrando, ac semel tantum ab eodem designando devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie oraverint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis praefati diei festi, benigne impertitus est. Omnibus vero infirmis,

inservientibus, ac benefactoribus ejusdem nosocomii, ut supra dispositis visitantibus eamdem capellam et orantibus die festo Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis B. M. V., Annuntiationis, Assumptionis, et in una ex feriis sextis Quadragesimae ab Ordinario semel tantum designanda, indulgentiam plenariam, ac septem annorum totidemque quadragenarum diebus festis Circumcisionis Domini Nostri Jesu Christi, Epiphaniae, Ascensionis, Sanctissimi Corporis Christi, Conceptionis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis ejusdem B. M. V., S. Josephi ejus Sponsi, Nativitatis S. Joannis Baptistae, Omnium Sanctorum, et in qualibet Dominica Adventus, et in quacumque alia feria sexta Quadragesimae, incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis praefatorum dierum clementer etiam elargitus est. Ac insuper eisdem infirmis, inservientibus ac benefactoribus praedicti nosocomii corde saltem contrito ac devote visitantibus eamdem capellam in quacumque anni die indulgentiam bis centum dierum semel tantum in quolibet die lucrandam benigne pariter concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hujusmodi gratiam perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 28 Februarii 1776.

J. C. de Somalia, Secret.

308.

1776 23 Martii. **Extensio indulgentiarum.**

Monialium Ursulinarum Urbis. Quum R. Mater Maria Aloysia a S. Josepho in praesens Assistens monasterii Ursulinarum Urbis humillime exposuerit, ejus Institutum S. Sedis Apostolicae beneficentia infrascriptas indulgentias, ac spiritualia privilegia identidem obtinuisse, videlicet: I°. Indulgentia plenaria in diebus festis S. Ursulae, S. Augustini, ac S. Josephi, B. M. V. Sponsi, necnon septem annorum totidemque quadragenarum in novem diebus praeparationis ante festum ejusdem S. Josephi, semel in die lucranda pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui

devote in ecclesiis ejusdem Instituti oraverint juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium. II°. Indulgentia pariter plenaria in septem principalibus B. M. V. festivitatibus, videlicet in ejus Conceptione, Nativitate, Praesentatione, Annuntiatione, Visitatione, Purificatione et Assumptione pro Monialibus et in earum monasteriis vel collegiis degentibus ut supra dispositis et orantibus. III°. Eadem plenaria indulgentia semel in anno, quando nempe per octo continuos dies eaedem Moniales, ac apud ipsas degentes, dispositae ut supra de licentia Ordinarii peregerint exercitia spiritualia spatio dictorum dierum semel lucranda. IV°. Similis indulgentia plenaria in die, qua quinquagesimum Religionis annum quaelibet ex Monialibus ut supra disposita compleverit. V°. Omnes et singulae indulgentiae semel in mense lucrandae, quas Moniales et degentes etc. consequerentur visitando personaliter septem altaria in earum ecclesiis seu intra claustra existentia et ab Ordinario semel tantum designanda. VI°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum cum unaquaeque ex praedictis sive Monialibus sive degentibus etc. per dimidium horae ante Sanctissimum Eucharistiae publicae venerationi in earum ecclesiis de licentia Ordinarii expositum pias ad Deum preces effuderit. VII°. Indulgentia bis centum dierum ab iisdem toties lucranda, quoties in proprio claustro, sive in capellis privatis Litanias B. M. V. corde saltem contrito recitaverint. VIII°. Altare privilegiatum quotidianum pro omnibus Christifidelibus ab Ordinario semel tantum designandum; quumque hujusmodi gratiae non pro omnibus ejusdem Instituti monasteriis generaliter concessae, ac nonnullae in perpetuum, aliae ad septennium valiturae reperiantur, ex quo supplex petebat supraenuntiata Oratrix, ut concessiones praedictae pro universis sui instituti monasteriis perpetuis futuris temporibus possent suffragari; SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne annuens pro gratia clementer concessit, ut omnes et singulae suprarelatae indulgentiae ac privilegia pro universo Ursulinarum Instituto, ac pro singulis monasteriis, seu collegiis tam claustralibus, quam congregatis ubique terrarum existentibus hactenus erectis et in posterum erigendis tenore,

quo superius inscriptae reperiuntur, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, absque ulla Brevis expeditione sint in perpetuum valiturae. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Martii anno 1776.

J. C. de Somalia, Secret.

309.

1776 20 Aprilis. Extensio indulgentiarum.

Beatissime Pater! Domnus Caesar Scarselli, Abbas Ex-Generalis Congregationis Monachorum Montis Oliveti, exponit, tempore sui Vicariatus Generalis et Generalatus se specum illam, in qua habitavit B. Bernardus Ptolomaeus, Fundator ejusdem Congregationis, eleganter reduxisse ad usum sacelli, atque obtinuisse a fel. rec. Clemente XIII. indulgentiam centum dierum pro unaquaque vice, qua visitatur sacellum sacrae specus, et indulgentiam plenariam semel in anno ad cujusque electionem, et hoc per Breve ad decem annos. Supplicat nunc Sanctitatem vestram pro perpetuitate supradictarum indulgentiarum et pro extensione plenariae ad duas vices in mense ad cujusque electionem, cum altari privilegiato perpetuo, eo magis, quia sacrum sacellum a monasterii clausura longe distat ad 200 circiter passus. SSmus D. N. Pius PP. VI. Oratoris precibus benigne annuens in perpetuum confirmavit, ut petebatur, omnes et singulas indulgentias a s. m. Clemente XIII. concessas, quamvis Breve Apostolicum jam antea exspirasset. Insuper firma remanente indulgentia plenaria perpetua semel in mense lucranda, quam eadem Sanctitas Sua in Audientia diei 23 Martii hujus anni omnibus utriusque sexus Christifidelibus rite dispositis, ac supraenuntiatam s. specus capellam visitantibus et orantibus clementer concessit; eisdem omnibus et singulis fidelibus, qui in solemnitatibus Nativitatis et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Paschatis Resurrectionis et Pentecostes, ac in festo Omnium Sanctorum necnon in diebus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis Deiparae Virginis eamdem s. specus capellam vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti devote visitaverint,

ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam singulis praefatis diebus lucrandam ac perpetuis futuris temporibus valituram clementer concessit. Tandem Ipse Sanctissimus saepedictam s. specus capellam privilegio quotidiano perpetuo decoravit, pro Missis, quae a quocumque sacerdote regulari Congregationis Oratricis pro animabus Christifidelium in purgatorio detentis in eadem capella celebrabuntur. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, has gratias non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Aprilis anno 1776. J. C. de Somalia, Secret.

310.

1777 1 Martii. Altare privilegiatum in oratorio.

Urbis. Superior Patrum S. Hieronymi de Charitate Romae exponit, in perpetuum privilegiatum esse altare, quod existit in sacello superiori piae domus eorum, quod per 33 annos inhabitavit gloriosus eorum Fundator S. Philippus Nerius, quod privilegium extenditur tantum ad Religiosos existentes in dicta pia domo. Desiderans autem orator, ut in loco tam sancto magis succurratur animabus purgatorii, supplicat Sanctitatem Vestram, ut dignetur benigne extendere supradictum privilegium ad omnes illos sacerdotes, qui ex propria devotione celebrabunt in supradicto altari. SSmus D. N. Pius PP. VI. supradictum privilegium praefato altari concessum benigne extendit, valiturum pro omnibus et singulis Missis, quae a quocumque sacerdote sive saeculari sive regulari in eodem altari celebrabuntur. Quam gratiam voluit perpetuis futuris temporibus absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Martii 1777.

J. C. de Somalia, Secret.

311.

1777 15 Martii. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Ordinis S. Birgittae. Ad humillimas preces Fr. Matthaei Ludwig, Procuratoris Generalis Ordinis S. Birgittae,

SSmus D. N. Pius PP. VI. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis etiam Monialium quorumcumque Conventuum dicti Ordinis tam hactenus erectis, quam in posterum quandocumque erigendis ac ubicumque locorum existentibus, diebus, quibus commemoratio obitus S. Birgittae, praedicti Ordinis Fundatricis, ac S. Catharinae, ejus filiae, celebrari contingat, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem misericorditer in Domino concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Martii 1777.

J. C. de Somalia, Secret.

312.

1777 12 Aprilis. Indulg. occasione capituli generalis.

Ordinis Praedicatorum. Ex Audientia Sanctissimi die 12 Aprilis 1777. Quum, sicut humillime exponebatur, capitulum generale universi Ordinis Fratrum Praedicatorum in domo regulari S. Mariae supra Minervam nuncupata ejusdem Ordinis de Urbe in vigilia Pentecostes praesentis anni, benedicente Domino, celebrandum sit, SSmus D. N. Pius PP. VI., ut Christifideles ad ecclesias ejusdem Ordinis visitandas et alia opera pia exercenda promptiores reddantur, quo ex dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, eisdem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui in Dominica infra octavam Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, necnon in vigilia et in festo Pentecostes, ac in singulis ejus octavae diebus ecclesias, loca et domos Fratrum dicti Ordinis ubicumque existentes devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, hae-

resum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam; in festo autem Pentecostes ac singulis actualis praedicti Capituli celebrationis diebus ecclesiam S. Mariae supra Minervam hujusmodi etiam devote visitaverint, et ut praefertur oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, misericorditer in Domino concessit. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris, et absque ulla Brevis expeditione suffragari, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die et anno praefatae Audientiae.

L. Card. **Calinus**, Praef.
J. C. de **Somalia**, Secret.

313.

1777 9 Julii. **Indulgentiae Stationum Urbis.**

Quamvis Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, cui demandata est cura circa rectam et prudentem indulgentiarum administrationem, usque ab anno 1676 interrogata, quae essent indulgentiae Stationum, plenariae ne, an partiales, dierum vel annorum, decreverit, indulgentias Stationales simpliciter enuntiandas esse, non addendo plenariae illae sint an partiales; attamen cum eidem Sacrae Congregationi postmodum innotuerit, nonnullos etiam ecclesiasticos viros, atque ecclesiarum rectores allato decreto minime acquiescentes, diversimode interpretatos fuisse indulgentias Stationales, quarum elenchi typis editi mire inter se discrepantes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit, plurima originem duxisse inter fideles dissidia, abusus et scandala, hinc ut ista penitus amoveantur, utque Christifideles scire possint, quid sibi indulgentiarum in hujusmodi Stationibus obeundis concessum sit; Sacra eadem congregatio habita in Palatio Quirinali die 7 Julii 1777 re, praevio diligenti ac maturo examine, discussa, fuit in voto, consulendum Sanctissimo, praevia revocatione aliarum indulgentiarum, pro concessione indulgentiae plenariae in aliquibus

festis solemnibus; partialis vero in reliquis, ad normam earum, quae conceduntur in capellis Pontificiis, videlicet:

In Quadragesima: In feria IV Cinerum, et Dominica IV indulgent. quindecim annorum totidemque quadragenarum. — Dominica Palmarum vigintiquinque annorum totidemque quadragenarum. — Feria V in Coena Domini, plenaria. — Feria VI in Parasceve et Sabbato Sancto triginta annorum totidemque quadragenarum. — In reliquis tam Dominicis, quam feriis decem annorum totidemque quadragenarum.

In Paschate Resurrectionis D. N. J. C.: In Dominica indulgentia plenaria. — In duobus aliis festis diebus immediate sequentibus et per totam octavam usque ad Dominicam in Albis inclusive quotidie triginta annorum totidemque quadragenarum.

Die Ascensionis: Indulgentia plenaria.

In Pentecoste: In Sabbato ante Dominicam decem annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica et aliis infra octavam diebus usque ad sabbatum inclusive quotidie indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

In Dominicis Adventus: In Dominica I, II et IV indulgentia decem annorum totidemque quadragenarum. — In Dominica III quindecim annorum totidemque quadragenarum.

In Nativitate D. N. J. C.: In Vigilia, Nocte, ac Missa Aurorae indulgentia quindecim annorum totidemque quadragenarum. — In die indulgentia plenaria. — In subsequentibus tribus diebus festis, et in Circumcisione ac Epiphania Domini, necnon in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum. — In tribus feriis Quatuor Temporum, decem annorum totidemque quadragenarum. — In festo S. Marci Evangelistae ac tribus feriis Rogationum indulgentia triginta annorum totidemque quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione SSmo D. N. in Audientia diei 9 Julii 1777 Sanctitas Sua ipsius Sacrae Congregationis votum benigne approbavit, illudque cum novo indulgentiarum Stationalium praeinserto elencho publicari mandavit, non obstantibus in contrarium facientibus quibus-

cumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Julii 1777.

L. Card. Calinus, Praef.
J. C. de Somalia, Secret.

314.

1778 2 Maji. Indulgentiae pro pio exercitio in hon. S. Michaelis Archang.

Ordinis clericorum regularium Minorum. Quum, sicut a Reverendissimo P. Raphaele Benenati, Generali Ord. Clericorum Regularium Minorum, humillime exponebatur, in ecclesiis sui Ordinis sacrum et pium exercitium cum venerabilis Eucharistiae Sacramenti expositione singulis feriis secundis totius anni in honorem S. Michaelis Archangeli, ejusdem Ordinis Patroni, peragi soleat, vel praeviis facultatibus obtentis sit peragendum, SSmus D. N. Pius PP. VI. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui in aliqua ex ecclesiis hujusmodi ubique locorum existentibus, ac in posterum extituris praefato pio exercitio devote interfuerint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam in una ex enuntiatis feriis cujuslibet mensis uniuscujusque arbitrio eligenda, ac septem annorum totidemque quadragenarum in singulis reliquis ejusdem feriis lucrandam concessit. Insuper ad ejusdem Oratoris preces benigne inclinatus, universis pariter Christifidelibus, in qualibet ex supradictis ecclesiis sacro novendiali praeparationis ad festum Dedicationis praefati S. Archangeli corde saltem contrito ac devote interessentibus, et easdem ecclesias in diebus pariter Dedicationis, necnon Apparitionis ejusdem Sancti, ut supra dispositis, visitantibus et orantibus, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis utriusque festivitatis, ac biscentum dierum semel in qualibet die supraenuntiati sacri novendialis clementer est impertitus. Voluitque Sanctitas Sua, has gratias in perpetuum absque ulla Brevis expeditione fore valituras. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Maji 1778.

J. C. de Somalia, Secret.

315.

1778 20 Junii. Translatio indulgentiae.

Monialium Ursulinarum. Ad humillimas preces R. Matris Aloysiae a S. Josepho, Assistentis monasterii Ursulinarum Urbis, SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne inclinatus indulgentiam plenariam a s. m. Clemente XIII. concessam in omnibus ecclesiis monasteriorum seu collegiorum Monialium Ursulinarum ubicumque locorum existentium erectis et in posterum erigendis pro die 31 mensis Maji, ut ex decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 mensis Januarii anno 1769, benigne transtulit ad aliam anni diem a rubricis generalibus non impeditam, quatenus in aliquibus dioecesibus praefata dies 31 Maji impedita fuerit. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione, et servato quoad reliqua omnia tenore primae concessionis, fore valituram. Datum Romae ex eadem Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretaria die 20 Junii 1778.

J. C. de Somalia, Secret.

316.

1779 22 Augusti. Indulg. pro oratione ante SS. Sacramentum.

Beatissime Pater! Raphael Maria Benenati, Clericorum Regularium Minorum Praepositus Generalis, desiderans, ut in suo Ordine non tepescat, sed magis magisque promoveatur distinctivum ejus pium exercitium orationis, quae alternatim per vices ab ejus Religiosis practicatur ante SS. Sacramentum, supplicat Sanctitatem Vestram, ut dignetur concedere indulgentiam plenariam cuicumque Religioso, qui cum necessariis dispositionibus ex rigore regulae se exercet in illa observantia. Et haec est etc. — SSmus benigne annuens pro gratia omnibus et singulis supradictis Religiosis, qui in respectivis ecclesiis Ordinis ubicumque locorum existentibus pium praefatum exercitium juxta eorum constitutiones devote peregerint, indulgentiam plenariam semel in mense lucrandam die uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint et juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie oraverint, clementer impertitus est. In aliis vero

anni diebus corde saltem contrito eisdem praemissa peragentibus indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum benigne elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam in perpetuum suffragari. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 22 Augusti anno 1779.

J. C. de Somalia, Secret.

317.

1779 25 Septembris. Conceduntur variae indulgentiae.

Beatissime Pater! Fr. Erhardus a Radkerspurgo, Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, ad pedes S. V. humiliter provolutus exponit, qualiter ipse a multis sui Ordinis Religiosis continuo et instantissime rogetur pro concedenda licentia visitandi loca sancta Romae, Laureti, Montis-Varalli, Assisii et Alverniae, ita ut denegata licentia ad evitandum Fratrum evagationem, aut ob alia justa motiva, ipsi novas faciant instantias, interponendo etiam recommendationes, et Superiorem saepius in angustias reducendo. Idcirco Orator similia inconvenientia, quantum fieri potest, impediri desiderans quadam cum recompensatione qua, et ex una parte lucrarentur thesaurum indulgentiarum sacrarum, visitationi memoratorum sanctuariorum annexarum, et ne ex altera parte se a propriis removeant Conventibus, supplicat humiliter summam S. V. clementiam, quatenus omnes utriusque sexus Religiosi suae obedientiae subjecti, lucrari possent praefatas indulgentias mediante quadam devota peregrinatione per sua respectiva claustra et successiva propriarum ecclesiarum visitatione, videlicet: Pro septem ecclesiis Urbis, eundo per claustrum septem vicibus, et visitando in fine Sanctissimum Sacramentum. Pro sanctuario Laureti eundo ter per claustrum, et semel visitando altare aut imaginem Beatissimae Virginis. Pro sanctuario Montis Varalli eundo pariter ter per claustrum, et visitando altare, aut imaginem Crucifixi. Et demum pro sanctuario Assisii et Alverniae, eundo similiter ter per claustrum et visitando altare, aut imaginem S. P. Francisci, orando semper in praedictis circuitibus aut peregrinationibus et respective sacris

visitationibus pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, exstirpatione haeresum, conservatione Summi Pontificis, et pro christianorum Principum pace et concordia. Quod Deus etc. — SSmus D. N. Pius PP. VI. attentis expositis, praefati P. Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum precibus annuendo, omnibus et singulis Religiosis viris atque Monialibus dicti Ordinis eidem Ministro Generali subjectis unumquodque ex antenuntiatis piis exercitiis devote peragentibus, semel in anno eo respective die, quo praemissa sacramentali Confessione sumptaque SS. Eucharistia, et pias ad Deum preces, uti in supplici libello enuntiatur, fundendo, hujusmodi peregerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam in forma Ecclesiae consueta, benigne concessit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 25 Septembris 1779.

J. C. de Somalia, Secret.

318.

1780 19 Februarii. Altare privilegiatum.

Congregationis Monachorum Camaldulensium. Ad humillimas preces D. Petri Urseoli a Ponte, Abbatis, Procuratoris Generalis Monachorum Camaldulensium, SSmus D. N. Pius PP. VI. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae juxta constitutiones vel laudabilem consuetudinem ejusdem Ordinis, sive cujusque hujusmodi monasterii etiam Monialium ipsius Ordinis Camaldulensium tam erectis, quam erigendis, pro Summis Pontificibus, Cardinalibus, Protectoribus, Episcopis, seu Ordinariis, ipsisque Monachis, et Monialibus, horumque tantum genitoribus tam defunctis, quam ceteris hujusmodi in posterum ab hac vita decessuris, qui Deo in charitate conjuncti ab hac luce migraverint, celebrari debent vel solent, ad quodcumque altare ecclesiae tam Monachorum, quam Monialium praedictae Congregationis celebrabuntur, animae ejusmodi, pro qua celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione

suffragari. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 19 Februarii 1780.

J. C. de Somalia, Secret.

319.

1781 20 Septembris. Exercitium Bonae Mortis.

Beatissime Pater! In ecclesia S. Michaelis exstinctae Societatis Jesu, oppidi seu urbis Aquisgrani, Leodiensis dioecesis, reperitur instituta seu instituenda singulis Dominicis tertiis cujuslibet mensis solemnis devotio vespertina cum expositione SSmi Sacramenti ac sermone spirituali ad devotum populum, qui affluenter accurrit. Ad augendam hanc pietatem devotissime supplicatur Sanctitati Vestrae pro aliqua partiali indulgentia ab iis, qui intersunt, toties quoties lucrifacienda ac defunctis applicabili, eaque perpetuis temporibus valitura. Pro qua gratia etc. — Ex Audientia SSmi. Die 20 Sept. 1781. Pro gratia erectionis Congregationis Bonae Mortis juxta stilum cum communicatione indulgentiarum.

J. C. de Somalia, Secret.

320.

1781 24 Novembris. Facultas benedicendi numismata etc. in fine Missionum.

Beatissime Pater! Guardianus et Patres regii Seminarii de Brancannes nuncupati in Patriarchatu Lisbonensi, Ordinis vero Minorum de Observantia S. Francisci, omnesque Missionarii Apostolici in Portugalliae regnis, ad augendam Christifidelium pietatem Beatitudini Vestrae enixe supplicant, ut praedictis Religiosis facultatem tribuat benedicendi ultimo die Missionum unam crucem seu sacrum numisma vel coronam precatoriam aut rosarium cum applicatione indulgentiarum, quae in earumdem elencho Romae typis edito recensentur, cuilibet ex fidelibus, qui tribus saltem eorum concionibus interfuerint, absque ullo determinato numero, qui quidem prae multitudine concurrentium et Oratorum curis in his persolvendis valde gravis aut penitus inutilis redderetur. Quare etc. — Ex Audientia SSmi die 24 Nov. 1781. SSmus D. N. Pius PP. VI. precibus Oratorum benigne annuens

supradictam facultatem juxta petita clementer concessit, dummodo praefatae Missiones de licentia respectivi loci Ordinarii peragantur. Praesenti ad septennium valituro absque ulla Brevis expeditione.

J. C. de Somalia, Secret.

321.

1783 17 Maji. Erectio Viae Crucis in oratorio domestico.

Beatissime Pater! Patres Congregationis Passionis D. N. J. Ch. supplicant, ut concedatur respectivis Superioribus eorum facultas erigendi in capellis interioribus domorum ipsarum stationes Viae Crucis, ut in perpetuum lucrifacere possint indulgentias adnexas isti piae devotioni non solum Religiosi, sed etiam omnes ii, qui se conferent ad domos Congregationis ad facienda exercitia. Supplicant etiam Sanctitatem Vestram, ut dignetur concedere, ut Moniales Passionistae ad instar Monialium aliorum Institutorum regularium participes fiant earumdem gratiarum, quibus gaudent Religiosi. — SSmus D. N. Pius PP. VI. humillimis Oratorum precibus benigne annuens facultatem concessit Superioribus domorum Congregationis pro tempore existentibus erigendi stationes Viae Crucis in interioribus dictarum domorum sacellis. Omnes vero indulgentias huic sancto operi adjunctas consequi poterunt, tum Religiosi Oratores, quovis tempore, tum fideles ceteri tempore exercitiorum spiritualium, quae in praedictis domibus peraguntur. Insuper Eadem Sanctitas Sua clementer indulsit, ut Moniales ejusdem Congregationis omnibus et singulis indulgentiis, quibus gaudet Congregatio virorum, frui possint et valeant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Maji anno 1783.

J. C. de Somalia, Secret.

322.

1783 19 Julii. Sanatio erectionis Viae Crucis.

Placentina. Cum ad Sacram Congregationem Indulgentiarum delata fuerit controversia inter R. D. Josephum

Sormani, Praepositum ecclesiae parochialis S. Protasii civitatis Placentinae et RR. PP. Ord. Reformatorum S. Francisci Ven. Conventus nuncupat. *de Campanae* dictae civitatis, quoad validitatem indulgentiarum sacrae Viae Crucis in praefata parochiali ecclesia erectae, et hinc propositum dubium: *An constet de validitate ejusdem erectionis in casu etc.* Eadem Sacra Congregatio particulariter habita die 12 mensis Julii 1783 re mature perpensa ac libratis, quae afferebantur hinc inde rationibus, fuit in voto: *Affirmative et consulendum Sanctissimo, vel quatenus opus sit, dignetur impertiri sanationem.* De quibus facta relatione SSmo D. N. Pio PP. VI. in Audientia habita die 19 supradicti mensis et anni, Eadem Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne confirmavit, et praefatam sanationem, quatenus opus sit, clementer est impertita.

J. C. de Somalia, Secret.

323.

1783 19 Decembris. Prorogatio indulgentiarum.

Ord. Minor. Capucinorum. Beatissime Pater! Fr. Angelus Josephus a la Bathie, Procurator et Commissarius Generalis Ordinis FF. Minorum S. Francisci Capucinorum, in genua provolutus, Sanctitati Vestrae humillime exponit, quod in variis Fratrum Capucinorum Conventibus, propter legitima et ratione digna impedimenta, celebrari nondum potuit solemne triduum in honorem Laurentii a Brundusio, sacerdotis Capucini, nuper a S. V. Beatorum albo adscripti; quocirca idem Orator humillimus eidem Beatitudini Vestrae enixe demisseque supplicat, ut ipsam, occasione praefati tridui, concessam Christifidelibus plenariam indulgentiam prorogare dignetur ad totum proxime venturi anni 1784 decursum pro iis Conventibus ecclesiisque Capucinorum, in quibus solemne festum dicti Beati celebrabitur: firmis tamen remanentibus omnibus et singulis clausulis jam Pontificio decreto labentis anni 1783 appositis atque expressis. Et de gratia etc. — Die 19 Decembris 1783. SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne annuit juxta petita; servato in reliquis

tenore assertae concessionis. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

J. M. de Somalia, Secret.

324.

1784 11 Decembris. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Urbis. Ad humillimas preces Archiconfraternitatis sub titulo Sanctissimae Trinitatis Peregrinorum ac Convalescentium nuncupat. Urbis SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne inclinatus, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam pariter sub titulo Sanctissimae Trinitatis, necnon publicum ejusdem Archiconfraternitatis oratorium in feriis sextis Quadragesimae devote visitaverint, et juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie oraverint, indulgentiam plenariam fidelibus etiam defunctis applicabilem in qualibet feria sexta Quadragesimae lucrandam benigne concessit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam in perpetuum absque ulla Brevis expeditione fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 11 Decembris 1784.

Th. de Marco, Secret.

325.

1784 11 Decembris. Extensio praedictae indulgentiae.

Urbis. Ad humillimas preces Archiconfraternitatis sub titulo Sanctissimae Trinitatis Peregrinorum et Convalescentium Urbis, SSmus D. N. Pius PP. VI. benigne inclinatus, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam Archiconfraternitatis supradictae in solemnitate Sanctissimae Trinitatis, et quinque B. M. V. festis diebus, videlicet Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis ac Assumptionis devote visitaverint, et juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie oraverint, indulgentiam plenariam fidelibus etiam defunctis applicabilem, incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis

dierum hujusmodi cum extensione praefatae indulgentiae ad singulas respectivas octavas festivitatum earumdem, semel tamen lucrandae infra quamlibet praedictam octavam benigne concessit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam in perpetuum suffragari absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 11 Decembris 1784.

Th. de Marco, Secret.

326.

1785 12 Novembris. Indulg. pro visit. ecclesiae.

Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum. SSmus D. N. Pius PP. VI. ad humillimas preces R. P. Petri a Spiritu sancto, Postulatoris causae B. Mariae Annae a Jesu, nomine totius Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus confessis, ac sacra Communione refectis, qui die 17 Aprilis cujuslibet anni aliquam publicam ecclesiam ejusdem Ordinis ubique locorum existentem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei clementer concessit. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione perpetuis futuris temporibus fore valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Novembris 1785.

Th. de Marco, Secret.

327.

1786 4 Februarii. Absolutio generalis.

Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum. SSmus D. N. Pius PP. VI. humillimis precibus R. P. Petri a Spiritu sancto, Postulatoris causae B. Mariae Annae a Jesu, nomine totius Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum benigne annuens, facultatem eidem Ordini jam concessam impertiendi absolutionem generalem

in diebus ejusdem B. M. V. de Mercede, S. Antonii Abbatis, S. Petri Nolasci, feria quarta Cinerum, feria quinta majoris hebdomadae, S. Laurentii Mart. et S. Catharinae Virg. juxta formam a s. m. Clemente X. praescriptam, benigne extendit pro die 17 mensis Aprilis cujuslibet anni, et perpetuis futuris temporibus, servata eadem forma, valituram. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Februarii 1786.

Th. de Marco, Secret.

328.

1787 26 Martii. Indulg. plen. pro visitatione ecclesiae.

Ordinis Minor. Observ. S. Francisci. Die 26 Martii 1787. SSmus D. N. Pius PP. VI. humillimis porrectis precibus benigne annuens omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui aliquam ex ecclesiis seu capellis publicis totius Ordinis Minorum Observ. S. Francisci Nationis Germano-Belgicae, Hiberniae, Angliae, tum Fratrum, tum Monialium, et Missionum eorumdem Fratrum regimini et curae subjectarum in tribus diebus continuis per Ordinarios locorum semel tantum designandis devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam spatio praedictorum trium dierum lucrandam benigne concessit. Praesenti pro unica vice valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

Th. de Marco, Secret.

329.

1797 29 Novembris. Indulgentia pro visitatione ecclesiae.

Ordinis SS. Salvatoris. Ad humillimas preces R. P. Procuratoris Generalis Ordinis S. Birgittae nuncupat. SSmus D. N. benigne inclinatus omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesias publicas tam Patrum, quam Monialium supradicti Ordinis die, in qua festum Commemorationis Sanctorum Ordinis ejusdem pro varietate dioecesum

celebrandum devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie oraverint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei festi, fidelibus defunctis quoque applicabilem benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Novembris 1797.

J. B. Bussi, Secret.

330.

1806 24 Septembris. Indulg. pro visitatione ecclesiae.

Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum. Ad humillimas preces Fratris Mariani ab Aletrio, Procuratoris et Commissarii Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capucinorum, SSmus D. N. Pius PP. VII. benigne inclinatus, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti tam aliquam praedicti Ordinis ecclesiam etiam Monialium, quam aliquam saecularium ecclesiam ubicumque locorum existentem in tribus diebus continuis per Ordinarios locorum designandis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam semel tantum spatio dicti tridui per unumquemque Christifidelem lucrifaciendam pro unica vice tantum concessit. Voluitque Eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam absque ulla Brevis expeditione suffragari, et praesentis decreti exemplis etiam impressis manu et sigillo Procuratoris Generalis praedicti Ordinis munitis ipsammet fidem adhiberi, quae adhiberetur, si praesens foret exhibitum vel ostensum. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 24 Septembris 1806.

Petrus Maccarani, Secret.

331.

1807 11 Maji. Privilegium alicui familiae concessum.

Aretin. Quum, sicut humillime exponebatur, familia Seriacopi di Fojano, dioecesis Aretin., nonnullas Missas pro animabus

Christifidelium defunctorum de supradicta familia celebrare facere soleat, SSmus D. N. Pius PP. VII. clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae pro quibuscumque consanguineis et affinibus supradictae familiae tam nunc defunctis, quam ceteris in posterum ab hac vita decessuris, qui Deo in charitate conjuncti ab hac luce migraverint, celebrabuntur, eodem gaudeant privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent; non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 11 Maji anno 1807.

J. B. Card. **Caracciolo**, Praef.
Petrus Maccarani, Secret.

332.

1815 14 Februarii.

Urbis et Orbis. SSmus D. N. Pius PP. VII. ad augendam Christifidelium pietatem et devotionem in recolenda sacrosancta illa trium horarum memoria, quibus Salvator mundi D. N. J. Ch. pro omnibus nobis pependit in Cruce juxta methodum religiose ac maximo animarum fructu jam introductam et in pluribus ecclesiis frequentatam in ipsa feria VI. majoris hebdomadae, benigne ampliavit, et indulsit omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus in forma Ecclesiae consueta, et ab Apostolica Sede praescripta, qui singulis annis in ipso Feriae VI majoris hebdomadae die per tres continuas diei ejusdem horas se recollegerint, et animo revolvere, ac corde perpendere pro uniuscujusque modulo studuerint, quae tunc pro nobis passus est in Cruce, quaeque sanctissima verba protulit moriens Redemptor mundi: vel privatim, vel conjunctim sub proprio parocho, vel alterius sacerdotis, aut ministri directione, aut probati et devoti alicujus libelli hoc argumentum tractantis subsidio, et Psalmorum, Hymnorum aliarumque vocalium precum supplemento, in ecclesiis et oratoriis ruralibus et locorum, vel etiam civitatum, ubi non celebretur eo tempore pium idem exercitium, vel ob concursum populi, vel loci angustiam

aditus ibidem alicui forte non pateat; ne propter haec quisquam fidelium volens et cupiens, tanto religionis nostrae bono fraudetur, idem Sanctissimus Pater Pius PP. VII. indulget et largitur, ut de spirituali Ecclesiae thesauro plenariam omnium peccatorum indulgentiam piissimo huic exercitio publice et solemniter celebrato ab Apostolica Sede jam ab anno 1789 concessam et fidelibus etiam defunctis applicabilem, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint in feria V in Coena Domini vel infra hebdomadam paschalem, et per aliquod temporis spatium pie oraverint juxta mentem Sanctitatis Suae, eodem modo quisque lucrari possit et valeat, ac si solemnioribus iisdem functionibus, ubi frequentantur, praesens esset. Mandat insuper et elargitur idem Sanctissimus Pater, ut in singulis anni sextis feriis quisque fidelium, qui ejusdem divini Agonis digne memor atque devotus per aliquod temporis spatium eodem modo, quo supra dictum est, pie oraverit; singulis vicibus indulgentiam biscentum dierum pariter lucrari possit et valeat, addendo etiam, quod pro omnibus et singulis anni mensibus omnes, qui continuis praecedentibus feriis sextis meditaverint et oraverint, in feria ultima cujuslibet mensis sexta, pium idem trium horarum exercitium privatim pariter vel conjunctim sancte ac pie renovaverint, eadem in forma similiter Ecclesiae consueta, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et ut supra oraverint, plenariam indulgentiam, quae pro solemni feria VI majoris hebdomadae concessa est, eodem modo semel in mense consequatur. Praesentibus proprio Sanctitatis Suae motu et ad plurium sanctissimi agonis devotorum preces concessis et elargitis, absque ulla Brevis expeditione in perpetuum valituris. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 14 Februarii anno Domini 1815. J. D. Card. **Caracciolo**, Praef.

Petrus Maccarani, Secret.

333.

1817 2 Septembris. Indulg. Scalae sanctae Urbis.

Urbis. Inter obsequia, quae sacrosanctis religionis nostrae divinis mysteriis Christifideles deferre consueverunt,

illud potissimum Deo pergratum, et iisdem utile accidit, ut Passionis Salvatoris Nostri Jesu Christi mysteria recolentes, et abstrahantur a noxiis, et ad salutaria dirigantur. Qua de re SSmus D. N. Pius PP. VII. ad augendam fidelium devotionem, fovendamque et excitandam memoriam erga monumenta Passionis Christi, et maxime praeclarum illud Scalae sanctae, in qua Redemptor Dominus per singulos illius gradus non semel tantum ascendit, et Sanguine Suo pretioso consecravit; volensque, ut dignis frequentetur honoribus, et simul fideles ad illud confluentes beneficia majora pertrahant, necnon ad defunctorum fidelium levamen et solatium redundet, reserandos propterea sibi esse thesauros Ecclesiae censuit, ac supplicationibus Capituli et Canonicorum Patriarchalis Lateranensis Basilicae super hoc porrectis, atque inhaerendo concessionibus fel. rec. Leonis PP. IV. et Paschalis PP. II. Praedecessorum suorum, qui singulis utriusque sexus Christifidelibus corde saltem contrito orantibus, vel meditantibus Passionem D. N. Jesu Christi, et praelaudatam Scalam sanctam flexis genibus ascendentibus indulgentiam novem annorum pro quolibet gradu concessere, easdem indulgentias idem Sanctissimus non modo perpetuis futuris temporibus, et absque ulla Brevis expeditione valituras confirmavit, sed, quatenus opus sit, de novo impertitus est; et ut animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ex hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint, in Domino pariter concessit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Septembris anno 1817.

J. Ph. Card. **Scotti**, Pro-Praef.
Angelus **Costaguti**, Secret.

334.

1817 30 Septembris. Indulg. pro recitat. Lit. Lauretan.

Urbis et Orbis. Pia Summorum Pontificum cura omnium saluti prospiciens de thesauris Ecclesiae indulgentias nedum viventibus fidelibus, sed per earum applicationem etiam in Domino defunctis ad relaxationem poenae singulis temporibus elargiri consuevit; eo fortasse pietatis obtentu,

ut exutae corporibus animae, quae remissionem sibi emereri non valeant, militantis Ecclesiae collatis suffragiis consequerentur. Volens igitur SSmus D. N. Pius PP. VII. ex pastorali officio et charitate animarum saluti paterne consulere, omnes fideles ad B. Mariae Virginis devotionem invitat, ut ipsa Dei Mater Ejus intercessione validissima, tam fideles in hac vita degentes a malis imminentibus liberare, quam illos ex isto corporis ergastulo solutos a purgatorii poenis eripere dignaretur. Nonnullorum piorum virorum supplicationibus inclinatus, indulgentiam biscentum dierum a fel. rec. Sixto V. et Benedicto XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, quoties Litanias B. M. Virginis corde saltem contrito ac devote recitaverint, concessam, non modo confirmavit, verum etiam ad tercentum dies pro qualibet vice extendit. Insuper eisdem Christifidelibus, Litanias praefatas quotidie recitantibus, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam in quinque ejusdem B. M. V. festivitatibus de praecepto in Kalendario Romano descriptis lucrandam, dummodo aliquam publicam ecclesiam devote visitaverint clementer est elargitus, easdem indulgentias tam plenariam, quam partialem, animabus fidelium defunctorum, ut ad aeternam salutem, per Dei misericordiam et ejusdem B. M. V. merita perduci valeant, applicari etiam posse, et perpetuis futuris temporibus valituras, absque ulla Brevis expeditione peramanter concessit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1817.

G. Card. ab **Auria**, Praef.
Angelus Costaguti, Secret.

335.

1819 16 Martii. Facultas erigendi Confraternit. Septem Dol. B. M. V.

Novarien. Quum, sicut Episcopus Novarien. Servorum Mariae Ordinem in sua dioecesi minime existere, nec ullam sub hoc titulo Confraternitatem hac de causa erigi posse exposuerit, proindeque ad majorem Dei cultum et B. M. devotionem augendam facultatem postulaverit erigendi Con-

fraternitates seu Uniones sub titulo B. M. V. Septem Dolorum, ac iisdem communicandi indulgentias praefato Ordini concessas, SSmus D. N. Pius PP. VII. Oratoris precibus benigne inclinatus eidem facultatem impertitus est erigendi in propria dioecesi supraenuntiatas pias Uniones seu Confraternitates, eisdemque sic erectis omnes et singulas indulgentias praelaudato Ordini concessas, et in Summario typis recenter edito, et a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 12 Augusti 1818 approbato recensitas, facultatem pariter communicandi peramanter concessit. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Voluitque Sanctitas Sua, hanc gratiam donec praedictus Ordo in enuntiata dioecesi restituatur, fore tantum valituram, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 16 Martii 1819.

Angelus Costaguti, Secret.

336.

1819 3 Augusti. Indultum quoad visit. ecclesiae Confraternitatis.

Confraternitatis Cincturatorum. SSmus D. N. Pius PP. VII. ad humillimas preces Procuratoris Generalis Ordinis S. Augustini benigne annuens clementer indulsit, ut Confratres et Consorores Confraternitatis *della Cintura* nuncupatae, qui FFr. Ordinis S. Augustini vel ejusdem Confraternitatis ecclesiam ob distantiam locorum diebus, in quibus indulgentiae concessae reperiuntur, visitare nequiverint, vel quod aliquibus in locis ecclesiae praedictae minime existant, easdem indulgentias lucrari possint et valeant, dummodo respectivam parochialem ecclesiam visitaverint et alia pia opera injuncta fideliter ac devote exsequantur. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 3 Augusti 1819.

Angelus Costaguti, Secret.

337.

1820 21 Martii. Facultas erigendi Confraternitatem.

Ditionis Hollandiae. SSmus D. N. Pius PP. VII. ex Paternae Charitatis officio quo universos fideles in Deo

complectitur, de aeterna eorum felicitate procuranda quam maxime sollicitus, cum a parocho Marquet ecclesiae S. Petri urbis Bullonii in Hollandiae regno, expositum fuerit, facultatem jam obtinuisse erigendi Confraternitatem in sua parochiali ecclesia sub titulo *Boni Pastoris* nuncupatam ad effectum orandi pro peccatorum salute; necnon obtinuisse nonnullas indulgentias statutis diebus lucrandas, sed sicuti fideles in aliis parochiis seu locis existentes indulgentias praefatas lucrari minime possint, ob clausulam in concessionibus appositam de visitando ecclesiam, ubi Confraternitas praedicta reperitur erecta, hinc humillimis precibus Oratoris Sanctitas Sua benigne annuens, omnibus confratribus ac consororibus praelaudatae Confraternitatis canonice tamen erectae adscriptis ac in posterum adscribendis, qui legitime impediti, vel ob locorum distantiam ecclesiam parochialem, in qua Confraternitas erecta reperitur, statutis diebus visitare nequiverint, clementer indulsit, ut easdem omnes et singulas indulgentias, quibus gaudent ceteri confratres et consorores, lucrari possint et valeant, dummodo omissa visitatione praedictae parochialis ecclesiae, diebus, quibus indulgentiae concessae reperiuntur, visitent ecclesiam quamcumque uniuscujusque arbitrio eligendam, et alia pia opera a confessario injungenda fideliter ac devote exsequantur. Insuper indulgentias partiales jam obtentas in quatuor festivitatibus, videlicet Nativitatis B. M. V., Conversionis S. Pauli, S. Francisci Xaverii et S. Monicae ad indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis praedictorum festorum, dummodo Christifideles vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, benigne extendit. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 21 Martii 1820.

Angelus Costaguti, Secret.

338.

1821 6 Februarii. Congregatio Bonae Mortis.

Societatis Jesu. Ad humillimas preces Aloysii Fortis, Societatis Jesu Praepositi Generalis, SSmus D. N. benigne annuens, eidem ac Vicario Generali, tum cum ejusdem vices fecerit, facultatem impertitus est aggregandi Confraternitates sub titulo Bonae Mortis, eisdemque sic aggregatis et canonice erectis omnes et singulas indulgentias a Praedecessoribus suis Pontificibus huic primariae Congregationi Urbis sub eodem titulo Bonae Mortis in ecclesia Jesu, de qua in precibus, existenti concessas communicandi facultatem pariter elargitus est. Non obstantibus in contrarium etc. Praesenti in perpetuum valituro. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 6 Febr. 1821.

Angelus Costaguti, Secret.

339.

1824 4 Augusti. Indultum quoad opera praescripta.

Tertiariorum S. Francisci de Paula. SSmus D. N. Leo PP. XII. benigne indulsit, ut Tertiarii Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, qui ob infirmitatem, vel ob aliud legitimum impedimentum, opera praescripta pro ipsius Ordinis indulgentiarum consequutione peragere nequeunt, nihilominus eas omnes et singulas indulgentias lucrari possint et valeant, dummodo tamen alia pia opera pro arbitrio et conscientia respectivi confessarii injungenda fideliter ac devote exsequantur, servato in reliquis tenore primarum concessionum. Praesenti in perpetuum valituro non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Augusti 1824.

A. Archiepiscopus Trapezuntin., Secret.

340.

1824 11 Augusti. Indulg. pro recitantibus coronam Domini.

Urbis et Orbis. Inter multas indulgentias a fel. rec. Leone X. et Clemente X. Christifidelibus utriusque sexus recitantibus coronam D. N. J. Ch. concessas, Benedictus XIII.

per organum Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 6 Aprilis 1728 plenariam indulgentiam Christifidelibus, qui praelaudatam coronam in feriis sextis Martii recitaverint, elargitus est. Cum autem exortum sit dubium, „*an praedicta indulgentia plenaria consequenda sit in singulis feriis, vel unica dumtaxat vice,*“ SSmus D. N. Leo PP. XII. ad tollendam quamcumque dubietatem declaravit, plenariam indulgentiam lucrifieri posse in singulis praedictis feriis, dummodo Christifideles praefatam coronam recitaverint, et rite dispositi fuerint, ac per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Voluitque eadem Sanctitas Sua, hanc gratiam perpetuis futuris temporibus valituram absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 11 Augusti 1824.

B. Card. **Naro**, Pro-Praef.
A. Archiepiscopus Trapezuntin., Secret.

341.

1826 12 Aprilis. Indulgentiae Missionum.

Beatissime Pater! Joannes Baptista Drach, Societatis Jesu, Vice-Provincialis Helvetiae, Belgii ac Hollandiae, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime supplicat, ut omnibus Christifidelibus, qui quater saltem Missioni vel sacris exercitiis spiritualibus interfuissent, et ratione Missionis confessi fuissent, indulgentia plenaria in perpetuum concedatur ea die, qua sacra Communione refecti fuissent; item iis, qui cruces a Religiosis Societatis Jesu in fine Missionum erectas vel erigendas devote visitaverint, quinque annorum indulgentiam semel in die acquirendam, et plenariam semel in anno iis, qui anno integro ter saltem in mense eamdem crucem visitaverint. Quod etc. — Ex Audientia SSmi die 12 Aprilis 1826. SSmus D. N. Leo PP. XII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui sacris Missionibus a supraenuntiata Jesu Societate peragendis devote quater saltem interfuerint, plenariam indulgentiam acquirendam una die uniuscujusque arbitrio in posterum eligenda, in qua vere poenitentes confessi sacraque Communione refecti fuerint, et per aliquod

temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, benigne concessit. Insuper eisdem Christifidelibus ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum Gloria ante aliquam ex crucibus in fine praelaudatarum Missionum erigendis corde contrito ac devote in memoriam trium horarum agoniae D. N. J. Ch. et juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae recitantibus quinque annorum indulgentiam semel tantum singulis diebus lucrifaciendam, ac plenariam etiam indulgentiam una mensis Decembris die, dummodo per tres saltem vices in hujusmodi pio opere in quolibet mense jam sese exercuerint, et ipsa die rite, ut supra, sint dispositi, et pariter, ut supra, orent, clementer est elargitus.[1]) Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

B. Card. **Naro**, Pro-Praef.
A. Archiepisc. Trapezunt., Secret.

342.

1826 12 Aprilis. Indulgentiae Missionum.

Beatissime Pater! Joannes Baptista Drach, Societatis Jesu, Vice-Provincialis Helvetiae, Belgii ac Hollandiae, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime supplicat, ut Sanctitas Vestra concedere dignetur in perpetuum indulgentiam plenariam per sex menses immediate consecutivos iis, qui Missionibus vel sacris exercitiis spiritualibus, quae Religiosi ejusdem Societatis in Helvetia vel extra illam tradituri essent, interfuerint, item etiam illis, qui erectioni crucis interfuerint. Quod etc. — Ex Audientia SSmi die 12 Aprilis 1826. SSmus D. N. Leo PP. XII. clementer indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui crucis erectioni a supraenuntiatae Jesu Societatis confratribus in fine Missionum peragendae interfuerint, plenariam indulgentiam et ipsa erectionis die et infra sex menses immediate sequentes alia die, uniuscujusque arbitrio eligenda, in quibus vere poenitentes confessi sacraque Communione refecti fuerint, et ali-

[1]) Dictam concessionem SS. D. N. Leo PP. XIII. die 22 Aprilis 1882 ad universam Societatem Jesu in perpetuum benigne extendit.

quam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, consequantur.[1]) Praesenti valituro in perpetuum absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

B. Card. **Naro**, Pro-Praef.
A. Archiepisc. Trapezunt., Secret.

343.

1826 12 Aprilis. Plura altaria privilegiata.

Beatissime Pater! Joannes Baptista Drach, Societatis Jesu, Vice-Provincialis Helvetiae, Belgii ac Hollandiae, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime supplicat pro gratia, ut praeter altare majus duo alia altaria privilegiata quotidiana in ecclesiis Societatis suae Vice-Provinciae in perpetuum concedere dignetur. Quod etc. — Ex Audientia SSmi die 12 Aprilis 1826. SSmus D. N. Leo PP. XII. in qualibet ex quatuor Societatis Jesu ecclesiis in Helvetiae ditionibus ab Ordinario semel tantum designandis benigne declaravit privilegiata quotidiana duo altaria ab ipso Ordinario pro unica tantum vice eligenda, pro Missis, quae in eisdem a quocumque sacerdote sive saeculari seu Regulari in suffragium fidelium defunctorum celebrabuntur, dummodo tamen in dictis ecclesiis praeter altare majus nullum aliud altare simili indulto jam decoratum existat. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

B. Card. **Naro**, Pro-Praef.
A. Archiepisc. Trapezunt., Secret.

344.

1826 12 Aprilis. Indulg. pro Dominica III. mensis cujuslibet.

Beatissime Pater! Joannes Baptista Drach, Vice-Provincialis Societatis Jesu in Helvetia, Belgio ac Hollandia, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus supplicat pro gratia, ut ad promovendam Sacramentorum frequentiam in ecclesiis

[1]) Ex Rescripto diei 22 Aprilis 1882 loco hujus plenariae concessa est indulgentia 300 dierum.

Societatis Jesu in Helvetia tertia Dominica cujuslibet mensis concedatur indulgentia plenaria lucranda ab iis, qui illa Dominica confessi et sacra Communione refecti ad mentem Sanctitatis Vestrae oraverint, quae indulgentia etiam applicari possit animabus purgatorii. — Quod de gratia etc. — Ex Audientia SSmi die 12 Aprilis 1826. SSmus D. N. Leo PP. XII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere etc. aliquam ex Societatis Jesu ecclesiis in Helvetia existentibus in tertia mensium intra annum Dominica devote visitantibus, ibique etc. plenariam indulgentiam in dicta singulorum mensium Dominica lucrifaciendam clementer in perpetuum est elargitus absque ulla Brevis expeditione, et cum facultate eamdem indulgentiam in suffragium etc. etc. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

B. Card. **Naro**, Pro-Praef.
A. **Archiepiscopus Trapezunt.**, Secret.

345.

1826 12 Aprilis. **Facultas benedicendi cruces, rosaria etc. cum applicat. indulg. Apost. et D. Birgittae.**

Beatissime Pater! Joannes Baptista Drach, Societatis Jesu, Vice-Provincialis Helvetiae, Belgii ac Hollandiae, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime supplicat, ut facultas illi concedatur in perpetuum nominandi in unaquaque domo suae Vice-Provinciae duos ejusdem Societatis sacerdotes, qui possint benedicere cruces, crucifixos, s. numismata et coronas precatorias applicando illis indulgentias a Sanctitate Vestra concessas ac indulgentias S. Birgittae nuncupatas cum plenaria in articulo mortis, non solum in actu s. Missionum vel exercitiorum spiritualium, sed etiam extra illum. Quod de gratia etc. — Ex Audientia SSmi die 12 Aprilis 1826. SSmus D. N. Leo PP. XII. unicuique Superiori pro tempore quatuor domorum supraenuntiatae Societatis Jesu ab Oratore eligendarum clementer ad septennium est elargitus facultatem, benedicendi in actu sacrarum Missionum et spiritualium exercitiorum cruces seu crucifixos aut sacra numismata vel coronas precatorias, eisdemque applicandi

omnes et singulas indulgentias a Sanctitate Sua concessas ut in elencho ex typographia R. C. A. edito anno 1823 necnon indulgentias S. Birgittae nuncupatas. Insuper eidem Superiori hujusmodi facultatem etiam extra praefatas Missiones et exercitia benigne ad triennium concessit. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

B. Card. Naro, Pro-Praef.
A. Archiepiscopus Trapezunt., Secret.

346.

1830 10 Maji. Privilegium oratorii nocturni in ecclesia B. M. V. de Pace.

Urbis. Decet Romanum Pontificem sacrae religionis supremum assertorem, ea, quae pro ecclesiarum et Christifidelium in illis studio pietatis vacantium profectu, commoditate ac spirituali consolatione per Sedis Apostolicae providentiam circumspectam concessa sunt, extensionis munere ampliare. Siquidem actualis Praefectus presbyterorum collegii, seu oratorii nocturni canonice erecti per Litteras Apostolicas Leonis XII. fel. rec. sub datum diei 14 Februarii 1826 in ecclesia S. Mariae de Pace humiliter exposuit, praedictum oratorium non solum aliorum primum, quae in Urbe exstant per easdem Litteras dictum et nominatum, verum etiam ipsos collegii seu oratorii presbyteros facultate munitos alia hujusmodi oratoria in illud cooptandi; hinc SSmus D. N. Pius PP. VIII. praefato oratorii Praefecto necnon suis etiam successoribus pro tempore existentibus omnia et singula privilegia, indulta, indulgentias et gratias spirituales in Summario Sacrae huic Congregationi exhibito, aliis oratoriis ejusdem nominis et instituti tam intra quam extra Urbem canonice erectis, et in enuntiatum juxta formam praedictarum litterarum cooptatis communicandi facultatem clementer tribuit et impertitus est absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Maji 1830.

A. Archiepiscopus Trapezunt., Secret.

347.

1831 26 Aprilis. Benedictio Papalis cum indulg. plenaria.

Beatissime Pater! Conjuges Wogorvski, eorumque filii, nobiles Poloni, humiliter supplicant Sanctitatem Vestram, ut eis concedere dignetur Papalem Benedictionem cum indulgentia plenaria. Quam Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. Oratoribus, eorumque filiis actualibus, Apostolicam Benedictionem cum adnexa indulgentia plenaria, fidelibus quoque defunctis applicabili, acquirenda una die, uniuscujusque arbitrio eligenda, qua, vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, necnon aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis Suae, pias ad Deum preces effuderint, clementer est elargitus. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Aprilis 1831.

A. Card. **Frosini**, Praef.
A. Archiepisc. Trapezunt., Secret.

348.

1831 15 Julii. Indulg. plenaria bis in mense lucranda.

Beatissime Pater! Antonia de Miera y Pacheco devota Sanctitatis Vestrae Oratrix, cum domestici oratorii indultum per Litteras Apostolicas in forma Brevis in oppido et territorio de Estepa nuncupato, Nullius dioecesis, provinciae Hispalensis, obtinuerit; supplicat nunc humiliter pro indulgentia plenaria etiam applicanda per modum suffragii animabus purgatorii ab Oratrice ejusque consanguineis, affinibus et familiaribus cum ipsa cohabitantibus duabus vicibus in quolibet mense, iis nempe diebus, quibus praemissa sacramentali Confessione, Eucharisticum sumpserint Sacramentum in aliqua publica ecclesia, eamque devote visitaverint, et inibi pro felici statu sanctae Matris Ecclesiae, ac juxta Sanctitatis Suae mentem pias ad Deum preces effuderint, aut infirmi loco visitationis preces a confessario eorumdem injungendas recitaverint. Et Deus etc. — Ex Audientia

SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. Oratrici plenariam indulgentiam bis in mense, duobus nempe cujuslibet mensis diebus ejus arbitrio eligendis, quibus vere poenitens et confessa SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserit, necnon aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium devote visitaverit, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverit, benigne concessit. Praesenti vita ipsius Oratricis naturali durante valituro absque ulla Brevis expeditione et cum facultate eamdem indulgentiam in suffragium fidelium defunctorum applicandi. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Julii 1831.

A. Card. **Frosini**, Praef.
A. Archiepisc. Trapezunt., Secret.

349.

1831 17 Decembris. Indulg. pro orantibus ante Crucifixum.

Beatissime Pater! Abbatissa et Communitas ven. monasterii Sacrae Spineae Monialium Clarissarum in oppido vulgo Gelco, dioecesis Caesaraugustanae, humiliter a Sanctitate Vestra postulant applicationem indulgentiae plenariae in articulo mortis cuidam Crucifixo, qui cum magna devotione veneratur in choro ipsius monasterii, et, ut mos est, quando quaedam Monialis in articulo mortis est constituta, ad ipsam defertur: necnon partialem indulgentiam 100 dierum cuilibet, qui coram ipso per aliquod temporis spatium juxta Sanctitatis Vestrae mentem oraverit. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. omnibus Monialibus ceterisque in supraenuntiato monasterio commorantibus, quinquaginta dierum indulgentiam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, semel tantum singulis diebus per unamquamque lucrifaciendam, dummodo ter *Pater, Ave* et *Gloria,* in memoriam trium horarum agoniae D. N. J. Ch., ac juxta mentem Sanctitatis Suae, ante crucifixum, de quo in precibus, corde saltem contrito et devote recitaverint, benigne concessit. Praesenti in perpetuum, ex gratia speciali, valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Se-

cretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Decembris 1831.

A. Card. **Frosini**, Praef.
A. Archiepisc. Trapezunt., Secret.

350.

1832 15 Februarii. **Privilegia in favorem defunctorum.**

Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fratrum Discalceatorum. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. universorum fidelium saluti quam maxima sollicitudine prospiciens, et eorum praesertim, quorum animae de corporibus exutae piacularibus flammis in purgatorio premuntur, iisque aliquod solatium et levamen de bonis Ecclesiae thesauri efficere summopere exoptans, humillimis precibus Patris Procuratoris Generalis Ordinis Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis de redimendis captivis clementer acceptis, privilegiis et gratiis a Benedicto XIV., Praedecessore suo, huic Ordini cumulatis alia sequentis tenoris pro defunctis tantum adjunxit et auxit, nempe quotidianum privilegium altaris cujusque praefati Ordinis ecclesiae pro Missis, quae in ipso in suffragium Fratrum defunctorum celebrantur, extendit ad altare etiam singularum ecclesiarum Confraternitatum, quae eidem Ordini aggregatae sunt ac earum, quae in posterum aggregabuntur. Insuper altaria omnia cujuscumque pariter ecclesiae Ordinis tum Confraternitatis Ordini adscriptae die obitus seu depositionis uniuscujusque Religiosi aut confratris, seu etiam die, qua eorum mortis notitia pervenerit, privilegiata similiter pro illis dignatus est declarare. Et tandem, ne animabus illis defraudetur suffragium in supraenuntiati Ordinis constitutionibus praescriptum, indulsit, ut, si Religiosi simul et confratres in una ex memoratis diebus ob legitimum aliquod proprii officii impedimentum animas ipsas juvare minime possint, prima die non impedita in earum solatium eodem gaudeant privilegio. Et ne hujusmodi privilegiorum memoria temporis lapsu oblivioni mandetur, perpetuis futuris temporibus ipsa impertita voluit et statuit absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Februarii 1832.

A. Archiepiscopus Trapezuntin., Secret.

351.

1832 12 Martii. Missae privilegiatae Confraternitatis.

Briocen. Ad humillimas preces Episcopi Briocen. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. annuens, ut omnes et singulae Missae, quae pro quibusvis confratribus defunctis de pia Congregatione, sub titulo Conceptionis Immaculatae B. M. V., in sacello parvi seminarii urbis Trecoren., dioecesis Briocen., canonice erecta, ad quodlibet altare cujuslibet ecclesiae, vel publici seu privati oratorii celebrabuntur, eodem gaudeant privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuerint, clementer indulsit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Martii 1832.

A. Archiepiscopus Trapezuntin., Secret.

352.

1832 24 Septembris. Crucifixi cum indulgentiis Viae Crucis.

Florentin. Ad humillimas preces Serenissimae Mariae Ferdinandae, Magnae Ducissae Viduae de Hetruria, SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. annuens clementer indulsit, ut civitatis Florentinae pro tempore Archiepiscopus benedicere possit et valeat crucifixos, eisdemque applicandi omnes stationum Viae Crucis indulgentias, acquirendas ab iis tantum ex piae Societatis canonice tamen erectae, vel erigendae sub speciali patrocinio Patriarchae S. Joseph, consororibus, visitationi et assistentiae aegrotorum de duobus dictae Societatis nosocomiis SS. Bonifacii et Luciae addictis, tum occasione ipsis aegrotis inserviendi cum in casibus physicae infirmitatis, vel alicujus legitimi impedimenti, dummodo rite dispositae necnon unum ex praelaudatis crucifixis manibus tenentes, viginti *Pater, Ave* et *Gloria,* unum nempe pro qualibet ex quatuordecim stationibus, quinque in sanctissimorum Domini Vulnerum memoriam, ac unum juxta mentem Sanctitatis Suae recitaverint. Praesenti ex gratia speciali in perpetuum valituro, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 24 Septembris 1832.

A. Archiepiscopus Trapezuntin., Secret.

353.

1833 26 Januarii. Confrat. S. Amoris B. M. V. Auxiliatricis.

Ditionis Lusitaniae et Algarbiorum. Quod piis erat in votis Serenissimi Lusitaniae et Algarbiorum Regis fidelissimi, Michaelis I., de Ecclesia Dei optime meriti, SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. sicut commissae sibi a divino Redemptore dispensationis ratio exigit, ut coelestium munerum thesaurum ad augendam fovendamque Christifidelium pietatem prudenti liberalitate erogare studeat, ad omnipotentis Dei gloriam et animarum salutem Apostolica auctoritate benigne annuit, ut institui et erigi possit in una tantum ecclesia de consensu respectivorum Ordinariorum semel eligenda et designanda singularum urbium sive locorum sub dominio temporali Regis fidelissimi, in quibus exstat ipsorum sedes, Confraternitas, seu Sodalitas sub titulo S. Amoris B. M. V. Auxiliatricis iisdem modo et forma, quibus Monachii in ecclesia parochiali S. Petri, et Pisis in ecclesia S. Michaelis, respective reperitur canonice erecta cum communicatione et participatione in perpetuum omnium et singularum indulgentiarum, privilegiorum ac bonorum spiritualium juxta ejusdem Sodalitatis regulas et statuta, servatis tamen servandis, praesertim Litteris Apostolicis in forma Brevis fel. rec. Clementis PP. VIII. sub datum Romae apud S. Petrum 7 Decembris anno 1604 sui Pontificatus 13, quarum initium *Quaecumque a Sede Apostolica;* non obstantibus quibuscumque etiam speciali mentione dignis in contrarium facientibus. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Januarii 1833.

A. Card. **Frosini**, Praef.
L. Archiepiscopus Athenarum, Secret.

354.

1834 17 Februarii. Facultas erigendi Confraternitatem de rosario.

Beatissime Pater! Rector parochialis ecclesiae S. Martini de Lamballe, dioecesis Briocen., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus, implorat facultatem erigendi in sua parochiali ecclesia Confraternitatem B. M. V. de Rosario.

et in eamdem recipiendi fratres et sorores utriusque sexus, ac benedicendi rosaria cum indulgentiis adnexis, etiamsi eadem Sodalitas erecta sit in omnibus aliis ecclesiis tribus millibus non distantibus. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. omnes et singulas indulgentias, Primariae Urbis Sodalitati sub titulo B. M. V. de Rosario concessas, etiam piae ipsius tituli Confraternitati, in parochiali supraenuntiati loci ecclesia canonice erigendae, benigne in perpetuum communicavit. Insuper indulsit, ut, pariter in perpetuum, Rectores pro tempore piae Confraternitatis, ut supra erigendae, Christifideles in eam recipere, necnon rosaria B. M. V. benedicere, eisdemque consuetas indulgentias applicare possint et valeant. Praesentibus valituris, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Februarii 1834.

A. Card. **Frosini**, Praef.
L. **Archiepisc. Athenarum**, Secret.

355.

1834 28 Februarii. **Indulgentia pro eremo B. Laurentii.**

Nullius dioecesis Sublacen. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI., qui eremum prope Sublacum, Nullius dioecesis, B. Laurentio dicatum summa pietate invisit, cum sacram specum Divi Patriarchae Benedicti apud omnes pro sua celebritate veneratum devotionis causa nuperrime adivit, omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictum eremum visitantibus ibique pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, atque juxta mentem Summi Pontificis Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam cum *Gloria Patri etc.* enixe per tres vices recitantibus, septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam animabus quoque in purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, ac semel in die ab unoquoque acquirendam misericorditer in Domino concessit. Praesenti ex gratia speciali perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum

Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 2 Junii 1834.

A. Card. **Frosini**, Praef.
L. Archiepisc. Athenarum, Secret.

356.

1835 30 Maji. Indulgentia pro visitatione ecclesiae.

Beatissime Pater! Henricus Offret, parochus ecclesiae succursalis vulgo Pleudaniel, dioecesis Briocensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus, humiliter implorat, ut fideles suae paroeciae indulgentiam plenariam lucrari possint diebus festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, Dominicis et feriis sextis Quadragesimae. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, confessis sacraque Communione refectis, ecclesiam, de qua in precibus, visitantibus, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis Suae, orantibus, plenariam indulgentiam, tum in Inventionis et Exaltationis SSmae Crucis solemnitatibus, incipiendam a primis Vesperis usque ad eorum dierum solis occasum, tum in duabus Quadragesimae feriis sextis, ab Ordinario semel tantum designandis; et septem annorum, totidemque Quadragenarum indulgentiam pro unica dumtaxat vice in qualibet alia ex ipsius Quadragesimae feriis sextis, si dictam ecclesiam corde saltem contrito, et devote visitaverint, quinque Pater, Ave et Gloria in Passionis D. N. J. Ch. memoriam, ac juxta mentem Sanctitatis Suae, recitando, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione, et cum facultate easdem indulgentias in suffragium fidelium defunctorum applicandi. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 30 Maji 1835.

C. Card. **Castracane**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

357.

1835 8 Augusti. Indulgentia pro pio opere.

Sancti Severini. Cum, sicut SSmo D. N. Gregorio PP. XVI. tum Senatus, tum populus civitatis et dioecesis

S. Severini humillime exposuerant, quod, ut magis Christifidelium pietas ac devotio incrementum suscipiat erga Deiparam Virginem, praesertim sub invocatione S. Mariae Gratiarum, quae hucusque summa veneratione colitur in ecclesia sacri recessus Fratrum Minor. Observant. prope dictam civitatem, quam maxime necessarium videretur, viam, quae modo difficilis praebetur, industria et arte prosternere et ad opus perficiendum nonnullas indulgentias postulabant; hinc Sanctitas Sua supplicantium zelum plurimum in Domino commendans, et fidelium religionem coelestium munerum largitione fovere et excitare volens, utque Beatissimae Virgini perennes supplicationes ab omnibus porrigantur, vehementer exoptans, omnibus Christifidelibus, qui, ut facilius ad enuntiatum recessum cunctis aditus patefiat, laboribus tantummodo se ad praefatum iter sternendum praestiterint, quinquaginta dierum indulgentiam singulis tantum diebus ferialibus lucrifaciendam peramanter est impertitus. Iis vero, qui ad praelaudatum opus absolvendum praecipua quadam assiduitate per Ordinarium determinanda, intenderint, plenariam indulgentiam unica dumtaxat vice hujusmodi operis tempore perdurante, die uniuscujusque arbitrio eligenda, in qua vere poenitentes confessi sacraque fuerint Communione refecti, et aliquam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem ejusdem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, clementer est elargitus, cum facultate quoque praedictas indulgentias, sive partialem, sive plenariam animabus in purgatorio detentis applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1835.

C. Card. **Castracane**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

358.

1837 25 Februarii. Sodalitati Catechismi Perseverantiae conceduntur indulgentiae.

Beatissime Pater! Existit in dioecesi Cenomanensi, variis in locis, auctoritate Ordinarii erecta, pia juniorum utriusque

sexus Christifidelium, sub nomine *Catechismi Perseverantiae,* Sodalitas, ex qua pro informandis bonis moribus, propagandaque sana de religione doctrina profluere deprehenduntur uberrimi fructus. Optandum est igitur, ut ea gratiis et donis spiritualibus amplificetur, quo videlicet efficacius foveatur et firmetur latiusque diffundatur. Quapropter Episcopus Cenomanensis supplex Orator Sanctitatem Vestram multa filialique prece et fiducia obsecrat, ut omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, praefatae huic Sodalitati Catechismi Perseverantiae nuncupatae adscriptis vel postea adscribendis, quocumque in loco vel ecclesia suae dioecesis canonice erecta existat, assuetas indulgentias etiam defunctis applicabiles misericorditer in Domino largiri dignetur. Quod Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI., omnibus confratribus et consororibus piae Sodalitatis sub invocatione Catechismi Perseverantiae in una tantum ecclesia vel publico oratorio de supraenuntiata dioecesi, cujuslibet loci jam canonice erectae, sequentes indulgentias, fidelibus quoque defunctis applicabiles, ac in perpetuum duraturas, benigne concessit: plenariam nempe die prima eorum receptionis in eamdem Sodalitatem, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, necnon respectivam ecclesiam, vel publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta consuetos fines oraverint; et similiter plenariam, in mortis articulo acquirendam, dummodo rite, ut supra, dispositi fuerint, vel saltem sanctissimum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint; die vero, qua festum principale praelaudatae Sodalitatis, in dicta respectiva ecclesia, vel publico oratorio, de Ordinarii pro tempore licentia celebrabitur, indulgentiam pariter plenariam, incipiendam a primis Vesperis usque ad ipsius diei solis occasum; et septem annorum totidemque Quadragenarum indulgentiam quatuor aliis infra annum festis diebus, per Episcopum Oratorem semel tantum designandis, si, ut supra, rite dispositi fuerint, visitaverint et oraverint; ac tandem sexaginta dierum indulgentiam pro quolibet pio opere, quod corde saltem contrito et devote peregerint. Praesenti valituro, non obstan-

tibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 25 Februarii 1837.

C. Card. **Castracane**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

359.

1837 24 Novembris. Missionibus Congreg. SS. Redemptoris conceduntur indulgentiae.

Congreg. SS. Redemptoris. Ex Audientia SSmi diei 24 Novembris 1837. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. omnibus et singulis sacerdotibus Congregationis SSmi Redemptoris in Belgiis degentibus, qui post sacras peractas Missiones, ut earumdem Missionum fructus eo magis perseveret, cruces plantare solent, tam in memoriam tanti beneficii, quam ad renovationem propositi christianae vitae instituendae, benigne concessit facultatem ipsas benedicendi, eisdemque applicandi in perpetuum centum dierum indulgentiam toties acquirendam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, quoties ante praefatas cruces quinquies Dominicam Orationem et Angelicam Salutationem corde saltem contrito ac devote recitaverint et emissa proposita renovaverint. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti ad septennium valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 24 Novembris 1837.

C. Card. **Castracane**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

360.

1838 3 Augusti. Sodalitium cultus perpetui SS. Cordis Mariae.

Panormitan. Ad humillimas preces P. Antonii Vinci e Societate Jesu in Siciliae ditione Provincialis, qui a Sacra Rituum Congregatione facultatem obtinuit erigendi in ecclesia Domus Professae Panormi piam Sodalitatem cultus perpetui sanctissimi Cordis Mariae, addita quoque potestate huic Primariae Associationes ejusdem tituli aggregandi, SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. benigne inclinatus, omnibus utriusque

sexus Christifidelibus ipsi Sodalitati adscriptis sive associatis, qui per mensem quinquies saltem pium exercitium in honorem sanctissimi Cordis Mariae rite peregerint, indulgentiam plenariam semel in quolibet mense die uniuscujusque arbitrio eligenda, in qua vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, peramanter est impertitus. Praesenti in perpetuum et pro Siciliae tantum ditione valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 3 Augusti 1838.

C. Card. **Castracane**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

361.

1841 14 Decembris. Sodalitas perpetuae adorationis SS. Cordis Jesu.

Urbis. Aeterni Dei inscrutabilis Altitudo nullis comprehensa limitibus, sed ineffabilis et immensa sic per eos, qui hactenus in Sede Beati Petri Romanae Ecclesiae gubernacula tenuerunt, populum christianum spiritualibus alimentis nutriri voluit, ut per ejus dona gratiae, fide et charitate muniti coelestis regni praemia consequi mereantur. Hinc, cum jam erecta canonice reperiatur piissima Sodalitas Sanctissimi Cordis Jesu cultui propagando, quae in Alma hac Urbe sub Eminentissimi Card. Vicarii ductu penes pium coetum a S. Paulo Apostolo nuncupatum subcrescit et longe lateque per Orbem diffunditur, quaeque innumeris propemodum indulgentiis, ac privilegiis a Summis Pontificibus ditata fuerit, ex qua, postulantibus nonnullis ecclesiasticis viris tum dignitatis honore fulgentibus, tum doctrinae ac probitatis laude, atque animarum zelo vel maxime commendatis, nova quaedam, ac peculiaris Societas in templo Deiparae Virginis de Pace sub certis regulis et modis efformata, atque ejusdem Eminentissimi Urbis Vicarii decreto recognita ac probata fuerit, cui sub ipsius pii coetus Mode-

ratorum regimine ac tutela munus sit cum Sacratissimo Jesu Corde solidior ac perpetua conjunctio, SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. omnibus Christifidelibus huic selectae Societati adscriptis ac in posterum adscribendis, firmis remanentibus singulis indulgentiis a suis Praedecessoribus Sodalitati Sanctissimi Cordis Jesu elargitis benigne concessit indulgentiam plenariam die eorum receptionis in praefatam selectam, ac peculiarem perpetuae adorationis ipsius Sanctissimi Cordis Societatem, si eadem die vere poenitentes confessi ac sacra Communione insuper fuerint refecti, necnon publicam aliquam ecclesiam seu oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. Similiter septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam peramanter est impertitus, dummodo corde saltem contrito tribus injunctis operibus satisfecerint, tum nempe semel in die, pro sanctissimi Eucharistiae Sacramenti visitatione absolvenda, tum semel in qualibet prima feria sexta cujuslibet mensis pro piis exercitiis in ecclesia praedicta B. M. V. de Pace peragendis, tum denique in actu consecrationis Sanctissimo Jesu Cordi ac Deiparae sine labe conceptae emittendo; plenariam pariter indulgentiam uno tantum ex ultimis tribus cujuslibet mensis diebus, uniuscujusque arbitrio eligendo, quatenus supraenuntiatam Sanctissimi Eucharistiae Sacramenti visitationem quotidie peregerint, eodemque die Ecclesiae Sacramentis, ut supra, rite susceptis, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ac juxta supraenuntiatos fines pias ad Deum preces effuderint. Et tandem ut quadraginta dierum indulgentiam pro quolibet alio pio opere, quod corde saltem contrito ac devote persolverint, consequantur, clementer indulsit, facta quoque singulis hujusce selectae Societatis sodalibus potestate tam plenarias, quam partiales indulgentias praefatas animabus in purgatorio detentis applicandi, ac in reliquis quoque servatis servandis juxta Constitutionem Clementis VIII. s. m., quae incipit *Quaecumque a S. Sede Apostolica* die 7 Decembris 1604. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibus-

cumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 14 Decembris 1841.

C. Card. **Castracane**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

362.

1843 21 Junii. Conceduntur indulgentiae Monialibus hospitalis.

Monialium vulgo Ospedaliere. Superiorissa et Moniales hospitalariae trium domorum Urbis Romae apud Lateranum, apud S. Jacobi in Augusta et apud S. Gallicani Sanctitati Vestrae humiliter exponunt, suum Institutum de thesauro indulgentiarum provisum non esse, sese autem assistentia, quam infirmis praestant, impediri, quominus se conferant ad locum, ubi illae concessae sunt. Quapropter humiliter supplicant Sanctitati Vestrae, ut dignetur concedere tam ipsis, quam novitiis et probandis aliquas indulgentias plenarias pro visitatione sacelli interioris suarum respective domorum, si praemittant Confessionem et Communionem et orent secundum intentionem Sanctitatis Vestrae; necnon aliquas indulgentias partiales contritis. Indulgentiae autem, quas petunt, sunt sequentes: Indulgentia plenaria in die vestitionis, professionis, renovationis votorum, die 16 Maji (B. M. V. de Misericordia, specialis Protectricis Instituti), semel in mense, quo die quaelibet facit exercitia spiritualia, in festo S. Vincentii a Paulo, S. Camilli de Lellis, S. Joannis de Deo, SS. Cordis Jesu, in festo et sex Dominicis S. Aloysii, in articulo mortis, plenaria et partiales diebus Stationum, quae notantur in Missali Romano. Tandem partialis 60 dierum pro quocumque pio opere, necnon indulgentiam Portiunculae. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI., attentis expositis, supradictis Monialibus, ceterisque tantum, de quibus in precibus, benigne concessit indulgentias plenarias et partiales, in ipsis precibus enuntiatas; servatis tamen singulis conditionibus, ut supra memoratis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 21 Junii 1843.

G. Card. **Ferretti**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

363.

1843 4 Decembris. De Confessione et Communione.

Bajocen. Cum Rescripto diei 13 Septembris 1843, Sacra Congregatio Indulgentiarum indulsit RR. DD. Episcopo Bajocensi in Gallia, ut omnes Christifideles hujusce dioecesis, qui infra unam vel duas hebdomadas sacramentalem Confessionem peragere solent, lucrari queant plenarias indulgentias in qualibet ecclesia, seu publico oratorio, ejusmodi intervallo elargitas, etiam absque sacramentali Confessione praefata ....., nesciens Orator, utrum agatur de indulgentiis localibus tantum, aut de indulgentiis plenariis qualibuscumque, postulat, quo sensu intelligi debeat clausula Rescripti, et in casu, quo ageretur tantum de primis indulgentiis, enixe supplicat, ut extendatur ad omnes indulgentias quascumque, de quibus agitur in Rescripto b. m. Clementis XIII. die 9 Decembris 1763 concesso. Et Deus etc. — Sacra Congregatio die 4 Decembris 1843 respondit: *Rescriptum datum Episcopo Bajocensi sub die 13 Septembris 1843 pro consequendis indulgentiis absque sacramentali Confessione pro iis Christifidelibus, qui infra unam vel duas hebdomadas praefatam Confessionem peragere solent, intelligendum est pro omnibus et singulis indulgentiis tam localibus, quam personalibus, pro quibus acquirendis sacramentalis Confessio tamquam injuncta conditio requiritur.*

G. Card. **Ferretti**, Praef.
H. Ginnasi, Secret.

364.

1845 13 Novembris. Indulg. pro oratione ante imaginem Crucifixi.

Camerinen. Ex Audientia SSmi die 13 Novembris 1845. Ad humillimas preces Abbatissae et Monialium S. Catharinae loci di Caldarola, Archidioecesis Camerinen. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. benigne inclinatus, non modo ipsis Monialibus tantum, sed et ceteris in praefato monasterio commorantibus, indulgentiam tercentum dierum semel in unaquaque die acquirendam, dummodo corde saltem contrito ac devote ante imaginem SSmi Crucifixi, quae intra claustra ejusdem monasterii singulari veneratione colitur et

adservatur, ter Symbolum Apostolorum cum versiculo *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum* recitaverint, clementer est elargitus; et insuper eadem Sanctitas Sua, tam Monialibus, quam commorantibus indulgentiam plenariam in festivitatibus SSmi Redemptoris, Inventionis et Exaltationis SSmae Crucis, necnon in qualibet ex feriis sextis mensis Martii, ac in feria sexta majoris hebdomadae, si tamen iis diebus praeter enuntiatam Symboli et Versiculi recitationem, vere poenitentes, confessae ac sacra Communione refectae, earum publicam ecclesiam per crates visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, et quoad feriam sextam majoris hebdomadae, ad sacram Synaxim in feria quinta in Coena Domini accesserint, benigne concessit. Praesenti ad decennium valituro absque ulla Brevis expeditione, et cum facultate tam plenarias, quam partiales indulgentias in suffragium defunctorum fidelium applicandi. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

G. Card. **Ferretti**, Praef.
A. Archip. Prinzivalli, Substit.

365.

1847 4 Maji. Extensio indulgentiarum.

Monialium a Visitatione. SSmus D. N. Pius PP. IX. precibus Monialium Visitationis de Urbe clementer exceptis, indulsit, ut omnes et singulas indulgentias et privilegia hucusque concessa lucrari possint et valeant Moniales et commorantes in singulis ejusdem tituli Visitationis ejusdem instituti asceteriis per Orbem diffusis existentes, exceptis tamen pro commorantibus indulgentiis, quae propria sunt Monialium in vestitione nempe, professione, seu votorum renovatione etc. Insuper concessit earum confessariis respectivis facultatem in casu infirmitatis commutandi visitationem ecclesiae pro indulgentiis adipiscendis in alia operia eorum arbitrio suggerenda, itemque permisit, ut indulgentias Stationum Urbis, diebus in Missali Romano descriptis lucrari valeant, ceteris adimpletis conditionibus, visitando in earum ecclesiis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum; et tandem

eadem Sanctitas Sua omnes praefatas indulgentias et privilegia alias ad tempus impertita non modo animabus in purgatorio existentibus applicabilia, verum etiam perpetuis futuris temporibus valitura esse voluit absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 4 Maji 1847.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
J. Gallo, Secret.

366.

1847 17 Octobris. Privilegia et indulta Societatis Propagationis Fidei.

Urbis et Orbis. Ex Audientia SSmi die 17 Octobris 1847.[1]) Cum pia aeque ac praeclara Societas Propagationis Fidei titulo nuncupata, ex quo multis abhinc annis mirabili divinae providentiae consilio ortum habuit in Gallia, media praesertim vineae dominicae cultoribus suppeditando ad catholicam fidem in remotissimis licet regionibus facilius disseminandam plurimum semper contulerit, hinc eam Romani Pontifices in suam recipere tutelam haud praetermiserunt, immo spiritualibus gratiis atque indulgentiis Apostolica auctoritate ditarunt, quo et majori Societatis ipsius incremento, et illorum Christifidelium bono consuleretur, qui Societati huic adscripti modica pecunia, paucisque quotidianis precibus ejusdem scopo laudabiliter admodum inserviunt. His permotus SSmus D. N. Pius PP. IX. cum et Ipse eosdem Christifideles peculiaribus favoribus et gratiis prosequi, novasque indulgentias, novaque privilegia eisdem conferre, quaeque jam alicubi generaliter universae Societati elargiri statuerit; hinc confirmando indulgentias et privilegia a Suis Praedecessoribus concessa, quae tamen in hoc continentur decreto, omnibus utriusque sexus Christifidelibus universi terrarum orbis piae huic Societati rite adscriptis, quique hebdomadalem obolum in ea specie, seu quantitate contulerint, quae legitime quolibet loco statuta erit, quique unum insuper Pater et Ave cum hac invocatione „Sancte Francisce Xaveri, ora pro nobis“ quolibet idiomate quotidie reci-

[1]) Cfr. num. 371, quo hae concessiones declarantur.

taverint, de benignitate Apostolica dignatus est in perpetuum confirmare et concedere sequentia privilegia ac indulgentias, animabus quoque in purgatorio detentis per modum suffragii applicabiles, videlicet: 1. Indulgentiam plenariam tum die 3 Maji in festo Inventionis SSmae Crucis D. N. J. Ch., quae anniversaria est fundationis hujus Societatis, quaeque Lugduni contigit anno 1822, tum die 3 Decembris in festo nempe S. Francisci Xaverii, ejusdem Societatis Patroni coelestis, incipiendam a primis Vesperis usque ad ultimae utriusque festi octidui diei solis occasum, semel tantum ejusmodi dierum spatio acquirendam, dummodo adscripti vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti vel ecclesiam, seu publicum oratorium piae Societati addictum, vel propriam ecclesiam parochialem devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta Sanctitatis Suae mentem oraverint. — Quodsi festa hujusmodi a pia Societate in locis, ubi legitime constituta est, celebrentur debitis cum facultatibus aliis diebus, et haec celebratio transferatur post utriusque octavae diem, Sanctitas Sua indulsit, ut adscripti, qui dictam plenariam indulgentiam die 3 Maji ac die 3 Decembris, vel infra respectiva eorum festorum octidua haud lucrati fuerunt, eamdem plenariam indulgentiam, si, ut supra, rite dispositi ecclesiam vel publicum oratorium, ubi festa praedicta celebrantur, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, lucrari valeant a primis Vesperis diei, in quem unum vel alterum ex dictis festis transfertur, usque ad occasum solis ejusdem diei; et quoties ipsi adscripti respectivis triduis dicta festa, vel cum celebrantur die, quo incidunt, vel etiam in casu, quo eadem transferri contingat, immediate praecedentibus, a pia Societate celebrandis, corde saltem contrito interfuerint, toties tercentum dierum indulgentiam concessit. 2. Item indulgentiam plenariam tum lucrandam ab omnibus piae Societati adscriptis in die, qua ubique locorum debitis cum facultatibus semel in anno fiat solemnis commemoratio omnium adscriptorum,[1]) qui decesserunt, tum die, qua similis comme-

[1]) Cfr. num. 371.

moratio variis in locis, et cum debitis facultatibus fiet a Consiliis dioecesanis, a chiliarchiis, centuriis vel decuriis, pro respectivis fidelibus vita functis, qui ad idem Consilium dioecesanum, chiliarchiam, centuriam vel decuriam pertinebant, a respectivis Christifidelibus eisdem adscriptis lucrandam, dummodo, etiam, ut supra, vere poenitentes, confessi ac sacra Synaxi refecti respectivam ecclesiam vel publicum oratorium, ubi commemorationes ejusmodi peragentur, devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta consuetos fines oraverint. — Ut autem animae fidelium defunctorum tam piae ac salutari Societati adscriptorum magis, magisque suffragentur, Sanctitas Sua benigne concessit, ut omnia et singula altaria ecclesiae vel oratorii publici, in quibus tam generalis, quam peculiaris defunctorum, ut supra adscriptorum commemoratio perageretur, die, qua haec commemoratio fit, privilegiata sint pro Missis, quae in eisdem altaribus a quocumque sacerdote in suffragium illorum adscriptorum celebrabuntur, pro quibus ea die vel generalis vel peculiaris commemoratio celebretur. 3. Item indulgentiam plenariam bis in mense acquirendam, duobus nempe cujuslibet mensis diebus, uniuscujusque adscripti arbitrio eligendis, quibus vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, necnon ecclesiam vel publicum oratorium Societatis, aut respectivam ecclesiam parochialem visitaverint, ibique pariter per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint. Ex speciali autem gratia Ejusdem Sanctitatis Suae Romae tum nuper enuntiatam plenariam indulgentiam bis in mense acquirendam, tum duas alias plenarias indulgentias in diebus festis Inventionis SSmae Crucis, ac Sancti Francisci Xaverii, vel in eorum respectivis octiduis elargitas lucrari poterunt adscripti, si, ut alias rite dispositi loco visitationis ecclesiae seu publici oratorii Societatis, aut propriae paroeciae, ecclesiam S. Mariae Magdalenae Clericorum Regularium infirmis ministrantium, in qua primitus haec pia Societas in alma Urbe constituta fuit, devote visitaverint, ibique, ut supra, oraverint. 4. Insuper Sanctitas Sua facultatem omnibus utriusque sexus Christifidelibus piae So-

cietati adscriptis benigne concessit indulgentiam plenariam in mortis articulo acquirendam, dummodo tamen rite dispositi fuerint, vel saltem SSmum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint. 5. Tandem Sanctitas Sua clementer concessit indulgentiam centum dierum ab unoquoque ex adscriptis lucrandam, quoties, corde saltem contrito, praescriptas preces, Pater nempe et Ave cum invocatione „S. Francisce Xaveri, ora pro nobis“ recitaverit, vel aliquam eleemosynam (contrariis quibuscumque non obstantibus) praeter obolum hebdomadalem, et in eumdem finem subministraverit, vel denique quodlibet aliud pietatis aut charitatis opus peregerit. 6. Qui vero inter adscriptos infirmitatis causa, vel alias legitime fuerint impediti ad visitandam praescriptam ecclesiam seu publicum oratorium, etiam quia propria ecclesia parochialis valde admodum distet, ex speciali Sanctitatis Suae gratia easdem indulgentias lucrari possunt, dummodo tamen ceteras omnes conditiones adimplentes, alia pia opera, vel preces a respectivis confessariis injungendas praestiterint. Atque etiam Sanctitas Sua benigne indulsit, ut adscripti Christifideles, qui vel ob physicam infirmitatem, vel ob aliud legitimum impedimentum enuntiato triduo ante duo festa Inventionis SSmae Crucis ac S. Francisci Xaverii, a pia Societate, ut supra dictum est, celebrando interesse nequeant, enuntiatam nihilominus tercentorum dierum indulgentiam consequi valeant, dummodo privatim respectiva tridua peragant. 7. Praeterea Sanctitas Sua benigne concessit, ut omnes adscripti utriusque sexus, qui in religiosis domibus, collegiis, conservatoriis, aliisque locis piis, omnes scilicet, qui *in Communitate,* ut vulgo appellant, vitam degunt, praefatas omnes indulgentias lucrari possint propriam ecclesiam, vel ea deficiente, etiam privatum domus, qua degunt, oratorium, seu capellam visitando, ibique, ut alias jam dictum est, orando, loco visitationis ejusdem in praescripta ecclesia vel oratorio publico peragendae, dummodo ceteras omnes conditiones fideliter adimpleverint. — Quapropter eadem Sanctitas Sua pium hoc Institutum ad saluberrimum Missionis opus fovendum, et sustentandum plurimum in Domino commendans, haec

omnia privilegia et indulgentias Apostolica auctoritate concessas publicari hoc decreto absque ulla Brevis expeditione mandavit ut omnes Christifideles eidem adscripti elargitis indulgentiis et gratiis perfrui valeant, quibus etiam tam vivis, quam defunctis concessum est, ut participes sint laborum, orationum, suffragiorum ac Sacrificiorum, quae pro ipsis ab Episcopis et Missionariis per totum orbem, ac ab universa Societate applicantur. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archip. Prinzivalli, Substit.

367.

1849 15 Decembris. Indultum pro Confraternitate.

Beatissime Pater! Confraternitas sub titulo D. N. J. Ch. ad columnam ligati in ecclesia S. Francisci Assisiensis in oppido Priego, dioecesis Nullius Alcala La Real existens quotannis festivitatem hujus tituli solet celebrare. Nunc enixis precibus a Sanctitate Sua implorat, ut in dicta festivitate a primis Vesperis usque ad solis occasum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui confessi ac sancta Communione refecti praefatam ecclesiam visitaverint, indulgentiam plenariam lucrari possint et valeant. Insuper implorat, ut novendialibus praedictae festivitati praecedentibus toties quoties indulgentiam annorum tercentum, et qui saltem quinquies interfuerint, indulgentiam plenariam etiam lucrari possint. Postremum implorat, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui sacram imaginem ipsius D. N. J. Ch. ad columnam ligati visitaverint, toties quoties biscentum dies de vera indulgentia etiam lucrari possint. Quare etc. — Die 15 Decembris 1849. Utentes facultatibus Nobis a SSmo D. N. tributis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis supradictam ecclesiam in festo, de quo in precibus, devote visitantibus, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae orantibus, plenariam indulgentiam, incipiendam a primis Vesperis usque ad illius diei solis occasum concedimus. Insuper ipsis Christifidelibus, quoties corde

saltem contrito et devote novendiali praelaudatum festum immediate praecedenti in eadem ecclesia peragendo interfuerint, toties tercentum dierum indulgentiam impertimur. Tandem eisdem Christifidelibus corde pariter contrito, ac devote ter Symbolum Apostolorum ante enuntiatam imaginem D. N. J. Ch. in praefata ecclesia recitantibus, indulgentiam centum dierum, semel singulis anni diebus lucrifaciendam, elargimur. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

D. A. Card. **Bianchi**, Pro-Praef.
Jacobus Gallo, Secret.

368.

1850 1 Martii. Confraternitas SS. Rosarii.

Beatissime Pater! Rector parochialis ecclesiae S. Martini in Templemart, dioecesis Cameracensis, a Sanctitate Vestra postulat, ut Sodalitas SSmi Rosarii in eadem ecclesia erecta, et jam per Rescriptum S. Congr. Indulg. die 23 Febr. 1850 sanata defectu erectionis ob distantiam requisitam a s. m. Clemente VIII., lucrari possit singulas indulgentias, quibus gaudet primaria ejusdem tituli in Urbe Sodalitas. Et Deus etc. — Die 1 Martii 1850. Utentes facultatibus Nobis a SSmo D. N. tributis omnes et singulas indulgentias primariae Urbis Sodalitati sub titulo B. M. V. de Rosario elargitas, piae ipsius tituli sodalitati in supraenuntiata ecclesia canonice erectae vel erigendae in perpetuum communicamus. Praeterea, quatenus opus sit, ut hujus piae Sodalitatis Rector pro tempore fideles in eam recipere, necnon coronas B. M. V. de Rosario pro iis Christifidelibus benedicere iisdemque consuetas indulgentias applicare queat, concedimus et impertimur. Praesentibus, attenta sanatione, prout in precibus, obtenta quoad distantiae defectum valituris absque ulla Brevis expeditione, servatis tamen reliquis alias servandis juxta Constitutionem s. m. Clementis VIII. sub datum Romae apud S. Petrum die 7 Decembris 1604, quae incipit: *Quaecumque a Sede Apostolica.*

J. A. Card. **Brignole**, Praef.
Jacobus Gallo, Secret.

369.

1850 19 Julii. Scapulare rubrum Passionis.

Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX., omnibus Christifidelibus rubrum Passionis D. N. J. Ch. scapulare benedictum gestantibus indulgentias ut infra: plenariam nempe, die prima praelaudati scapularis receptionis, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, necnon aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint; et similiter plenariam, in mortis articulo acquirendam, dummodo rite, ut supra, sint dispositi, vel saltem SSmum Jesu Nomen, corde, si ore nequiverint, devote invocent, benigne in perpetuum concessit.[1]) Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex aedibus Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 19 Julii 1850.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archip. Prinzivalli, Substit.

370.

1850 26 Augusti. Translatio indulgentiae.

Beatissime Pater! Hodiernus Episcopus Curien. Sanctitati Vestrae humiliter exponit, quod in indulto pro erectione Sodalitatis SS. Cordis Jesu in ecclesia RR. PP. Capucinorum monasterii in Valle Monasteriensi hujus pagi et dioecesis, paucis abhinc hebdomadis obtento pro indulgentia plenaria singulis mensibus a sodalibus Confraternitatis S. Rosarii jam dudum erectae pariter singulis mensibus lucranda eamdem in Dominicam coincidat; desideratur, ut pro indulgentia plenaria, quam Sodales SS. Cordis Jesu deinceps singulis mensibus lucrari poterunt, non prima, sed secunda potius Dominica cujuscumque mensis benignissime assignetur. Quare Sanctitatem Vestram enixe supplicat, ut ejusmodi translationi annuere gratiosissime dignetur. Et Deus etc. — Ex

[1]) In Audientia diei 13 Septembris 1850, SSmus D. N. Pius PP. IX. benigne quoque concessit ut alia indulgentia plenaria, lucranda quavis feria sexta, extendatur ad eos, qui moraliter impediti Confessionem et Communionem transferunt ad insequentem Dominicam.

Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. plenariam, supraenuntiatae piae Unionis sodalibus semel in mense, prout in precibus jam elargitam, ad secundam cujuslibet mensis Dominicam benigne transtulit, dummodo tamen ipsi sodales praescriptas pro ejusmodi indulgentiae consequutione conditiones fideliter adimpleant, servato in reliquis, et quoad durationis tempus, tenore primae concessionis. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Augusti 1850.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archip. Prinzivalli, Substit.

371.

1850 10 Septembris. Declaratur sensus concessionis.

Urbis et Orbis. Ex Audientia SSmi die 10 Septembris 1850. Cum aliqua difficultas irrepserit circa expositionem et intelligentiam articuli secundi alterius decreti hujus Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 17 Octobris 1847 pro pia Societate Propagationis Fidei, hinc ipsa Sacra Congregatio, audito iterum oraculo SSmi D. N. Pii PP. IX., eumdem articulum ita intelligendum esse declaravit. Plenariam nempe indulgentiam concessam fuisse omnibus piae Societati adscriptis semel in anno, die scilicet, qua ubique locorum debitis cum facultatibus solemnis commemoratio omnium adscriptorum, qui ex hac vita migrarunt, peragetur; praeterea iis orbis terrarum locis dumtaxat, in quibus praefatae Societatis quaedam sudivisio existit, vel in posterum existet, in consiliis videlicet dioecesanis, chiliarchiis, centuriis, decuriis, aut in aliquibus tamen ex hujusmodi sectionibus, indulgentiam similiter plenariam concessam fuisse, tum die, qua praeviis jam dictis debitis facultatibus eadem solemnis commemoratio fiet unica vice in quolibet anno ab aliquo consilio dioecesano, generaliter pro omnibus defunctis, sub praefato consilio, dum decesserunt, existentibus, acquirendam ab adscriptis tantum sub eodem pariter consilio tunc existentibus; tum die, qua in omnibus ut supra, eadem commemoratio fiet ab aliqua chiliarchia pro ipsius chiliarchiae

ex hac vita migratis, lucrifaciendam solummodo ab adscriptis eidem chiliarchiae; idemque dicendum de centuriis et decuriis; dummodo tamen ea die praefati adscripti singulas injunctas conditiones in eodem secundo articulo enuntiatas fideliter adimpleant. Insuper declaravit Eadem Sanctitas Sua, hoc sensu intelligenda esse altaria privilegiata, sive ecclesiarum, sive publicorum oratoriorum, in quibus hujusmodi solemnis commemoratio vel generalis, vel partialis sit ut supra celebranda. Et tandem Idem SSmus D. N., ut animae defunctorum ipsius Societatis magis magisque suffragentur, declaravit, omnes et singulas Missas, quae ubique terrarum sive ab uno sive a pluribus adscriptis pro uno, vel pro pluribus defunctis, dum mortem oppetierunt ad eamdem piam Societatem spectantibus, ad quodlibet altare celebrari fient, vel a sacerdotibus adscriptis celebrabuntur, eadem in perpetuum gaudere gratia, acsi in altari privilegiato celebratae fuissent. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archip. Prinzivalli, Substit.

372.

1851 12 Maji. Gratiae concessae Societati, quae curam agit militum.

Galliarum. Humillimis delatis precibus SSmo D. N. Pio PP. IX. ab Ernesto de Rayneval, in ipsis exposuerat Orator quamdam tum ecclesiasticorum, tum saecularium piam Societatem, quae gallice *L'Oeuvre pie des Soldats* dicta est, Lutetiae Parisiorum ab anno 1848 inchoatam fuisse, cujus peculiaris finis est milites ab ignorantia catholicae religionis avertere, eosque in fidei rudimentis informare; hinc variis in civitatibus per Galliam diffunditur, atque in oratoriis vel in cubiculis penes nonnullas ecclesias eos ad lectionem et scriptionem ediscendam, coadunat, aut eos christianam edocet doctrinam, aut eis pietatis libros distribuit, ex qua singulis fere diebus ex praefatis religionis scholis, copiosus salutis aeternae fructus dimanat. Cum vero postulasset in eisdem precibus dictus Orator pro aliquibus indul-

gentiis elargiendis tam omnibus Christifidelibus praememoratae Societatis in quinquaginta fere Galliae locis jam existentis, quam aliis in ipsius Galliae locis in posterum extiturae, necnon ceteris Christifidelibus quocumque modo ad praefatam Societatis propagationem cooperantibus, quam singulis militibus pro eorum facultate dictis lectionibus seu pietatis collationibus interessentibus, idem SSmus D. N. Pius PP. IX. enixis Oratoris votis inclinatus, clementer indulsit, ut omnes et singuli Christifideles, sodales, cooperatores et milites, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam seu publicum oratorium in quatuor infra annum praecipuis festis ad uniuscujusque libitum eligendis, necnon in festivitate S. Mauritii, militum Patroni, vel in quatuordecim diebus unumquodque ex praefatis quinque festis immediate sequentibus devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis ultimi diei uniuscujusque ex praedictis quindenis, ac semel tantum in qualibet quindena lucrifaciendam consequantur: eisdem vero singulis supraenuntiatis Christifidelibus, qui hujusmodi collationibus tam ad docendum, quam ad discendum corde saltem contrito interfuerint, quoties id egerint, septem annorum indulgentiam est impertitus, unicuique tandem militi alicujus commilitis conversioni pro viribus cooperanti indulgentiam unius anni singulis vicibus acquirendam, dummodo actum contritionis eliciat, benigne concessit. Voluit autem Eadem Sanctitas Sua, has gratias perpetuis futuris temporibus suffragari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Maji 1851.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
J. Gallo, Secret.

373.

1851 12 Maji. Indulgentiae pro recitatione rosarii.

Urbis et Orbis. Ut magis devotio erga Deiparam semper Virginem in fidelium cordibus incrementum suscipiat,

praesertim vero per efficacissimam sanctissimi Rosarii precationem, in qua mysteria quoque nostrae reparationis recoluntur, SSmus D. N. Pius PP. IX. humillimis precibus tum Vicarii Generalis, tum generalis Procuratoris totius Ordinis Patrum Praedicatorum, benigne inclinatus, praevia confirmatione singularum indulgentiarum, quae per gloriosos Praedecessores suos tam sodalibus Confraternitatis sanctissimi Rosarii, quam universis Christifidelibus Rosarium recitantibus fuerant elargitae, ipsis sodalibus ceterisque fidelibus Rosarium recolentibus novas indulgentias clementer impertitus est: indulsit nempe, ut confratres et consorores cujuscumque Sodalitatis sanctissimi Rosarii tam canonice erectae quam in posterum canonice erigendae, qui aliquam ecclesiam in sequentibus festivitatibus: Conceptionis scilicet, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis B. M. V., itemque in duabus tantum Quadragesimae feriis sextis ad uniuscujusque libitum eligendis, necnon in Resurrectionis D. N. J. Ch. Dominica, in Ejusdem Ascensionis festo, ac in Dominica Pentecostes devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, indulgentiam plenariam incipiendam a primis Vesperis usque ad occasum solis duodecim praedictorum dierum consequantur, dummodo iis diebus vere poenitentes confessi, sacraque Communione fuerint refecti. Decem vero annorum totidemque quadragenarum indulgentiam semel in die lucrifaciendam sodalibus aliisque Christifidelibus, qui corde saltem contrito tertiam Rosarii partem devote, sive domi, sive in ecclesiis, seu publicis vel privatis oratoriis conjunctim recitaverint, peramanter est elargitus. Iis tandem fidelibus, qui praefatam tertiam Rosarii partem ter saltem in qualibet hebdomada eodem modo recitare pro more habuerint, indulgentiam plenariam in ultima singulorum mensium Dominica acquirendam, si vere poenitentes, ut supra, confessi ac sacra Synaxi refecti, aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique juxta praememoratum finem per aliquod spatium temporis oraverint, benigne concessit. Voluit autem Eadem Sanctitas Sua, ut omnes et singulae praefatae in-

dulgentiae non modo animabus in purgatorio existentibus applicabiles, sed etiam perpetuis futuris temporibus sint valiturae absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 12 Maji 1851.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

374.

1851 5 Augusti. Societati Propagationis Fidei conceditur indultum.

Urbis et Orbis. Ex Audientia SSmi die 5 Aug. 1851. Cum scopus praeclarae Societatis fidei propagationis ille sit, ut Christifideles utriusque sexus huic coetui adscripti et piis precibus et eleemosynis in id conveniant, ut et Patrem misericordiarum pro dilatatione fidei catholicae exorent, et mediis et sumptibus concurrant iis sustinendis oneribus, quae pro ejusdem fidei dilatatione necessaria omnino sunt, hinc ipsi Christifideles, qui eidem adscribuntur, hoc sibi praecipue assumunt, recitandi nempe quotidie Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum Versiculo „S. Francisce Xaveri, ora pro nobis“, et rite praescriptum obolum hebdomadalem erogandi. Quamvis autem hujusmodi eleemosynae elargitio admodum tenuis facile a Christifidelibus queat sustineri; nonnulli tamen hominum in hac lacrymarum valle ea rerum conditione saepe vexantur, qua exiguam quidem eleemosynam hebdomadalem prae sua inopia conferre prohibentur. Quare SSmus D. N. Pius PP. IX., dum gratias et indulgentias hucusque pio operi Propagationis fidei a suis Praedecessoribus concessas, servato tamen quoad durationis tempus earumdem concessionum tenore, confirmat, memoria recolens se in terris vices gerere divini Reparatoris humani generis, qui hoc in mundo et exemplo paupertatis cultorem se exhibuit, et verbis paupertatem cum virtute conjunctam in honore voluit haberi, hujusmodi vere pauperibus Christifidelibus Ecclesiae thesauros aperuit, ac propterea clementer indulsit, ut, si qui Christifideles ita pauperes sint, ut hebdomadalem obolum omnino nequeant elargiri (quod uniuscujusque conscientiae remittendum esse

mandavit) et rite adscribi possint inter sodales, vel jam adscripti, sed qui in posterum id praestare non possent, tamquam sodales omnino habeantur, ita ut omnibus indulgentiis et gratiis fidei Propagationis sodalibus concessis fruantur, dummodo tamen quidpiam pecuniae, etiam in minima quantitate, juxta uniuscujusque vires et conscientiam, saltem quolibet mense, Societatis Propagationis fidei collectoribus, usquedum in hoc verae paupertatis statu maneant, elargiantur, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Ceterum dum Sanctitas Sua hoc speciali decreto consuluit, ne hujusmodi vere pauperes Christifideles gratiis ac sacrarum indulgentiarum thesauro priventur, expresse etiam mandavit, ut omnes terrarum orbis Christifideles magis magisque in Domino excitentur, praecipue autem ii, quos bonorum omnium largitor Deus fortunis ac reditibus locupletavit, singuli autem pro eorum viribus, ut piae huic Societati nomen dare quamprimum solliciti precibus ac eleemosynis ad finem praeclarum catholicae fidei propagationis concurrant, ac indulgentiis et gratiis a pia Matre Ecclesia copiose concessis perfruantur. Quapropter animarum pastores, et praecipue locorum Ordinarii, fidei ac religionis dilatandae zelo succensi verbis et scriptis subditos sibi fideles ad praeclarum opus sustentandum inflamment, et simul omnes preces, supplicationesque apud Deum Patrem omnipotentem offerre quotidie non cessent, ut cum messis multa sit, mittere dignetur operarios in vineam suam, et opportunis subveniat auxiliis ad onera ingentia ubique terrarum perferenda pro majori catholicae Ecclesiae dilatatione, ut, omnibus tandem hominibus in unitatem fidei occurrentibus, fiat unum ovile et unus pastor. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. **Colombo**, Secret.

375.

1852 15 Martii. Via Crucis.

Beatissime Pater! Abbatissa ven. monasterii S. Annae civitatis Tribur. cum suis Religiosis osculata pedes Sancti-

tatis Vestrae humiliter petit, ut Sanctitas Vestra benigne concedere dignetur facultatem erigendi stationes Viae Crucis in dormitorio Conversarum, quo commodius illae sanctas indulgentias lucrari valeant. Die 15 Martii 1852. SSmus D. N. Pius PP. IX. benigne remisit instantiam Reverendissimo P. Ministro Generali Ordinis Minorum Observ. S. Francisci Assisien. cum facultatibus necessariis et opportunis. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

376.

1852 30 Septembris. Gratia conceditur Sodalitati Pretios. Sanguinis.

Congregationis Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Ch. Ad humillimas preces Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Ch. Sanctissimus D. N. Pius PP. IX. benigne inclinatus clementer indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles cuicumque Sodalitati ejusdem Pretiosissimi Sanguinis adscripti ac in posterum adscribendi participes sint singulis bonis ac satisfactoriis operibus, quae ab alumnis utriusque sexus, omnium et singulorum Ordinum seu Regularium Congregationum peraguntur. Insuper Idem SSmus D. N. ipsis sodalibus vere poenitentibus confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam publicam ecclesiam uniuscujusque arbitrio eligendam in festo B. M. V. sub titulo *Auxilium Christianorum* die 24 Maji incidente vel in ejus octiduo devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, incipiendam a primis Vesperis usque ad totam ejusdem festivitatis octavam, semel tantum spatio praedictorum dierum per unumquemque lucrifaciendam, benigne concessit; facta quoque confessariis uniuscujusque sodalis potestate commutandi in alia pia opera supraenuntiatam ecclesiae visitationem, quatenus justa ac rationabilis causa accedat. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis ex-

peditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 30 Septembris 1852.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archip. Prinzivalli, Substit.

377.

1853 26 Januarii. Facultas declarandi privilegiata altaria.

Beatissime Pater! Episcopus Eporediensis ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus implorat facultatem declarandi privilegiatum quotidianum unum ex altaribus ecclesiarum parochialium et collegiatarum suae dioecesis. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. Episcopo Oratori benigne concessit facultatem declarandi pro unica dumtaxat vice privilegiatum quotidianum ad septennium unum tantum altare in singulis supraenuntiatae ejus dioecesis parochialibus et collegiatis ecclesiis pro Missis, quae iis in altaribus a quocumque sacerdote in suffragium fidelium defunctorum celebrabuntur. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Januarii 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

378.

1853 31 Januarii. Indulg. pro Missionibus et Exercitiis.

Beatissime Pater! Actualis Episcopus Eporediensis ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus implorat indulgentiam plenariam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, pro fidelibus, qui Missionibus et spiritualibus Exercitiis interfuerint in diversis locis suae dioecesis a sacerdotibus, tam saecularibus, quam regularibus peragendis. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, sacris Missionibus vel spiritualibus Exercitiis, semel in anno in singulis supraenuntiatae dioecesis locis de Ordinarii pro tempore licentia peragendis, quinquies saltem interessentibus, plenariam indulgentiam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, pro unica

dumtaxat vice in quolibet anno uno ex ultimis tribus vel sacrarum Missionum vel spiritualium Exercitiorum diebus acquirendam, si eo die vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti, aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium, visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta consuetos fines oraverint, clementer est elargitus. Voluitque Sanctitas Sua, ut in casu Benedictionis postremo praelaudatorum Exercitiorum et Missionum die habendae, eadem Benedictio cum SSmi Crucifixi imagine impertiatur. Praesenti ad septennium valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 31 Januarii 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

379.

1853 18 Martii. Altare privilegiatum in oratorio privato.

Beatissime Pater! Didacus Echeverria ejusque conjux Rita Larrain, Sancti Jacobi de Chile, cum modo vigore Apostolici Brevis indultum oratorii privati obtinuerint pro eorum habitationibus in illa civitate et dioecesi existentibus, S. V. rogant humillime, ut ex speciali gratia altare ipsius oratorii tribus in qualibet hebdomada vicibus privilegiatum pro defunctis declarare benigne dignetur. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. benigne declaravit privilegiatum pro tribus cujuslibet hebdomadae feriis, ab Ordinario semel tantum designandis, altare supraenuntiati oratorii privati, tam civitatis, quam ruris, pro Missis, quae in eodem altari a quocumque sacerdote in suffragium defunctorum oratoris familiae fidelium celebrabuntur. Praesenti, durante praefato actuali oratorii privati indulto, valituro absque ulla Brevis expeditione, non obstantibus quibuscumque aliis in contrarium facientibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 18 Martii 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

380.

1853 9 Maji. Indulg. pro visit. orat. privati.

Beatissime Pater! Carolus Cavanagh cum indulto privati oratorii in suo praedio S. Joannis nuncupato prope pagum vulgo Black Rock, Dublinensis Archidioecesis, canonice perfruatur, ibique saepius presbyteri catholici sacrosanctum Missae sacrificium celebraturi necnon et laici Missam audituri aliaque pia opera peracturi conveniant, ad singulorum devotionem augendam supplicat humiliter S. V., ut plenariam indulgentiam ter in anno sibi suisque necnon iis omnibus, qui dictum oratorium confessi ac sacra Communione refecti devote visitaverint, benigne elargiri dignetur. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. benigne remisit preces prudenti arbitrio Ordinarii ad effectum impertiendi plenariam indulgentiam ter in anno, tribus videlicet cujuslibet anni diebus, ab Eo pro unica dumtaxat vice designandis, incipiendam a primis Vesperis usque ad ipsorum dierum solis occasum, perpetuis futuris temporibus acquirendam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, supraenuntiatum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Maji 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

381.

1853 13 Junii. Novae gratiae Archiconfraternitati SS. Sacramenti conceduntur.

Urbis. Ad humillimas preces Procuratoris Generalis ac Pro-Vicarii Ordinis Praedicatorum SSmus D. N. Pius PP. IX. inclinatus omnibus confratribus et consororibus Archiconfraternitatis Sanctissimi Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice erectae, revocando indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum interessentibus processioni in Dominica tertia cujuslibet mensis, et in feria

quinta in Coena Domini peragendae elargitam, benigne concessit indulgentiam plenariam, dummodo iisdem diebus non modo sacram supplicationem comitati fuerint, verum etiam vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; ac similiter revocata indulgentia centum dierum iisdem sodalibus pro visitatione sanctissimi Sacramenti, ubi asservatur in feria quinta majoris hebdomadae concessa, clementer elargitus est indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel tantum ea die lucrifaciendam, si corde saltem contrito ac devote ipsum sanctissimum Sacramentum visitaverint, ac pariter ut supra oraverint. Et tandem Eadem Sanctitas Sua indulgentiam septem annorum septemque quadragenarum pari benignitate praedictis sodalibus est impertita unica dumtaxat vice singulis anni diebus acquirendam, si corde saltem contrito in aliqua ecclesia, seu publico oratorio vespertinis horis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum visitaverint, et juxta enuntiatos fines oraverint; facta quoque potestate easdem indulgentias animabus fidelium defunctorum applicandi, ipsasque ceteris Sodalitatibus praefatae Archiconfraternitati aggregatis, ac in posterum aggregandis communicandi. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 13 Junii 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

382.

1853 11 Julii. Indulgentia pro novendiali devotione in suffragium defunctorum.

Beatissime Pater! Joannes Freschard sacerdos et parochus ecclesiae S. Hilarii in dioecesi Virdunensi ad S. V. pedes provolutus devote exponit, quod ex statutis piae Confraternitatis Agonizantium sub patrocinio S. Francisci Xaverii in sua ecclesia erectae, et a Gregorio XVI. PP. approbatae novendiales precum et Missarum devotiones publice

fiunt pro anima cujuscumque defuncti, qui, dum viveret, quasdam conditiones hujusce Confraternitatis statutis expressas adimplevit. Ut autem magis ac magis crescat, tum erga S. Franciscum Xaverium tum erga defunctorum animas pia fidelium observantia, humiliter exposcit indulgentiam plenariam defunctis applicabilem lucrandam ab omnibus et singulis Christifidelibus sive piae huic Confraternitati nomen dederint, sive non, qui publicae novendialis devotionis exercitiis interfuerint, vel qui interesse legitimis de causis impediti quaedam privatim unoquoque novennae die ad eumdem finem pietatis adimpleverint opera, dummodo Poenitentiae et sacrosanctae Eucharistiae Sacramenta suscipiant, et juxta Summi Pontificis intentionem preces ad Deum ex more fuderint. Quod Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti praefatam parochialem ecclesiam durante unoquoque, de quibus in precibus, novendiali devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, semel in spatio cujuslibet novendialis lucrifaciendam benigne concessit, dummodo tamen quinquies unicuique ex dictis novendialibus jam interfuerint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 11 Julii 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

383.

1853 8 Augusti. Indulg. pro 7 Dominicis in hon. S. Camilli de Lellis.

Urbis et Orbis. Ut erga Sanctum Camillum de Lellis magis ac magis in fidelium cordibus augeatur devotio, P. Philippus Develaschi, Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium Pro-Praefectus, enixis precibus rogabat SSmum D. N. Pium PP. IX., ut pro pio exercitio septem Dominicarum in honorem ejusdem Sancti iterum excitato nonnullas indulgentias de thesauro Ecclesiae elargiri dignaretur. Ora-

toris precibus clementissime susceptis idem SSmus D. N. benigne indulsit, ut omnes utriusque sexus Christifideles quocumque anni tempore per septem consecutivas Dominicas vel publice vel privatim aliquas pias preces in Sancti Camilli honorem fundentes, dummodo sint corde saltem contrito, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum semel in unaquaque ex septem Dominicis lucrari possint et valeant; iis vero Christifidelibus, qui in septima Dominica praeter pias preces ut supra recitandas, etiam vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, plenariam dumtaxat indulgentiam peramanter est impertitus, cum facultate quoque tam partialem, quam plenariam indulgentiam fidelium defunctorum animabus applicandi. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

384.

1853 8 Augusti. Indulg. pro novendiali devotione ante festum S. Bernardi.

Ordinis Cisterciensium. Ad humillimas preces Reverendissimi D. Theobaldi Cesari, Abbatis monasterii S. Bernardi de Urbe ac totius Ordinis Cisterciensium Generalis Procuratoris SSmus D. N. Pius PP. IX. benigne inclinatus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus sacro novendiali festum S. Bernardi, Abbatis et Ecclesiae Doctoris, immediate praecedenti in quacumque ipsius Ordinis Cisterciensium ecclesia peragendo interessentibus, quo die corde saltem contrito ac devote interfuerint, indulgentiam tercentum dierum peramanter est elargitus. Iis vero Christifidelibus, qui praefato novendiali quinquies jam interfuerint, indulgentiam plenariam semel tantum acquirendam vel in ipso novendiali, vel in festo et octiduo ejusdem Sancti, si ea die vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et

aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, clementer est impertitus; facta quoque potestate tam plenariam, quam partialem indulgentiam animabus in purgatorio detentis applicandi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 8 Augusti 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

385.

1853 19 Decembris. Indulg. plen. pro Monialibus die vestitionis et professionis.

Beatissime Pater! Mater de Meillac, Moderatrix Conventus Monialium Notre Dame Burdigalae implorat, ut in suo Conventu diebus, in quibus sumitur habitus, et professio emittitur a Monialibus, indulgentiam plenariam lucrari possint omnes Moniales, dummodo confessae et sacra Synaxi refectae oraverint juxta mentem Sanctitatis Vestrae. Quod Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX., dummodo Institutum, de quo in precibus, a S. Sede sit saltem laudatum, omnibus supraenuntiati asceterii Religiosis plenariam indulgentiam die vestitionis et professionis, ab Ea tantum, quae habitum assumit, et professionem emittit, acquirendam, si ea die vere poenitens, confessa, sacraque Communione refecta, ejusmodi asceterii ecclesiam, seu oratorium, visitaverit, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverit, clementer est elargitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 19 Decembris 1853.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

386.

1854 13 Februarii. Communicatio privilegiorum.

Ordinis Cisterciensis in Belgio. Duplici Constitutione diei 20 Junii et 6 Septembris 1591 s. m. Gregorius XIV.

Congregationi Cisterciensi Hispaniae, necnon Congregationi Cisterciensi S. Bernardi in Italia benigne communicavit singula privilegia, quibus aliae ejusdem Ordinis Congregationes fruebantur. Cum vero exortum dubium sit, *an Cistercienses Belgii praefatorum privilegiorum participes sint effecti,* D. Robertus Van Ommeren, Superior Abbatiae S. Bernardi, Ordinis Cisterciensium in Belgio, SSmum D. N. Pium PP. IX. enixe rogavit, ut de Apostolica benignitate, ablato dubio, eamdem privilegiorum communicationem Cisterciensibus in Belgio elargiretur; cujus precibus Sanctitas Sua clementer susceptis, benigne annuit in omnibus pro gratia juxta preces. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 13 Februarii 1854.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

387.

1854 13 Martii. Via Crucis in oratorio privato.

Beatissime Pater! Josephina Ercolani, Senensis, humiliter exponit, se habitare in domo, in cujus inferiori contignatione Domina Isabella Moschini canonice erectam habet Viam Crucis; et propterea supplicat Beatitudini Tuae, ut concedere dignetur ipsi facultatem, qua possit et ipsa et tres personae sibi inservientes visitare dictam Viam Crucis ejusque sacras indulgentias lucrari. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi die 13 Martii 1854. SSmus D. N. Pius PP. IX. benigne annuit pro gratia in omnibus juxta preces; accedente tamen consensu Patronae oratorii seu cubiculi, in quo erectae reperiuntur stationes; et usque dum oratrix sub eodem tecto commorabitur. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

388.

1854 5 Maji. Indulg. pro visit. sacelli.

Beatissime Pater! Comitissa Sobolewska, Polona, cum in suo fundo, seu *feudo de Mlovhow* intra fines paroeciae

vulgo de *Tarezyn*, Archidioecesis Varsaviensis, existente sacellum habeat cum porta externa ad religionis acta exercenda aptum, ac propterea catholicis indigenis valde utile, attenta distantia dictae paroeciae, atque itineris asperitate, supplicat humiliter, ut Sanctitas Vestra dignetur concedere plenariam indulgentiam pro vivis et defunctis perpetuo lucrandam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in quinque primariis intra annum festis B. M. V., et in sex etiam primariis festis D. N. J. Ch., et in festo respectivi sancti Titularis sacra Communione refecti dictum sacellum visitaverint, pro felici statu S. Romanae Ecclesiae, et Sanctitatis Vestrae orantes. Quam gratiam etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. omnibus utriusque sexus Christifidelibus plenariam indulgentiam, fidelibus quoque defunctis applicabilem, in qualibet ex praecipuis, ut infra, D. N. J. Ch. solemnitatibus, Nativitatis nempe, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschatis Resurrectionis, Ascensionis, et SSmi Corporis Christi, necnon in Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. solemnitatibus, ac insuper in Titulari publici, de quo in precibus, sacelli festivitate, incipiendam a primis Vesperis usque ad ejusmodi dierum solis occasum, si vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti, dictum publicum sacellum visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, clementer est elargitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 5 Maji 1854.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

389.

1854 8 Maji. Novae gratiae pro Societate, quae curam gerit militum.

Galliarum. Ex Audientia SSmi die 8 Maji 1854. Cum ex decreto diei 12 Maji 1851 SSmus D. N. Pius PP. IX. per hanc Sacram Congregationem cuidam piae Societati Lutetiae Parisiorum ab anno 1848 inchoatae, quae gallice *l'oeuvre pie des soldats* dicta est, nonnullas indulgentias de

Apostolica sua benignitate sit elargitus tam ecclesiasticis nempe et saecularibus milites ab ignorantia catholicae religionis avertentibus, quam singulis militibus pro eorum facultate salutaribus lectionibus seu pietatis lectionibus interessentibus, novis nunc Eidem SSmo D. N. datis precibus a R. P. D. Ludovico Gastone de Segur, S. R. Rotae Auditore, ut pro militibus saltem ipsas indulgentias dignaretur extendere, ita ut eas valeant lucrari non modo in exsequendis injunctis operibus, prout in citato decreto sancitum est, verum etiam pro quocumque religionis opere ab ipsis militibus peragendo; hinc Sanctitas Sua, cum praefatas preces clementissime excepisset, indulsit, ut ipsi milites, qui pro eorum facultate vel enuntiatis lectionibus seu pietatis collationibus interfuerint, vel quodcumque religionis opus peregerint, singulas plenarias indulgentias in praememorato decreto enuntiatas cum iisdem appositis conditionibus lucrari possint et valeant; ac pariter sive ad discendum corde saltem contrito interfuerint, sive quodcumque aliud religionis opus ab ipsis peractum sit, indulgentiam septem annorum in ipso decreto jam elargitam consequantur; firma remanente indulgentia unius anni unicuique militi data alicujus commilitis conversioni pro viribus cooperanti. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

390.

1854 28 Julii. Translatio indulg. ex ecclesia in sacellum.

Beatissime Pater! Superiorissa et Religiosae Perpetuae Adorationis SS. Sacramenti ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutae humillime supplicant, ut, dum ecclesiae suae restaurationes conficiuntur, ipsae omnes indulgentias, quibus ibi gaudebant, adimplendo eadem opera injuncta, in interiori oratorio monasterii lucrari possint. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX., attentis expositis benigne transtulit singulas indulgentias et privilegia oratricum ecclesiae concessas ad eorum internum sacellum,

dummodo singulas injunctas conditiones adimpleant. Praesenti durantibus circumstantiis expositis valituro, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 28 Julii 1854.

D. Card. **Savelli**, Pro-Praef.
A. Colombo, Secret.

391.

1854 18 Augusti. Indulg. pro missionibus et exercitiis spiritualibus.

Beatissime Pater! Variis in dioecesibus Galliae dantur a sacerdotibus Societatis Mariae Lugdunensis sacra missionum seu secessuum exercitia spiritualia, quibus expletis, persaepe ab incolis magno cum concursu et solemnitate erigitur crux, quae non parum inservit ad fidelium pietatem servandam et fovendam ideoque ad missionis memoriam et fructus conservandos. Quare Julianus Favre, presbyter et Praeses generalis supradictae Societatis Mariae, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter supplicat, ut dignetur potestatem facere sacerdotibus ejusdem Societatis benedicendi crucem, quae, post sacra missionum exercitia, solemniter in loco publico erigitur, et illi applicandi indulgentiam centum dierum, ab omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus lucrandam, toties quoties ante illam semel recitaverint *Pater, Ave Maria,* et *Gloria Patri etc.* Quam Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. omnibus utriusque sexus Christifidelibus, quinquies saltem interessentibus sacris missionibus, seu spiritualibus exercitiis, infra triennium, ab hac die decurrendum, ab oratore, supraenuntiatae Societatis Praeside, necnon a tribus aliis ipsius Societatis sacerdotibus, ab eodem semel tantum designandis, prout in precibus, praevia tamen respectivi Ordinarii licentia, peragendis, plenariam indulgentiam, acquirendam uno ex ultimis tribus ipsorum spiritualium exercitiorum seu sacrarum missionum diebus, vel infra triginta dies, postremum eorumdem spiritualium exercitiorum, seu sacrarum missionum diem immediate sequentes, si eo die vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint ibique per aliquod temporis spatium

juxta consuetos fines oraverint, benigne concessit. Praeterea indulsit, ut ipse orator, ac dicti tres alii sacerdotes, post peracta praelaudata exercitia ac missiones, praevia pariter respectivi Ordinarii licentia, cruces erigere, eisdemque benedicere, et applicare quinquaginta dierum indulgentiam, ab ipsis Christifidelibus pro unica dumtaxat vice singulis perpetuis futuris diebus lucrifaciendam, si ante aliquam ex iis crucibus ter *Pater*, *Ave* et *Gloria* in trium horarum agoniae D. N. J. Ch. memoriam corde saltem contrito et devote recitaverint. Voluitque Sanctitas Sua, ut in casu Benedictionis, postremo praefatorum exercitiorum spiritualium et sacrarum missionum die habendae eadem benedictio cum SSmi Crucifixi imagine impertiatur. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 18 Augusti 1854.

D. Card. **Savelli**, Pro-Praef.
A. Colombo, Secret.

392.

1854 20 Novembris. De actu heroico charitatis.

Urbis et Orbis. Ex Audientia SSmi die 20 Novembris 1854. Cum sancta sit ac salubris pro defunctis exorandi cogitatio, ut ab eorum solvantur peccatis, ad excitandos erga eos militantis Ecclesiae fideles Romanorum Pontificum Apostolica sollicitudo numquam defuit in elargiendis de ipsius Ecclesiae thesauro pene innumeris indulgentiis, animabus praesertim in purgatorio detentis applicabilibus, tam in quarumdam orationum recitatione, quam in nonnullis piis operibus peragendis, ut citius e piacularibus flammis solutae, ad supernorum civium societatem evolarent. Ut maximum autem eisdem animabus procuraretur solatium, sedente Benedicto XIII. fel. rec. pia quaedam devotio, quam Votum seu Oblationem appellant, a P. D. Gasparo Oliden ex Clericorum Regularium Theatinorum familia fuit instituta, aut saltem per catholicum Orbem propagata, per quam Christifideles ipsam amplectentes omnia propria meritoria opera, dum in terris morantur, ac singula eorum suffragia.

cum ex hac vita decesserint, defunctis fidelibus singulari pietate offerunt, atque in eorum cedunt utilitatem, idemque praelaudatus Pontifex Benedictus XIII. omnibus hanc Oblationem emittentibus peculiares elargitus est indulgentias, quas rursus postulante eorumdem Theatinorum Praeposito Generali die 12 Decembris 1788 Summus Pontifex Pius VI. sua auctoritate confirmavit; et in Audientia 30 Septembris 1852 SSmus D. N. Pius PP. IX. instantibus nonnullis ecclesiasticis viris non modo eas iterum confirmavit, verum etiam voluit eas, ut infra, declarare: 1. Quod sacerdotes ipsam Oblationem profitentes indulto altaris privilegiati personalis gaudere possint singulis anni diebus. 2. Quod omnes Christifideles, qui idem Votum seu Oblationem emittunt, indulgentiam plenariam fidelibus tantum defunctis applicabilem lucrari queant quocumque die ad sacram Communionem accesserint, et qualibet anni feria secunda sacrum Missae Sacrificium in suffragium eorumdem defunctorum fidelium audierint, dummodo in utroque casu aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint. 3. Quod ipsis Christifidelibus omnes et singulas indulgentias quocumque modo concessas, vel in posterum concedendas, quas lucrari possunt, animabus pariter defunctorum applicare liceat. 4. Quod, ut magis ac magis animabus piacularibus flammis addictis perenne tribuatur auxilium, ad universi Orbis Christifideles dictam Oblationem exsolventes, quatenus opus sit, hoc indultum extensum habeatur. Praeterea eadem Sanctitas Sua prae oculis habens tum adolescentes nondum ad sacram Communionem accedentes, tum vero infirmos, senes, villicos, in carceribus detentos, ceterosque fideles, qui aut ad sacram Synaxim accedere, aut in feria secunda sacrum Missae Sacrificium audire nequeunt, in Audientia 20 Novembris labentis anni clementer indulsit, ut omnibus et singulis Christifidelibus, qui legitimo impedimento nequeunt Sacrum audire feria secunda, pro acquisitione supraenuntiatae indulgentiae in qualibet secunda feria, ut supra, concessae, suffragetur Missa, quam die Dominico ex praecepto audire tenentur; pro omnibus et singulis vero fidelibus, qui aut

nondum sacrae Eucharistiae sumendae capaces, aut legitima alia ratione hoc Sacramentum sumere nequeunt, benigne remisit facultatem arbitrio respectivi pro tempore Ordinarii locorum subdelegandi confessarios ex approbatis pro opportuna Communionis in alia pia opera commutatione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

393.

1854 20 Novembris. Communicatio indulgentiarum.

Beatissime Pater! Pia Unio Immaculatae Conceptionis B. M. V. erecta in altari privilegiato eidem B. M. V. dedicato in venerabili ecclesia S. Mariae in Ara Coeli, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluta humiliter exponit, quod in pagella aggregationis invenitur, quod s. m. Pius VII., quo magis corda fidelium ad devotionem et obsequium erga immaculatam B. M. V. animaret, per singulare privilegium omnibus dictae Unioni adscriptis easdem indulgentias concessit, quibus gaudent quicumque sumpserunt habitum parvum immaculatae Conceptionis a RR. PP. Theatinis. Praeterea omnes utriusque sexus adscripti, qui interveniunt recitationi SS. Rosarii in dicta ecclesia, recitando sex Pater et Ave in honorem SS. Sacramenti lucrantur indulgentias concessas iis, qui septem ecclesias Urbis et Jerosolymorum visitant. Quia vero, diligenti inquisitione in archivo dictae Piae Unionis instituta, harum concessionum documenta inveniri minime poterant, ipsa a Sanctitate Vestra implorat gratiam, ut easdem aut confirmare, aut, si opus fuerit, de novo concedere dignetur. Pro qua gratia etc. — Ex Audientia SSmi die 20 Novembris 1854. SSmus D. N. Pius PP. IX. attentis expositis supraenuntiatae Piae Unioni sub titulo Immaculatae Conceptionis in ecclesia S. Mariae in Ara Coeli canonice erectae benigne communicavit singulas indulgentias, quibus gaudet Primaria Sodalitas sacri Scapularis SSmae

Conceptionis apud Congregationem seu Ordinem PP. Theatinorum de Urbe canonice existens, prout in Summario ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum die 12 Julii 1845 authentice recognito, servatis tamen singulis appositis conditionibus, et non obstante Constitutione Clementis PP. VIII. s. m. diei 7 Decembris 1604, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica*. Voluit autem Sanctitas Sua, ut si hujusmodi Pia Unio extra Urbem quoque sit erigenda, praefata indulgentiarum communicatio extendatur et valeat pro iis tantum locis, in quibus praememorata Congregatio seu Ordo Theatinorum haud existit. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. — Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

394.

1854 27 Novembris. Confraternitati conceduntur indulg. consuetae.

Beatissime Pater! Parochus ecclesiae B. M. V. dictae Jer-Voordt, in dioecesi Mechliniensi, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humiliter supplicat, ut Confraternitati animarum fidelium defunctorum canonice erigendae in sua ecclesia ab Ordinario, concedantur indulgentiae tam plenariae quam partiales, quae ejusmodi Confraternitatibus concedi solent. Et Deus etc. — Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Pius PP. IX. omnibus sodalibus piae Confraternitatis sub Invocatione Animarum Purgatorii, in supraenuntiata ecclesia canonice erigendae, indulgentias, ut infra, fidelibus quoque defunctis applicabiles, benigne concessit: plenariam nempe die prima eorum receptionis in eamdem piam Confraternitatem, si ea die vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti, dictam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint; et similiter plenariam die, qua in eadem ecclesia festum principale praelaudatae Confraternitatis de Ordinarii pro tempore licentia celebrabitur, incipiendam a primis Vesperis usque ad solis occasum illius diei; et septem annorum, totidemque Quadragenarum indulgentiam quatuor

aliis infra annum festis diebus, per actualem Ordinarium semel tantum designandis, si, ut supra, confessi, ac sacra Communione refecti fuerint, visitaverint et oraverint; et pariter plenariam, in mortis articulo acquirendam, dummodo rite fuerint dispositi, vel saltem SSmum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, ac tandem sexaginta dierum indulgentiam pro quolibet pio opere, quod corde saltem contrito et devote peregerint. Praeterea indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae pro quibusvis ipsius piae Confraternitatis sodalibus defunctis ad quodlibet praefatae ecclesiae altare celebrabuntur, eodem gaudeant privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione, servatis tamen servandis, juxta Constitutionem s. m. Clementis PP. VIII. sub datum Romae apud S. Petrum die 7 Decembris 1604, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica.* Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 27 Novembris 1854.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

395.

1858 31 Julii. Indulg. pro oratione post div. Officium recitanda.

Ordinis Cisterciensium. SSmus D. N. Pius PP. IX. clementer indulsit, ut omnes Cisterciensis Ordinis Religiosi pro Oratione *Pietate Tua*, quae absoluta divini Officii recitatione de more ab ipsis recitatur, omnes et singulas indulgentias tantum a s. m. Leone PP. XII. sub die 9 Julii 1828 elargitas lucrari possint et valeant, quamvis praedicta oratio, quae in Breviario ejusdem Ordinis recensetur, aliquantulum differat ab ea, quae ab eodem Leone XII. indulgentiis ditata fuerat, dummodo tamen injunctas conditiones adimpleant; facta insuper potestate easdem indulgentias animabus in purgatorio detentis applicandi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae

ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 31 Julii 1858.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli**, Substit.

396.

1859 24 Januarii. Declaratio quoad Missam pro defunctis sodalibus.

Congregationis Sanctissimi Redemptoris. Exstat in ecclesia Congregationis Sanctissimi Redemptoris vulgo *S. Mariae in Monterone* de Urbe quaedam pia Sodalitas ad solatium animabus in purgatorio detentis porrigendum, canonice erecta, quae a s. m. Gregorio PP. XVI. per Litteras Apostolicas in forma Brevis diei 19 Januarii et 4 Maji 1841 indulgentiis et privilegiis donata, ac die 8 Junii ejusdem anni Archisodalitatis titulo decorata fuit. Cum vero in enuntiatis Brevibus quoad privilegium altaris pro defunctis adscriptis requirebatur Missa de *Requie*, et quoad partiales indulgentias injungebatur Sacramentorum susceptio; hinc Procurator Generālis praefatae Congregationis enixis precibus exoravit SSmum D. N. Pium PP. IX., ut de Apostolica benignitate dignaretur commutare celebrationem Missae defunctorum iis praecipue diebus a rubricis impeditis, ita ut Missa eodem modo suffragetur, quamvis sub ritu duplici sit celebranda; necnon dispensare sodales a Sacramentorum susceptione pro acquirendis partialibus indulgentiis in praefatis Brevibus enuntiatis. Quamobrem facta per me infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium eidem Sanctissimo de omnibus relatione, Sanctitas Sua circa altaris privilegium mandavit servari decretum Sacrae Congregationis diei 2 Julii 1689, confirmatum a s. m. Clemente XIV. die 7 Martii 1771, in quo declaratum est, per celebrationem Missarum Sanctorum ritus duplicis revera satisfieri ac suffragari pro Missis privilegiato altari addictis pro Dominicis aliisque diebus, in quibus defunctorum Missas celebrare vetitum est; quoad vero praefatas indulgentias partiales in allatis Brevibus jam elargitas, clementer indulsit, ut sodales, ceteris adimpletis conditionibus injunctis, loco Sacramentorum susceptionis, corde sint saltem contrito. Praesenti

in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 24 Januarii 1859.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

397.

1859 24 Januarii. **Indulgentiae Congreg. Tertii Ordinis, quae separata fuit ab Ordine Min. de Observ.**

Fodian. In Fodiana civitate Congregatio Tertii Ordinis S. Francisci sub gubernio ac directione PP. Minorum de Observantia existebat in propria ecclesia, quae exstat apud ecclesiam praedictorum Patrum Observantium. Cum vero nuper ab Ordinario eadem Congregatio a Patribus de Observantia fuerit separata, eique ab ipso Ordinario Rector de saeculari clero fuerit constitutus, dubium exinde huic Sacrae Congregationi Indulgentiarum propositum fuit, *an ob allatam separationem Congregationis Tertii Ordinis S. Francisci canonica erectio adhuc vigeat, et indulgentiae, quibus antea fruebatur, adhuc perseverent?* Eodemque tempore ipsa Tertii Ordinis Congregatio SSmum D. N. Pium PP. IX. humillimis precibus rogavit, ut in casu negativo providere dignaretur. Audita itaque prius Ordinarii informatione, ex qua eruitur absoluta necessitas praefatae separationis rationabilibus ex causis, ac facta de omnibus Eidem Sanctissimo relatione per me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretarium, Sanctitas Sua benigne commisit Ordinario, ut, quatenus opus sit, iterum canonice erigat praedictam Tertii Ordinis Congregationem ad effectum, ut ipsi confratres omnes et singulas indulgentias, quibus antea fruebantur, omnibus injunctis operibus adimpletis, lucrari possint et valeant; facta quoque Rectori pro tempore, ab Ordinario eligendo, potestate Christifideles in sodales recipiendi, scapularia seu chordulas pro ipsis benedicendi; servata tamen in reliquis Constitutione Clementis VIII., quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica* diei 7 Decembris 1604. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus

in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 24 Januarii 1859.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

398.

1860 26 Martii. Nova indulta Archiconfrat. pro solandis animabus purgatorii, quae existit Romae in ecclesia B. M. V. in Monterone.

Urbis et Orbis. Exstat in ecclesia S. Mariae vulgo *in Monterone* de Urbe Congregationis Sanctissimi Redemptoris quaedam pia Archisodalitas pro solandis animabus in purgatorio detentis, quae a s. m. Gregorio PP. XVI. pluribus est indulgentiis ac privilegiis ditata, inter quae illud praesertim, quod Missae, quae a quocumque sacerdote sive saeculari sive regulari in suffragium defunctorum sodalium in altari praedictae Archisodalitatis celebrabuntur, eodem gaudeant privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent; quod quidem privilegium ex speciali gratia, a SSmo D. N. PP. Pio IX. extensum fuit ad omnes Sodalitates ejusdem tituli eidem Archiconfraternitati jam aggregatas ac in posterum aggregandas. Cum vero ejusdem Archisodalitatis finis sit non modo animas sodalium tantum defunctorum juvandi, sed omnium defunctorum fidelium animas a purgatorii poenis liberandi, hinc enixis precibus R. P. Brixius Queloz, praememoratae Congregationis Sanctissimi Redemptoris Procurator Generalis, ejusdemque Archisodalitatis Generalis Moderator eumdem SSmum D. N. humillime rogabat, ut de Apostolica benignitate idem privilegium ad omnia et singula altaria ecclesiae tam Archisodalitatis quam cujuscumque Sodalitatis sub eodem titulo dictae Archisodalitati aggregatae, ac in posterum aggregandae, pro anima cujusvis defuncti, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, dignaretur extendere. Cum itaque Sanctitas Sua vota Oratoris clementissime excepisset, benigne annuit in omnibus pro gratia juxta preces. Insuper cum idem Archisodalitatis Moderator exposuisset, quod praelaudatus Pontifex Gregorius XVI. fel. rec. in concedendis praememo-

ratae Archisodalitati pluribus indulgentiis suo Brevi diei 12 Februarii 1841 eam injunxisset conditionem, ut sodales extra Urbem moram trahentes aliquam respective ecclesiam, in qua Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, visitarent; atque ex hac adjecta conditione plures Christifideles adscripti, qui vel ruri aut in iis locis morantur, ubi vix ecclesia, seu publicum sacellum existit, in quo sanctissimum Sacramentum asservetur, indulgentiarum acquisitione frustrantur, eadem Sanctitas Sua clementer indulsit, ut omnes et singuli Christifideles praefatae Archisodalitati adscripti vel aggregati eas omnes et singulas indulgentias Archisodalitati concessas lucrari possint et valeant visitantes ecclesiam seu publicum oratorium, etiamsi in eis non inveniatur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatum, dummodo tamen ceteras alias conditiones fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Martii 1860.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. **Colombo**, Secret.

399.

1860 26 Martii. De confraternitatibus ante Concordatum anni 1801 erectis.

Gandaven. SSmus D. N. Pius PP. IX., attentis expositis clementer indulsit, ut licet nulla nova canonica erectio facta fuerit Sodalitatum existentium iis in locis solummodo dioecesis Gandavensis, in quibus Concordatum anni 1801 extendebatur, quaeque ibidem ante illum canonice reperiebantur erectae, et quae ratione tantum ejusdem privilegia et indulgentias amiserant, si nunc de facto ceteroquin juxta singularum regulas existunt, gaudeant omnibus iisdem privilegiis et indulgentiis, quibus antea potiebantur, et quae forsan postea usque nunc obtinuerunt, sine nova canonica singularum erectione, ita ut habeantur tamquam canonice noviter erectae, et sodales pari modo usque in praesens rite ut supra adscripti habeantur tamquam valide adscripti, non obstante decreto diei 22 Februarii 1847 et de-

cisione diei 14 Decembris 1857, et dummodo ab unaquaque ex praefatis Sodalitatibus servetur Constitutio s. m. Clementis PP. VIII., quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica.* Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus aliis in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Martii 1860.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. **Colombo**, Secret.

400.

1860 13 Maji. Preces Societatis Propagationis Fidei quocumque idiomate recitari possunt.

Urbis et Orbis. Cum in decreto Urbis et Orbis privilegiorum et indulgentiarum pro pia Societate Propagationis Fidei diei 17 Octobris 1847 legantur haec verba: *quique unum insuper* Pater *et* Ave *cum hac invocatione:* Sancte Francisce Xaveri ora pro nobis, *quolibet idiomate recitaverint,* Sanctitas Sua in Audientia habita ab infrascripto Assessore Sacrae Congregationis die 13 Maji 1860, attentis Eidem Sanctitati Suae expositis benigne annuit, ut verba praedicta, prout jacent, intelligantur, et quatenus opus sit, concessit, ut tum unum *Pater* et *Ave,* tum invocatio: *S. Francisce Xaveri, ora pro nobis* quocumque idiomate recitari possint ad effectum, de quo agitur. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 13 Maji anno 1860.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
Philippus Can. **Cossa**, Assessor.

401.

1861 23 Augusti. Conceduntur indulgentiae.

Urbis. Monialium Perpetuae Adorationis Sanctissimi Sacramenti. Fidelium religio ut in Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, in quo Christus Dominus divitias sui erga nos amoris velut effudit, jugiter augeatur, instantibus Superiorissa ac Monialibus Perpetuae Adorationis ejusdem Venerabilis Sacramenti, Eminentissimus Cardinalis Urbis Vicarius sua ordinaria auctoritate piam quamdam utriusque sexus Christifidelium Unionem canonice in earum ecclesia

S. Mariae Magdalenae ad montem Quirinalem erexit per decretum diei 23 Augusti 1858 cum facultate aggregandi fideles Romae et ejus suburbano tantum suae jurisdictioni subjecto. Nunc vero eadem Superiorissa eaedemque Moniales SSmum D. N. Pium PP. IX. enixis precibus rogarunt, ut de Ecclesiae thesauro praefatae piae Unionis sodales indulgentiis ditare dignaretur. Itaque referente me infrascripto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substituto in Audientia habita die 23 Augusti 1861 SSmus D. N. omnibus utriusque sexus Christifidelibus eidem piae Unioni adscriptis ac in posterum adscribendis non modo communicavit singulas indulgentias, quibus gaudent praememoratae Moniales, servatis tamen omnibus et singulis conditionibus injunctis, ut in earum indulgentiarum Summario a Sacra Congregatione recognito et approbato sub die 1 Martii 1853, exceptis tantum articulis sexto, decimosecundo, decimoquarto, decimoquinto, decimosexto, decimoseptimo, decimooctavo, decimonono, vigesimotertio, vigesimoseptimo et trigesimo, verum etiam indulgentiam plenariam clementer est elargitus in die receptionis in eamdem piam Unionem, dummodo ea die vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti, aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint; ac insuper plenariam indulgentiam in mortis articulo acquirendam, si rite dispositi fuerint, et Sanctissimum Jesu Nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, peramanter impertitus est; facta eis quoque potestate omnes et singulas indulgentias ut supra elargitas animabus etiam in purgatorio detentis applicandi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus Constitutione s. m. Clementis VIII., quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica etc.,* ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1861.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

402.

1861 23 Augusti. **Nova privilegia conceduntur Archiconfraternitati ad levamen animarum purgatorii, quae existit Romae in ecclesia B. M. V. in Monterone.**

Urbis. Congregationis Sanctissimi Redemptoris. In Congregationis Sanctissimi Redemptoris ecclesia vulgo *S. Maria in Monterone* de Urbe pluribus abhinc annis exstat quaedam pia Unio ad levamen animarum in purgatorio existentium canonice erecta, ac multis jam indulgentiis et privilegiis ditata, quae ex speciali indulto s. m. Gregorii PP. XVI. aliis quoque ejusdem tituli Unionibus canonice pariter erectis easdem indulgentias eademque privilegia communicat tamquam Primaria, quae Archisodalitatis titulo jam est insignita. Nunc vero, ut fidelium pietas erga defunctorum animas piacularibus flammis addictas magis ac magis incrementum suscipiat, ex parte Procuratoris Generalis praefatae Congregationis, qui generalis Moderatoris praedictae piae Unionis munere fungitur, novae et humillimae delatae sunt preces SSmo D. N. Pio PP. IX., ut nonnulla alia privilegia eidem piae Unioni de Apostolica benignitate indulgere dignaretur. Facta itaque per me infrascriptum Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiarum Substitutum Eidem SSmo D. N. de omnibus relatione in Audientia diei 23 Augusti 1861, Sanctitas Sua clementer indulsit, ut ipsi generali Moderatori praememoratae piae Unioni de Urbe aggregare liceat cum indulgentiarum privilegiorumque communicatione alias ejusdem tituli Uniones locorum etiam, in quibus alia jam existit ipsius tituli Unio, quatenus eas erigere loci Ordinarius opportunum judicaverit, non obstante distantiae defectu, sed servata in reliquis Constitutione s. m. Clementis VIII., quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica.* Item generali Moderatori facultatem elargitus est sacerdotes subdelegandi ad effectum adscribendi fideles supraenuntiatae piae Unioni iis in locis, in quibus eadem Unio haud existit, ea tamen lege, ut adscriptorum nomina in album primariae, seu vicinioris ejusdem tituli Unionis inserantur. Ac insuper supramemorato generali Moderatori concessit facultatem huic primariae Unioni ag-

gregandi quoque Sodalitates seu Confraternitates canonice tamen erectas, licet alio titulo, aliove instituto distinguantur, addita tantum priori appellatione: *Ad levamen animarum in purgatorio existentium,* servata pariter in reliquis supraexpressa Constitutione. Rectoribus vero uniuscujusque piae Unionis, necnon sacerdotibus ut supra subdelegatis, ac in posterum subdelegandis pro fidelium adscriptione potestatem impertitus est benedicendi pro fidelibus adscriptis coronas Sancti Michaelis Archangeli, vulgo *Coronas Angelicas* cum adnexis indulgentiis juxta decretum Sacrae Rituum Congregationis diei 8 Augusti 1851. Et tandem idem Sanctissimus peramanter indulsit, ut praefatus generalis Moderator in aggregandis aliis Unionibus seu Confraternitatibus uti possit et valeat consueto diplomate, quo hucusque usus est, dummodo in substantialibus cum decretis hujus Sacrae Indulgentiarum Congregationis sub die 8 Januarii 1861 editis plene concordet. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1861.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli**, Substit.

403.

1861 23 Augusti. **Indulgentiae pro visitatione hospitalium.**

Urbis et Orbis. Cum fel. rec. Pius VI. per edictum Eminentissimi sui in Urbe Vicarii sub die 28 Februarii 1778 indulgentiam centum dierum elargitus esset omnibus Christifidelibus, qui ad publica xenodochia se conferunt ad charitatis actus erga infirmos exercendos, dubium exinde ortum est, utrum haec indulgentia pro Urbe tantum sit elargita, vel pro Orbe universo, hinc SSmus D. N. Pius PP. IX. ad meas humillimas preces benigne declaravit, hanc concessionem non ad Urbem tantum, sed ad omnes totius catholici Orbis Christifideles extendi. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex

Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Augusti 1861.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli**, Substit.

404.

1866 25 Januarii. **Visitatio capellae B. M. V. de Rosario.**

Beatissime Pater! Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum humillime exponit Sanctitati Vestrae, Summos Pontifices non paucas indulgentias concessisse Christifidelibus visitantibus sacellum, sive capellam B. M. V. sub titulo Rosarii. In multis vero locis invaluit usus in festo SS. Rosarii exponendi simulacrum B. V. vel supra altare majus, vel alio in loco ecclesiae extra capellam, unde fideles bona fide visitantes simulacrum, putant se indulgentias consecutos fuisse. Ne igitur fidelium pietas in hoc fraudetur, orator humillime a Sanctitate Vestra exposcit, ut declarare dignetur, Christifideles orantes ante simulacrum B. V. de Rosario consequi indulgentias, quae addictae sunt visitationi ejus capellae. SSmus D. N. Pius PP. IX., in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 25 Januarii 1866, benigne concessit, ut fideles lucrari valeant indulgentias a Summis Pontificibus concessas in festo SS. Rosarii ejusque octiduo, ceteris adimpletis conditionibus, sive visitent capellam sub eodem titulo dicatam, sive simulacrum B. M. V. Rosarii extra dictam capellam publicae venerationi expositum. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 25 Januarii 1866.

Antonius M. Card. **Panebianco**, Praef.
Philippus Can. **Cossa**, Substit.

405.

1867 26 Martii. **De altaribus fixis.**

Beatissime Pater! Leo XII. s. m. Rescripto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide diei 18 Decembris 1825 concessit Missionariis Oblatis B. V. M. sine labe conceptae

indultum erigendi altare privilegiatum in qualibet eorum ecclesia; verum Superiores locales ad erectionem altarium, etiam mobilium, absque Ordinarii designatione devenerunt; deinde vero hac super re nonnullis subortis dubiis, sacerdos Josephus Fabre, Superior Generalis eorumdem Missionariorum Oblatorum, mense Februario proxime elapso supplicem libellum porrexit, ad obtinendam solutionem dubii circa validitatem erectionis altarium privilegiatorum per Superiores locales sine interventu Ordinarii factae, necnon facultatem pro semetipso designandi in futurum altaria, quae S. Sedis gratia privilegiata esse debent. Nunc vero Orator iterum exponendum curat, quod, investigatione facta, inventum sit, nullum esse generatim altare vere fixum in ecclesiis suae Congregationis, sed tantum altaria portatilia super mensam lapideam vel etiam ligneam accommodata, prout est consuetudo in Gallia. Hinc suppliciter rogat Sanctitatem Vestram, ut dignetur benigniter sancire, ut in omnibus ecclesiis suae Congregationis, altare majus habeatur in posterum tamquam privilegiatum pro cunctis Missae Sacrificiis, quae in suffragium defunctorum celebrabuntur, etiamsi altare illud sit tantummodo mobile: rogat quoque Orator, ut ubicumque exstat in ecclesiis suae Congregationis altare in honorem B. M. V. sine labe conceptae erectum vel erigendum, etiam illud tamquam privilegiatum habeatur, etiamsi non sit fixum. Pro qua gratia etc. — SSmus D. N. Pius PP. IX. in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto die 26 Martii 1867 volens specialibus favoribus prosequi Congregationem Missionariorum Oblatorum B. V. M. sine labe conceptae, omnes defectus, qui in celebratione Missarum in praefatis altaribus illegitime erectis irrepserunt, quoad applicationem indulgentiae plenariae per modum suffragii pro animabus defunctorum, de thesauro Ecclesiae benigne supplevit, et insuper praevia revocatione indulti altaris privilegiati per Rescriptum a Sacra Congregatione de Propaganda Fide die 18 Decembris 1825 expediti, clementer in perpetuum concessit, ut in singulis ecclesiis, dummodo sint publicae. et saltem benedictae, tam erectis quam erigendis, quae ad praefatum Institutum, seu Congregationem Missionariorum

Oblatorum B. V. M. sine labe conceptae in praesens spectant, et in posterum spectabunt, altare majus, quatenus fixum fuerit, et nullum aliud inibi privilegiatum altare concessum reperiatur, privilegio Apostolico condecoratum et illustratum sit, ut quandocumque sacerdotes saeculares vel regulares Missam pro anima cujuscumque Christifidelis, quae Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, ad praedictum altare majus praefatarum ecclesiarum celebrabunt, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii plenariam indulgentiam consequatur. Ne autem dubium circa qualitatem altaris fixi exoriatur, Sanctitas Sua edixit et declaravit, sufficere ad constituendam qualitatem altaris fixi, ut in medio altaris stabilis et inamovibilis, licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur. Quod vero ad secundam precum partem spectat, scilicet ad declarandum privilegiatum aliud quoque altare, quod B. M. V. sine labe conceptae dicatum sit, eadem Sanctitas Sua minime annuendum esse existimavit. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Martii 1867.

Josephus Card. Bizzarri, Praef.
A. Colombo, Secret.

406.

1868 10 Martii. De associatione catholica S. Francisci Salesii.

Beatissime Pater! Ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti Praeses necnon Praesidi assidentes Associationis catholicae S. Francisci Salesii suppliciter exponunt: Anno Domini 1855 et sequenti semel atque iterum Sanctitas Vestra Rev. Domino Mermillod primum (qui nunc Episcopus auxiliaris Genevensis) deinde R. P. d'Alzon (Augustinorum Assumptionis Praesidi ac Nemausensi Vicario generali) dicere dignata est, id a Se valde exoptari, ut catholicis in gentibus pia exsurgeret precum atque eleemosynarum societas, unde Christianorum fides refoveretur, non parvum diligenti clero accresceret auxilium, conjurati Ecclesiae hostes facilius expugnarentur, sicque pura et integra ubique inter fideles remaneret

catholica fides. Addebat autem Sanctitas Vestra, talem Sibi videri consociationem veluti *quandam fidei propagationem ad intra,* ita ut, qui inter infideles atque haereticos fidem propagandam curant, eamdem servandam tuendamque suscipiant inter fideles. Ex quo cordis Vestri desiderio, SSme Pater, exordium sumpsit, benedicente Domino, *Associatio pia S. Francisci Salesii,* Nemausi primum anno 1855, deinde biennio post Lutetiae Parisiorum, ubi ampliori fundamento stabilita invalescit in dies, ac summa ope nititur, ut fidem servanti ac tuenti clero multifariam multisque modis praesto sit. Et quidem 1°. Catholicas scholas atque instituta pia, quae parvulis vere sanctificandis consulant, quamplurima condit, auget vel adjuvat. 2°. Libros bonos eosdemque ad vulgarem populorum sensum accommodatos nulla mercede dispensat, sicque honesta quaeque legendi morem inducit. 3°. Verbum Dei praedicandum curat tum ruricolis, tum suburbiis, largiendo scilicet unde exercitia spiritualia fiant vel Missiones. 4°. Si quae sint ecclesiae adeo inopes, ut nequeant cultum Deo, prout decet, exhibere, pecunia adjuvat. 5°. Fovet denique, quantum in se est, atque adjuvat quotquot ad statum ecclesiasticum vocati habentur. Id vero in primis sibi tenendum esse statuit praedicta Associatio, ne quid umquam agatur nisi benedicente ac dirigente Ordinario, cui soli de spiritualibus ovium necessitatibus judicare competit, animasque ex officio custodire; atque ita quidquid minus prudens excogitaret zelus, facillime praecavetur. Hujus autem associationis constitutio simplicissima haec est: Concilium primarium, nunc Lutetiae residens, epistolarum consuetudinem habet in unaquaque dioecesi cum designato quodam ab Antistite, rectore. Cujus opera, sicut quaecumque postulantur a dioecesi, concilio primario innotescunt, ita et omnes ejusdem Concilii eleemosynae per totam dioecesim diffunduntur. Vicerectores autem dioecesani et collectarii denos constituunt sodales, a quibus duodeni quotannis asses solvendi sunt, haud secus ac fieri solet in Societatibus, quae *Propagatio Fidei* ac *S. Infantia* nuncupantur. Quibus regnum Christi latissime diffundentibus nedum noceat S. Francisci Salesii Associatio, e contra veluti complementum

accedit atque adjutrix eximia. Quo etenim purior fides ac validior in catholicis gentibus vigebit, eo majori studio eamdem quisque fidem curabit propagandam; quod autem minime fit, ubi vel evanuit fides vel labatur. Decimus hic annus est, ex quo dictam Societatem omnes fere Galliarum Antistites ac satis multi in Italia, Siciliaque approbatam canonice erexerunt. Eamdem nuper erexerunt vel erecturi sunt nonnulli apud Helvetios ac Belgas. A mense autem Majo anni 1857 quo, auspice Beatissima Virgine, feliciter Lutetiae exorta est, usque ad eumdem elabentis anni mensem jam millies mille circiter francos argenteos exceptos distribuit. Quibuscumque in regnis praedicta constituitur Societas, concilium generale, quod ex clericis laicisque Ecclesiae ac Sanctae Sedi addictissimis constat, epistolarum commercium frequentat cum primario Parisiensi concilio, eo dumtaxat fine, ut salvis ubique Societatis statutis, quae S. Sedis auctoritate sunt comprobata, tum accepti expensique, tum rerum a Sodalibus gestarum diligens ratio quotannis referatur. Optimum illud incoeptum jam a principio benigne fovere atque ad ampliora incitare Sanctitas Vestra dignata est, tum epistola sui a latinis Secretarii, tum Apostolico Brevi dato die 13 Decembris anno 1859, quo sodales amplissimis indulgentiarum muneribus simul cum Apostolica benedictione donabantur. Quem postea praestantissimum jam coelestium gratiarum thesaurum Sanctitas Vestra augere adhuc ac benignissime amplificare voluit. Id demum pro certo habemus, SSme Pater, fore, ut praedicta piorum fidelium Societas, si tamen iterata eaque solemniori Sedis Apostolicae comprobatione gauderet, tantum continuo proficeret, ut jam maxime valeret ad refocillandam fidelium pietatem ac fidem, atque ita, cum universo jam clero rediret animus, multo majori impetu atque efficacius pugnaretur tum contra incredulos, liberosque muratores, tum contra haereticos, ac ceteros quosque Ecclesiae hostes. Ad hoc redeundi ad Ecclesiam via fortasse pararetur non paucis haereticis, rationalistis atque indifferentibus, qui vel dubii taedio misere laborant, vel jam sitiunt veritatem. Igitur Beatitudinem Vestram Praeses ac Praesidi assidentes oratores orant, ut,

coelestibus indulgentiarum muneribus, quibus jam gaudent, denuo confirmatis, primo Associationem catholicam S. Francisci Salesii de Apostolica benignitate ditare dignetur erectione canonica; deinde ut ad frequentiorem Eucharistiae usum magis ac magis incitentur sodales, misericorditer in Domino concedere dignetur plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam ac remissionem, eamque singulis hebdomadis lucrandam ab omnibus, qui vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. Pro qua gratia etc.

SSmus D. N. Pius PP. IX. in Audientia habita ab infrascripto Card. Praef. Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 10 Martii 1868, probe noscens, quantum utilitatis ex praefata Pia Unione a S. Francisco Salesio nuncupata in populum christianum promanare possit, eam, ejusque finem, seu scopum, ad quem tendit, amplissimis verbis commendavit, quin tamen aliquid auctoritati Sacrorum Antistitum locorum, praesertim pro illius canonica erectione in propria cujusque dioecesi facienda, detractum intelligatur. Confidit vero, dictae Piae Unionis Sodales pro eo, quo flagrare debent, religionis zelo, et charitatis studio, in dies magis magisque curaturos, ut intentum finem ad Dei gloriam et Christifidelium aedificationem consequantur. Ut autem sodales ipsi ad frequentiorem Sacramentorum usum excitentur, Sanctitas Sua, praeter indulgentias ab Apostolica Sede jam obtentas, benigne eis in perpetuum concessit, ut indulgentiam plenariam etiam defunctis applicabilem bis in mense lucrari valeant, dummodo pro unaquaque vice vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti aliquam ecclesiam devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pro haeresum exstirpatione, fidei propagatione, ac sacrae Romanae Ecclesiae exaltatione et felici statu pias ad Deum preces effuderint. Praesenti absque ulla Brevis expeditione valituro. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 10 Martii 1868.

A. Card. **Bizzarri**, Praef.
A. **Colombo**, Secret.

407.

1868 10 Martii. De motu locali in exercitio Viae Crucis.

Beatissime Pater! Archiepiscopus S. ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit, quod in plurimis ecclesiis non tantum dioeceseos, sed etiam Provinciae, quae Metropolitae S. subest, exercitium s. Viae Crucis, quod cum magna populi devotione et frequentia peragitur, jam ab initio hoc modo fieri consuevit, ut clericus vel sacerdos in sacro pulpito genuflexus manens recitet populo breves considerationes et solitas preces totius Viae Crucis, populus autem, unoquoque suum locum tenente, post singulas Stationes, sicut sacerdos ipse aliquem corporis motum aut genuflexionem faciat, et oculos ad momentum versus regionem sequentis Stationis convertat, licet etiam hoc per imagines Stationum nonnumquam in parte ecclesiae posteriori dispositas, et per jam vulgatum isthic usum, hoc s. exercitium coram Sanctissimo in pyxide exposito peragendi, identidem impediatur. Potest Orator Archiepiscopus probe affirmare, quod visitatio singularum stationum, etiamsi per solum sacerdotem cum duobus acolythis (uti praescribit S. Congr. Indulg. 23 Jul. 1757) fieret, ob ecclesiarum arcta spatia et scamna in ecclesiis nostris stabilia, et propter multitudinem fidelis populi, revera non ubique sat decenter et sine magna turbatione posset institui, imo saepe saepius impossibilis esset. Etiam in privato s. Viae Crucis exercitio jam ab hominum memoria usus pariter invaluit in iisdem locis, ut in scamno suo vel loco quisque remaneat, et ibi genuflexus totum hoc s. exercitium persolvat, persuasus se posse lucrari indulgentias, dummodo post singulas Stationes aliquem corporis motum faciat et paulisper assurgat. Ita autem faciunt sive ecclesia vacua sit, sive sit populo referta, maxime in diebus festis et Dominicis, dum horis pomeridianis Vesperae in choro decantantur; cum propter locorum distantiam nec prius in ecclesiam venire, nec post functiones ecclesiasticas in eadem diutius remanere possint. Hic autem populus exercitio s. Viae Crucis ita addictus est, ut valde multi toto anno nullam Dominicam praeterire sinant, et

in Quadragesima nullam diem, qua devotionem Viae Crucis non obeant; et plures etiam fundationes in ecclesiis parochialibus existunt pro ea publica festis diebus per annum exercenda. Quare Orator Archiepiscopus enixe implorat, ut Sanctitas Vestra per viam gratiae et Apostolicae sanationis ac dispensationis dignetur benigne concedere, quod pro s. Viae Crucis exercitio tam publico quam privato in ecclesiis ac oratoriis saecularibus et regularibus intra dioecesim et provinciam S. sufficiat ad indulgentias annexas prosequi in methodo supradicta hic locorum jam in veterem consuetudinem deducta; praesertim ob pias fundationes pro hoc s. exercitio in non paucis ecclesiis jam factas et in posterum faciendas, cum praevideatur, quod ex novitate methodi introducendae populi studium erga pium hoc exercitium turbetur vel imminuatur. Pro qua gratia etc. Sacra Congregatio Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum attentis peculiaribus circumstantiis *de speciali gratia in exemplum non afferenda*, praevia sanatione quoad praeteritum relate ad exercitium Viae Crucis juxta exposita tam in S. quam in dioecesibus Suffraganeorum in ecclesiastica provincia Archiepiscopo Oratori subjecta existentibus factum, benigne permittit, ut enuntiata methodus in dicta dioecesi et provincia servari possit, ita tamen, ut Christifideles saltem in loco, ubi manent, pro qualibet Viae Crucis statione assurgant et genuflectant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum die 10 Martii 1868.

A. Card. **Bizzarri**, Praef.
A. Colombo, Secret.

408.

1868 2 Decembris. **Indulg. plen. in articulo mortis quoad Instituta votorum simplicium.**

Aurelianen. Cancellarius Episcopalis dioecesis Aurelianensis in Galliis humiliter exposcit a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita solutionem dubiorum infra expositorum. Episcopus Aurelianensis indulto gaudet Pontificio vi cujus delegare potest ad applicationem

indulgentiae in articulo mortis quos sibi visum fuerit; pro Monialibus vero confessarium earum ordinarium. Porro circa interpretationem hujus clausulae, qua videtur Episcopus, ubi de Monialibus agitur, necessario et limitative delegare debere confessarium earum ordinarium: dubitatur 1°. *Utrum haec clausula intelligenda sit de Monialibus illis improprie dictis (quas solas habemus in hac dioecesi), quae etsi pertineant aliquae ex ipsis ad Ordines alibi emittentes vota solemnia, istic tamen non nisi simplicibus votis constringuntur, degentes nihilominus in claustris sub clausura Episcopali tantum?* 2°. Et quatenus affirmative super hanc primam quaestionem, *Utrum eadem supradicta clausula etiam applicanda sit iis puellarum communitatibus, quae vota emittentes simplicia, non habent clausuram, ut sunt permulta instituta religiosa operibus caritatis vel educationis juventutis dedita?* SSmus D. N. Pius PP. IX. in Audientia habita die 2 Decembris 1868 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae duobus propositis dubiis respondendum mandavit, prout sequitur, nempe: Ad 1m: *Affirmative, si confessarius ordinarius in domo, in qua dictae sorores degunt, habeatur.* Ad 2m: *Affirmative, si puellae vivant in communitate ad formam Monialium, et confessarium ordinarium habeant; secus negative.* Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 2 Decembris 1868.

A. Card. Bizzarri, Praef.
A. Colombo, Secret.

409.

1873 8 Maji.

Urbis et Orbis. Cum inter cetera religiosae pietatis officia ad recolendam et meditandam uberiori fructu D. N. Jesu Christi caritatem, laudabilis exorta sit et multis in locis invaluerit consuetudo, qua integer mensis Junius quotidianis devotionis exercitiis dulcissimo Ejus Cordi consecratur; plurimorum fidelium supplicationes porrectae sunt SSmo D. N. Pio PP. IX., ut pia haec exercitia peragentibus sacrarum indulgentiarum munera concedere dignaretur. Itaque Sanctitas Sua petitionibus hujusmodi benigne exceptis,

ut magis magisque injuriae divino humani generis Redemptori in praesenti potissimum rerum ac temporum discrimine illatae reparentur, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui sive publice sive private peculiaribus precibus et devoti animi obsequiis in honorem SSmi Cordis Jesu per integrum mensem Junii quotidie corde saltem contrito vacaverint, indulgentiam septem annorum semel in singulis dicti mensis diebus lucrandam, et pariter iisdem indulgentiam plenariam in una praefati mensis die ab unoquoque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, peramanter est impertitus, cum facultate easdem indulgentias applicandi pro animabus in purgatorio detentis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Sacrarum Reliquiarum die 8 Maji 1873.

L. Card. Barili, Praef.
Dominicus Sarra, Substit.

410.

1879 1 Februarii. **De societate adorationis perpetuae.**

Societas Sororum, quae ab Adoratione Perpetua SS. Sacramenti et ad pauperiores ecclesias sacra supellectili instruendas nomen habet, in Belgio instituta ab eximiae pietatis matrona Anna Comite de Meeûs, in alma hac Urbe domum nuperrime constituit, supplices admovens preces SSmo D. N. Leoni PP. XIII., ut sibi integrum foret, Archiconfraternitatem Societati adnexam Romam transferre. Haec enim Archiconfraternitas nomine et instituto cum Societate cohaeret, Societati ceu capiti subest et subesse tenetur vi constitutionum a Sancta Sede approbatarum. Sanctissimus has preces benigne excipiens mandavit praefatam Archisodalitatem Romam transferri. Jam vero cum alia Archisodalitas ejusdem nominis et instituti heic Romae in aedibus ad Quatuor Fontes cura et studio piae ac nobilis

matronae Carolae de Courballay reperiatur erecta, cumque ex Constitutione a Clemente VIII. edita, quae incipit *Quaecumque,* duae Archiconfraternitates ejusdem nominis et instituti nequeant in uno eodemque loco consistere, Idem Sanctissimus, volens hujus legis impedimento occurrere, decrevit, Archisodalitatem Romae in aedibus ad Quatuor Fontes constitutam, utpote quae posterius erecta est, uniri cum Belgica Romam translata ita, ut unum cum ea corpus efficiat, unam eamdemque Archisodalitatem constituat, et sit *Archisodalitas Societatis Adorationis Perpetuae et ad pauperiores ecclesias sacra supellectili instruendas,* indulgentiarum vero et privilegiorum communicationes, quae Confraternitatibus aggregatis hactenus factae sunt, tamquam ab hac sic unita factae habeantur. Huic tandem Archisodalitati, quae in unum coaluit, Eadem Sanctitas Sua facultatem tribuit ceteras Sodalitates ejusdem nominis et instituti ubique terrarum aggregandi, servata forma et tenore Constitutionis Clementis VIII. Non obstantibus regula de jure quaesito non tollendo ceterisque quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Hoc propterea decretum Sanctitas Sua fieri, et iis, quorum interest, communicari mandavit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 1 Februarii 1879.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano,** Praef.
A. Panici, Secret.

411.

1879 26 Aprilis. De Archisodalitate B. M. V. a SS. Corde Jesu.

Ab anno 1854 presbyterorum Societas Exsolduni in Archidioecesi Bituricensi in Galliis florere coepit, qui vires, consilia et operam ad vineam Domini sacris expeditionibus potissimum excolendam contulerunt, quique Missionarii audiunt sacratissimi Cordis Jesu. Ut autem Dei Matris Mariae opem sibi et operi conciliarent, ad ejus praesidium confugerunt, eamque Dominam Nostram a SS. Corde, vulgo *Notre Dame du Sacré-Coeur,* primitus venerari coeperunt auspicatissimo die 8 Decembris, quo ejus immaculatus Conceptus

inter fidei dogmata relatus est. Hic vero cultus inter Christifideles brevi ita diffusus est, ut *Sodalitas Beatissimae Virginis a Sacro Corde Jesu* titulo gaudens in sacra aede Exsoldunensi auctoritate Ordinaria die 29 Januarii 1864 fuerit instituta. Apostolica Sedes non modo hujusmodi Sodalitatem amplissimis indulgentiarum muneribus locupletavit, in Archisodalitatem erexit, et nomine proprio coronam simulacro imponendi facultatem largita est Archiepiscopo Bituricensi, verum etiam Institutum ipsum cum eadem Sodalitate arcto et indissolubili nexu conjunctum edixit. In decreto enim, quo Institutum laudatur, edito per Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium die 8 Martii 1869 Missionarii ipsi a Domina Nostra SS. Cordis Jesu nomen habere dicuntur, eorumque Exsoldunensem ecclesiam Pius IX. s. m. die 17 Julii 1874 minoris Basilicae titulo et privilegiis ornavit. Roma vero, quae inter alias urbes in cultu et pietatis studio erga Matrem Dei Mariam longe eminet, eodem titulo sanctam Dei parentem colere coepit, et die 8 Decembris anno 1872 ad S. Andreae in colle Quirinali rite instituta fuit *Sodalitas immaculatae Dominae Nostrae Exsoldunensis,* cui Sodalitati Litteris Apostolicis die 8 Julii anno 1873 datum fuit, frui indulgentiis, quae tributae fuerant Societati Exsoldunensi; et aliis Litteris Brevibus datis die 5 Augusti Archiconfraternitatis nomine et juribus decorata fuit. Haec vero ab ecclesia S. Andreae ad aedem S. Venantii, et ab hac ad S. Andream vico Vallis translata fuit. Itaque cum abhinc paucis mensibus praefata Missionariorum Societas alma in hac Urbe aedem olim s. Jacobi Nationis Hispanicae in foro Agonali emptam a squallore et ruinis ad novum decus vindicarit, eamque facultate habita a Summo Pontifice die 16 Novembris anno 1878 B. M. V. a Sacro Corde Jesu dedicaverit, et ibi conclavia suis Missionariis incolenda attribuerit, sacerdos Julius Chevalier, ejusdem Societatis Fundator et Superior Generalis SSmo D. N. Leoni PP. XIII. supplices admovit preces, ut Archisodalitatem B. V. a Sacro Corde Jesu, quae in ecclesia S. Andreae de Valle in praesenti est, quaeque suam ab Archisodalitate Exsoldunensi originem ducit, ad ecclesiam B. M. V. Dominae No-

strae a Sacro Corde Jesu in foro Agonali Apostolica auctoritate transferre, et curae ac regimini suae Societatis committere dignaretur. Sanctissimus, perpensis expositis, libenter Oratoris precibus annuens, praesenti decreto mandavit, prout mandat, Archisodalitatem in ecclesiam B. M. V. Dominae Nostrae a Sacro Corde Jesu in foro Agonali transferri, ac omnimodae curae ac regimini Societatis Missionariorum Sacratissimi Cordis Jesu committi, cum juribus ac privilegiis eidem Archisodalitati concessis, ea tamen lege, ut Archisodalitas ipsa curae ac regimini Missionariorum sic commissa uni Eminentissimo in Urbe Vicario in omnibus subsit. Ne autem memoria pereat, Archisodalitatem in ecclesia S. Andreae de Valle extitisse, eadem Sanctitas Sua voluit, ut imago Dominae Nostrae a Sacratissimo Corde Jesu ibidem publico cultui exposita remaneat, ad eam votiva dona pertineant a fidelibus oblata, in eadem ecclesia Missarum oneribus in honorem Dominae Nostrae satisfiat, quae hactenus satisfieri consueverunt, piaeque precationes persolvantur, quae ex solo fidelium cultu et devotione postulantur. Non obstantibus regula de jure quaesito non tollendo ceterisque quamvis speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Hoc propterea decretum Idem Sanctissimus fieri, et iis, quorum interest, communicari mandavit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 26 Aprilis 1879.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

412.

1879 19 Julii. Privilegium piae Unionis de S. Infantia Jesu.

Beatissime Pater! Henricus Maria Alfredus du Fougerais, sacerdos et moderator generalis piae Confraternitatis de sancta Jesu Infantia vulgo nuncupatae in civitate Parisiensi canonice institutae, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter supplicat ad obtinendum ad septennium proximum pro omnibus et singulis sacerdotibus sive pii Operis s. Infantiae ubicumque directoribus, sive in consiliis quibuslibet

praefatae Confraternitatis vocalibus et etiam pro presbyteris praefectis seriei, quae saltem duodecim adscriptis constet, indultum personale altaris privilegiati ter in qualibet hebdomada. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo Papa XIII. in Audientia habita die 19 Julii 1879 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro indulto personali altaris privilegiati tribus in qualibet hebdomada diebus, dummodo sacerdotes, de quibus in supplici libello, simile indultum pro alia die non obtinuerint. Praesenti ad septennium valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 19 Julii 1879.

Fr. Th. M. Card. **Martinelli.**
A. Panici, Secret.

413.

1879 19 Julii. Indulg. pro oratione quadam.

Beatissime Pater! Josephus Maria Cattaneus C. R. S. sacrum pedem osculaturus humiliter exponit, quoddam se opusculum in honorem SSmae Virginis paratum habere typis tradendum ac publicandum in solemnitate primi jubilaei definitionis dogmaticae immaculatae Conceptionis. In quo opusculo infrascripta oratio habetur, pro cujus devota recitatione s. m. Pius IX. sub die 15 Junii 1862 indulgentiam concessit centum dierum semel in die lucrandam. Ex recognitione tamen ecclesiastica observatum postea fuit, hujusmodi indulgentiam in acta S. C. Indulg. relatam haud fuisse, proptereaque nullius ponderis esse. Quocirca humilis Orator enixe petit, ut Sanctitas Tua ratam eam habere ac iterum confirmare dignetur. Quare etc.

Signore onnipotente, che permettete il male per ricavarne il bene, ascoltate le nostre umili preghiere, con le quali vi domandiamo di restarvi fedeli in mezzo a tanti assalti e perseverare fedeli fino alla morte. Nel resto dateci

Domine omnipotens, qui permittis malum, ut inde educas bonum, audi humiles preces nostras, quibus a te poscimus, ut inter tot mundi infernique aggressiones Tibi semper maneamus fideles et fideles perstemus usque ad mortem.

forza colla mediazione di Maria SSma di poter sempre uniformarci alla vostra SSma volontà.

Ceterum intercedente Beatissima Virgine Maria robur nobis concede, ut nosmetipsos semper tuae sanctissimae voluntati conformare possimus.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 19 Julii 1879 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia juxta petita. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 19 Julii 1879.

Fr. Th. M. Card. **Martinelli.**
A. Panici, Secret.

414.

1879 19 Julii. Indulg. pro oratione quadam.

Beatissime Pater! Josephus Maria Cattaneus C. R. S. sacrum pedem osculabundus humiliter exponit, quemdam se libellum in honorem SSmae Virginis in promptu habere typis tradendum ac publicandum in solemnitate primi jubilaei definitionis dogmaticae immaculatae Conceptionis. Fronti ipsius apponere cupit sacram Virginis effigiem hic insertam, subter quam inscripta est sequens jaculatoria una cum relativa indulgentia.

A voi, o Vergine Madre, che non mai foste tocca da neo alcuno di colpa nè attuale, nè originale raccomando ed affido la purità del mio cuore.

„Tibi, Virgo Mater, quae nulla umquam culpae macula nec actualis nec originalis infecta fuisti, cordis mei puritatem commendo atque confido.“

Praesentem orationem devote recitantibus Pius Papa IX. centum dierum indulgentiam benigne concessit die 26 Novembris 1854.

Alexander Barnabo, S. Congr. de Prop. Fide Secret.

Quae tamen indulgentia quum irrita hodie sit, quia in actorum codicem relata minime fuit, prouti ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum requirebatur, Orator petit, ut Sanctitas Tua ratam eam habere ac denuo confirmare dignetur. Pro qua gratia etc. — SSmus D. N. Leo Papa XIII.

in Audientia habita die 19 Julii 1879 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia juxta petita. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 19 Julii 1879.

Fr. Th. M. Card. **Martinelli**.
A. Panici, Secret.

415.

1879 20 Septembris. Indulg. plen. in festo imm. concept. B. M. V. 1879.

Urbis et Orbis. Quintus et vicesimus advenit annus, ex quo immaculati B. M. V. Conceptus dogma universum christianum orbem incredibili affecit laetitia; hinc mirum non est, si Christifidelium mentes incesserit studium solemniori eumdem diem cultu celebrare. Praeterea plures Sacrorum Antistites, quo hoc christianae laetitiae signum populis sibi commissis benevertat, Leoni XIII. Pontifici Maximo supplices admoverunt preces, ut tantae faustitatis memoriam sacris indulgentiarum muneribus ornaret. Has itaque preces, referente me infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae in Audientia diei 20 Septembris 1879, Idem SSmus D. N. benigne excipiens, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui in proximo Deiparae sine labe conceptae festo, vel uno ex diebus infra octavam vere poenitentes, confessi ac sacra Eucharistia refecti fuerint, atque ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, indulgentiam plenariam, semel in dicto dierum spatio lucrandam, et animabus quoque defunctorum in modum suffragii applicabilem clementer est impertitus. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 20 Septembris 1879.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

416.

1879 20 Septembris. Indulg. pro recitatione Cantici *Magnificat.*

Beatissime Pater! Sacerdos Dumoulin, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus enixe rogat, ut Beatitudo Vestra aliquam indulgentiam tribuat omnibus utriusque sexus Christifidelibus recitantibus Canticum *Magnificat anima mea Dominum.* SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 20 Septembris 1879 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote Canticum B. M. V., cujus initium „Magnificat anima mea Dominum" devote recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel tantum in die lucrandam, clementer concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 20 Septembris 1879.

L. Card. Randi.
A. Panici, Secret.

417.

1880 21 Februarii. Indulg. pro S. Thomae Aqu. oratione *Creator ineffabilis.*

Beatissime Pater! Episcopus Cremen. ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus enixe exorat, ut Beatitudo Vestra aliqua indulgentia ditare velit sequentem orationem.

Oratio Sancti Thomae Aquinatis, quam frequenter dicebat, antequam dictaret, scriberet aut praedicaret, prout legitur in libris liturgicis Ordinis Patrum Praedicatorum.

Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiae tuae tres Angelorum hierarchias designasti, et eas super coelum empyreum miro ordine collocasti, atque universi partes elegantissime disposuisti, Tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiae diceris atque supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tenebras tuae radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuae benedictionis infunde. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem,

loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas Tu qui es verus Deus et homo. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 21 Februarii 1880 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito praefatam orationem, cujus initium „Creator ineffabilis“ devote recitaverint, indulgentiam bis centum dierum, semel tantum in die lucrandam clementer concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 21 Februarii 1880.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.

Pius Delicati, Secret.

418.

1880 23 Novembris. Indulg. pro recitatione orationis ad B. M. V.

Beatissime Pater! Fr. Joannes, Ordinis S. Joannis de Deo, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus enixe exorat, ut Beatitudo Vestra aliqua indulgentia sequentem precem in honorem B. M. V. de Bono Consilio ditare velit. Et Deus etc.

Oratio ad Mariam Sanctissimam Matrem Boni Consilii.

Gloriosissima Vergine scelta dall'Eterno Consiglio per Madre dell'Eterno Verbo umanato, Tesoriera delle divine grazie ed avvocata dei peccatori, io indegnissimo vostro servo a Voi ricorro, acciò vogliate essermi guida e consigliera in questa valle di lagrime. Impetratemi per il preziosissimo sangue del vostro divin figlio il perdono dei miei peccati, la salvazione dell'anima mia e i mezzi necessarii per conseguirla. Ottenete alla S. Chiesa il trionfo su

Gloriosissima Virgo ab aeterno Dei consilio electa in Matrem aeterni Verbi incarnati, divinarum gratiarum dispensatrix, advocata peccatorum, ego indignissimus servus tuus ad Te confugio, ut mihi dux et consiliatrix esse digneris in hac lacrymarum valle. Per pretiosissimum divini Filii tui sanguinem veniam peccatorum meorum, aeternam animae meae salutem ac media ad eam consequendam necessaria mihi impetra. Triumphum sanctae Ecclesiae de inimicis

i suoi nemici e la propagazione del regno di G. Cristo su tutta la terra. Così sia.

suis ac regni Jesu Christi in totum terrarum orbem propagationem obtine. Amen.

Ex Audientia SSmi die 23 Novembris 1880. SSmus D. N. Leo divina providentia PP. XIII. benigne annuit pro gratia partialis indulgentiae centum dierum in forma Ecclesiae consueta lucrandae semel in die ab omnibus et singulis Christifidelibus, qui praedictam orationem in honorem B. M. V. corde saltem contrito, devote recitaverint. Contrariis quibuscumque minime obfuturis. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae, die, mense et anno praedictis.[1])

Marianus Rampolla, Secret.

419.

1882 21 Januarii. Indulg. pro oratione ad S. Benedictum Labre.

Beatissime Pater! Sacerdos Raphael Virili, postulator Causae Canonizationis S. Benedicti Josephi Labre, humillime petit, ut Sanctitas Tua aliquam indulgentiam concedere dignetur omnibus devote recitantibus sequentem Orationem in honorem S. Benedicti Josephi Labre. Quare etc.

Oratio ad S. Benedictum Josephum Labre.

O ammirabile esemplare di cristiana perfezione S. Benedetto Giuseppe; voi dal primo uso di ragione fino alla morte intatta conservaste la stola immacolata della innocenza ed abbandonando ogni cosa e pellegrinando sulla terra, altro non ricercaste che patimenti, privazioni ed obbrobri. Io misero peccatore prostrato ai vostri piedi ringrazio la infinita bontà dell'Altissimo che volle stampare in voi una immagine sì viva del suo figliuolo Crocifisso e nello

O admirabile christianae perfectionis exemplar S. Benedicte Joseph! tu, inde a primo rationis usu ad mortem usque intactam servasti immaculatam innocentiae stolam, ac omnia relinquens et peregrinando in terra, nihil aliud quaesivisti, nisi cruciatus, rerum omnium inopiam, dedecus et opprobria. Ego, miser peccator, ad tuos pedes provolutus, infinitae Dei bonitati gratias ago, quod tam vivam Filii sui crucifixi imaginem in te exprimere voluerit, simulque pu-

[1]) Haec concessio rite fuit exhibita Sacrae Congregationi Indulgentiarum.

stesso tempo rimango confuso al vedere quanto dalla vostra vita è difforme la mia! Deh! voi caro santo, abbiate pietà di me; presentate i vostri meriti al trono dell'Eterno ed ottenetemi la grazia che seguendo i vostri esempi e regolando le mie azioni coi precetti ed insegnamenti del Maestro Divino, m'innamori delle sue pene e delle sue umiliazioni, abbia in disprezzo i piaceri e gli onori terreni, sicchè nè timore delle une, o desiderio degli altri m'inducano giammai a trasgredire la santa sua legge, meritando così di essere un giorno riconosciuto ed annoverato fra i benedetti del Padre suo. Così sia. Pater, Ave e Gloria.

dore confundor, videns, quantum mea vivendi ratio dissimilis sit tuæ! Ah, quaeso dilecte Sancte, miserere mei: tua aeterni Numinis throno merita repraesenta, atque eam mihi gratiam obtine, ut tua sequens exempla atque actiones meas secundum praecepta et doctrinas divini Magistri ordinans magis magisque passiones ejus et humiliationes amem, voluptates et terrenos honores despiciam: adeo ut nec timor illarum, nec horum cupiditas ad sanctam ejus legem violandam umquam me inducant, sicque inter benedictos Patris sui agnosci aliquando et recenseri merear. Amen. Pater. Ave. Gloria.

℣. Ora pro nobis saucte Benedicte Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Deus, qui sanctum Benedictum Josephum, Confessorem tuum, humilitatis studio et paupertatis amore tibi uni adhaerere fecisti, da nobis ejus suffragantibus meritis terrena cuncta despicere et coelestia semper inquirere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 21 Januarii 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae universis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito supra propositam precem cum Versiculo et Oratione adnexis devote recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die acquirendam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 21 Januarii 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.

Pius Delicati, Secret.

420.

1882 4 Martii. Indulg. pro oratione in hon. S. Josephi.

Beatissime Pater! Archiepiscopus Mutinen. ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus enixe rogat, ut Beatitudo Vestra aliqua indulgentia ditare velit sequentem precem in honorem S. Josephi, sponsi immaculatae Virginis Mariae. Et Deus etc.

Potentissimo Patriarca S. Giuseppe, Patrono della Chiesa universale che vi ha invocato ognora nelle sue ansietà e tribolazioni, dal seggio eccelso della vostra gloria volgete amorevole lo sguardo sull'orbe cattolico. Si commuova il vostro cuore paterno al vedere la mistica sposa ed il Vicario di Cristo affranti dal dolore e perseguitati da poderosi nemici. Deh! per le angustie amarissime che provaste in terra, tergete benigno le lagrime del venerato Pontefice, difendetelo, liberatelo ed intercedete presso il donatore della pace e della carità, affinchè distrutta ogni avversità, dissipato ogni errore, tutta la Chiesa possa servire a Dio benedetto in perfetta libertà: Ut destructis adversitatibus et erroribus universis Ecclesia secura Deo serviat libertate. Amen.

Potentissime Patriarcha S. Joseph, Patrone universae Ecclesiae, quae in anxietatibus et moeroribus suis te semper invocavit, ab excelsa gloriae tuae sede tuos in Orbem catholicum benignos oculos converte. Mysticam Jesu Christi Sponsam ejusque in terris Vicarium dolore confectum ab acerrimisque hostibus vexatum cum aspicias, paternum cor tuum pietate tangatur. Heu! per amarissimas angustias, quas in hoc passus es mundo, venerandi Pontificis lacrymas clementer absterge: libera eum et apud pacis et charitatis Datorem intercede, ut omni calamitate submota omnique errore depulso, tota Ecclesia Deo benedicto perfecta possit libertate servire: Ut destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia secura Deo serviat libertate. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 4 Martii 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito supra exhibitam precem in honorem S. Joseph devote recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque

non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 4 Martii 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Pius Delicati, Secret.

421.

1882 4 Martii. Indulg. pro recit. Orat. jaculatoriae.

Beatissime Pater! Fr. Bruno a Vintia, Ord. Min. S. Francisci Capulatorum Procurator Generalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, plurimorum praefati Ordinis Religiosorum, necnon Tertiariorum ad instantiam, enixe Sanctitatem Vestram supplicat, quatenus, occurrente septimo Seraphici P. Francisci nativitatis centenario, infrascriptam precatiunculam, sive jaculatoriam orationem, quae saepissime in Franciscali familia recitatur, sacris indulgentiis ditare dignetur. Pro qua gratia etc.

Adoramus Te Sanctissime Domine Jesu Christe, benedicimus Tibi quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 4 Martii 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito propositam precem devote recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 4 Martii 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Pius Delicati, Secret.

422.

1882 18 Martii. Indulg. pro invocatione S. Josephi.

Beatissime Pater! Antonius Espinosa, Vicarius Generalis Bonearensis, Sanctitatis Tuae pedibus in spiritu provolutus, ad specialem impetrandam indulgentiam in favorem Societatis a S. Josepho haec supplex exponit: Societas a S. Josepho

in urbe Bonearensi, meridionalis Americae, canonice instituta, S. Petri obolo corrogando praeest, et quovis mense conciones catholicae veritati declarandae tuendaeque aptas in aede Metropolitana aliisque templis habendas curat, tum sacras expeditiones inter indigenas fovet, praesertim in Patagonia, scholas catholicas in Patagonia, ipsa in urbe et in pagis omni ope auget, piorum librorum evulgatione, christiana catechesi, spiritualibus exercitationibus, publica Sacramenti augusti quadraginta horarum adoratione, ipsisque etiam sacris aedibus reficiendis, ornandis religionem amplificare, pietatem fovere, procurandae proximorum saluti pro viribus adlaborare studet. Hujus piae Societatis omnibus in universum et singulis speciatim sociis nuper Sanctitas Tua Apostolicam Benedictionem impertire dignata est: nunc vero Societas eadem Sanctitatis Tuae pedibus fidenter provoluta aliquam indulgentiam expostulat pro recitatione sequentis invocationis in honorem S. Josephi:

Fac nos innocuam Joseph decurrere vitam,
Sitque tuo semper tuta patrocinio.

Pro qua gratia etc.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 18 Martii 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito praefatam invocationem in honorem S. Josephi devote recitaverint, indulgentiam tercentum dierum, semel tantum in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 18 Martii 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Pius Delicati, Secret.

423.

1882 22 Aprilis. Extensio indulgentiarum.

Beatissime Pater! Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis Jesu, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus quam humillime petit, ut Sanctitas Vestra gratias illas, quas s. m.

Leo PP. XII. petente Vice-Provinciale Helvetiae, Belgii et Hollandiae duobus Rescriptis diei 12 Aprilis 1826 huic supplici libello subjectis benigne concessit, et quae multis aliis Congregationibus et singulis quoque sacerdotibus saecularibus concessae sunt, expresse ad universam Societatem extendere dignetur. Rescripta vero sunt tenoris sequentis:

Primum: SSmus D. N. etc. ut supra pag. 259 num. 341.

Alterum: SSmus D. N. etc. ut supra pag. 260 num. 342.

Pro qua gratia etc.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita 22 Apr. 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro extensione ad universam Societatem Jesu exhibiti primi Rescripti, servata in omnibus ejusdem forma et tenore. Quoad vero alterum Rescriptum, in quo agebatur de spiritualibus gratiis iis concessis, qui erectioni crucium in fine Missionum adfuissent, idem Sanctissimus concessit tantum indulgentiam tercentum dierum omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui memoratae crucis erectioni in fine Missionum a Sodalibus ejusdem Societatis Jesu peragendae, corde saltem contrito ac devote interfuerint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 22 Aprilis 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Pius Delicati, Secret.

424.

1882 19 Augusti. Indulg. pro orat. ante et post confessionem.

Beatissime Pater! Leo Marin, Sacerdos e Congregatione S. Sulpitii, Vicarius Generalis Dioeceseos Aquensis et moderator magni Seminarii ejusdem dioeceseos, supplex adit Sanctitatem Vestram, ut approbare dignetur exhibitas sequentes orationes propositas sacerdotibus recitandas ante et post eorum confessionem sacramentalem eisque aliquam indulgentiam adnectere.

Oratio ante confessionem sacramentalem.

Suscipe confessionem meam, piissime ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis animae meae, et da mihi, obsecro, contritionem cordis, et lacrymas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate et puritate cordis. Domine Deus meus suscipe preces meas. Salvator mundi, Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres, respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum; et si commisi, unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula ejus, sana vulnera. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimae et immaculatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et Sanctorum tuorum, lucem tuam, veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, de quibus confiteri me oportet, atque juvet et doceat ipsos plene et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum.

Oratio post confessionem sacramentalem.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae et omnium Sanctorum grata et accepta ista confessio mea; et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis et regnas Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 19 Augusti 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus sacerdotibus, qui propositas orationes ante et post sacramentalem confessionem peccatorum suorum corde saltem contrito ac devote recitaverint, indulgentiam biscentum dierum benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 19 Augusti 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

425.

1882 18 Novembris. Oratio pro consecratione studiorum in hon. B. M. V.

Beatissime Pater! Franciscus Cassidii S. J., Rector Collegii Beaumont (Windsor) in Anglia, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, pro sequenti oratione, quae omnibus pueris et juvenibus literis operam daturis recitanda proponitur, aliquam indulgentiam humillime petit. Et Deus etc.

Consecratio studiorum in honorem immaculatae Conceptionis B. M. V.

Sub patrocinio tuo, Mater dilectissima, et invocato immaculatae Conceptionis tuae mysterio, studia mea laboresque litterarios prosequi volo: quibus me protestor hunc maxime ob finem incumbere, ut melius divino honori tuoque cultui propagando inserviam. Oro te igitur, Mater amantissima, sedes sapientiae, ut laboribus meis benigne faveas: ego vero, quod justum est, pie libenterque promitto, quidquid boni mihi inde successerit, id me tuae apud Deum intercessioni totum acceptum relaturum. Amen.

SSmus D. N. Leo Papa XIII. in Audientia habita die 18 Novembris 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus pueris et juvenibus literis operam daturis Orationem, uti supra propositam, corde saltem contrito ac devote recitantibus indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 18 Novembris 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

NB. Rescripta illa, quae post diem 16 Decembris 1882, quo haec Collectio nostra a Sac. Congr. Indulg. approbata fuit, emanarunt, quatenus ad finem nobis propositum faciunt, referemus in appendice speciali.

PARS II.

SUMMARIA INDULGENTIARUM.

SUMMARIA INDULGENTIARUM

a Summis Pontificibus nonnullis objectis devotionis, ecclesiis, oratoriis et aliis locis piis, Ordinibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Sodalitatibus et piis Unionibus concessarum.

I. Summaria indulgentiarum nonnullis objectis devotionis concessarum.

1.

Summarium indulgentiarum, quas SSmus D. N. Leo PP. XIII. impertitur Christifidelibus qui retinentes aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, praescripta pia opera adimpleverint.

Monita. Ut quis valeat indulgentias lucrari, quas Summus Pontifex Leo XIII. impertitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui retinent aliquam ex coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, ac numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis, requiritur: 1°. Ut Christifideles in propria deferant persona aliquod ex enuntiatis objectis. 2°. Quod si id minime fiat, requiritur, ut illud in proprio cubiculo, vel alio decenti loco suae habitationis retineant, et coram eo devote praescriptas preces recitent. 3°. Excluduntur ab Apostolicae benedictionis concessione imagines typis exaratae, depictae, itemque cruces, crucifixi, parvae statuae et numismata ex stanno, plumbo, aliave ex materia fragili seu consumptibili confecta. 4°. Imagines repraesentare debent Sanctos, qui vel jam consueta forma canonizati, vel in Martyrologiis rite probatis descripti fuerint.

Hisce praehabitis indulgentiae, quae ex Summi Pontificis concessione ab eo acquiri possunt, qui aliquod ex supradictis objectis retinet, et pia opera, quae ad eas assequendas impleri debent, recensentur.

Quisquis saltem in hebdomada semel recitaverit coronam Dominicam, vel aliquam ex coronis B. V. Mariae, aut rosarium, ejusve tertiam partem, aut divinum officium, vel officium parvum ejusdem B. Virginis, aut fidelium defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales, aut graduales, vel consueverit catechesim christianam tradere, aut carceribus detentos vel aegrotos in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus opitulari, aut Missae interesse, eamve peragere, si fuerit sacerdos: quisquis haec fecerit vere contritus et peccata sua confessus ad sacram Synaxim accedet, quolibet ex infrascriptis diebus, nempe Nativitatis Dominicae, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, itemque diebus festis SSmae Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis S. Joannis Baptistae, S. Josephi Sponsi ejusdem B. Mariae Virginis, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, Mathiae, et Omnium Sanctorum, eodemque die devote Deum exoraverit pro haeresum et schismatum exstirpatione, catholicae fidei incremento, pace et concordia inter principes christianos, aliisque S. Ecclesiae necessitatibus; quolibet dictorum dierum plenariam indulgentiam lucrabitur.

Quisquis vero haec omnia peregerit in aliis festis Domini et B. V. Mariae, quolibet dictorum dierum indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum acquiret: quavis Dominica vel alio anni festo indulgentiam quinque annorum totidemque quadragenarum lucrabitur: sin autem eadem alio quocumque anni die expleverit, centum dierum indulgentiam acquiret.

Praeterea, quisquis consueverit semel saltem in hebdomada recitare aliquam ex coronis aut rosarium, vel officium parvum B. Mariae Virginis, vel fidelium defunctorum, aut Vesperas, aut Nocturnum saltem cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis adjectisque precibus, quoties id peregerit, centum dierum indulgentiam consequetur.

Quisquis in mortis articulo constitutus animam suam devote Deo commendaverit, atque juxta instructionem fel. rec. Benedicti XIV. in Constitutione, quae incipit *Pia Mater* sub die 5 Aprilis 1747, paratus sit obsequenti animo a Deo mortem opperiri, vere poenitens, confessus et sacra Communione refectus, et, si id nequiverit, saltem contritus invocaverit corde, si labiis impeditus fuerit, SSmum Nomen Jesu, plenariam indulgentiam assequetur.

Quisquis praemiserit qualemcumque orationem praeparationi Missae vel sanctae Communionis, aut recitationi divini officii, vel officii parvi B. Mariae Virginis, toties quinquaginta dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis in carcere detentos aut aegrotantes in nosocomiis inviserit, iisque opitulatus fuerit, vel in ecclesia christianam catechesim tradiderit, aut domi illam suos filios, propinquos et famulos docuerit, toties biscentum dierum indulgentiam lucrabitur.

Quisquis ad aeris campani signum, mane vel meridie aut vespere solitas preces, nempe *Angelus Domini,* aut eas ignorans recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria,* vel pariter sub primam noctis horam edito pro defunctorum suffragio campanae signo dixerit Psalmum *De profundis,* aut illum nesciens recitaverit *Pater noster* et *Ave Maria,* centum dierum indulgentiam acquiret.

Eamdem pariter consequetur indulgentiam, qui feria sexta devote cogitaverit de passione ac morte Domini Nostri Jesu Christi, terque Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam recitaverit.

Is, qui suam examinaverit conscientiam, et quem sincere poenituerit peccatorum suorum cum proposito illa emendandi, devoteque ter recitaverit *Pater* et *Ave Maria* in honorem SSmae Trinitatis, aut in memoriam quinque vulnerum D. N. Jesu Christi quinquies pronuntiaverit *Pater* et *Ave Maria,* centum dierum indulgentiam acquiret.

Quisquis devote pro fidelibus oraverit, qui sunt in transitu vitae, vel saltem pro iis dixerit *Pater noster* et *Ave Maria,* quinquaginta dierum indulgentiam consequetur.

Omnes indulgentiae superius expositae a singulis Christifidelibus vel pro seipsis lucrifieri possunt, vel in animarum purgatorii levamen applicari.

Expresse declarari voluit Summus Pontifex, supradictarum indulgentiarum concessione nullatenus derogari indulgentiis a Praedecessoribus Suis jam concessis pro quibusdam operibus piis superius recensitis: quas quidem indulgentias voluit omnes in suo robore plene manere.

Jubet deinde idem Summus Pontifex indulgentias Christifidelibus concessas, qui retinent aliquod ex praedictis objectis juxta decretum s. m. Alexandri VII. editum die 6 Febr. 1657 non transire ab illis, pro quibus benedicta fuerint, vel illis, quibus ab iis prima vice fuerint distributa: et si fuerit amissum vel deperditum unum alterumve ex iisdem objectis, nequire ei subrogari aliud ad libitum, minime obstantibus quibusvis privilegiis et concessionibus in contrarium: nec posse pariter commodari vel precario aliis tradi ad hoc, ut indulgentiam communicent, secus eamdem indulgentiam amittent: itemque recensita objecta benedicta, vix dum pontificiam benedictionem receperint, nequire venundari, juxta decretum S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis tuendis praepositae editum die 5 Junii 1721.

Praeterea idem Summus Pontifex confirmat decretum s. m. Benedicti XIV. editum die 19 Augusti 1752, quo expresse declaratur, vi benedictionis crucifixis, numismatibus etc. uti supra impertitae, non intelligi privilegio gaudere altaria ubi hujusmodi objecta collocata fuerint, neque pariter Missas, quas sacerdos eadem secum deferens celebraverit.

Insuper vetat, ne qui morientibus adsistunt, benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis iisdem impertiantur cum hujusmodi crucifixis, absque peculiari facultate in scriptis obtenta, cum satis provisum fuerit ab eodem Pontifice Benedicto XIV. in praecitata Constitutione *Pia Mater*.

Tandem Sanctitas Sua vult et praecipit, praesentem elenchum indulgentiarum pro majori fidelium commodo edi typis posse non solum latina lingua vel italica, sed alio quocumque idiomate, ita tamen, ut pro quolibet elencho,

qui ubicumque, et quovis idiomate edatur, adsit approbatio S. Congregationis Indulgentiarum.

Non obstantibus quolibet decreto, constitutione, aut dispositione in contrarium etiamsi speciali mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Februarii 1878.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

2.

Summarium indulgentiarum coronis Terrae Sanctae concessarum.
(Innocentii XI. Constit. *Unigeniti* diei 28 Januarii 1688.)

Unigeniti Dei Filii et Domini Nostri Jesu Christi, qui e sinu Patris descendit in terram, et caducam humanae carnis fragilitatem ineffabili clementia induens pro humani generis redemptione seipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem, vices, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, gerentes in terris, tanti et tam salubris Mysterii sacra monumenta, quae in civitate Hierusalem aliisque locis Terrae Sanctae conservantur, sincera devotione recolimus, piamque fidelium erga illa venerationem spiritualium gratiarum, quarum dispensatio nobis a Domino credita est, largitionibus fovere atque incitare studemus, et alias desuper disponimus: sicut omnibus matura consideratione perpensis, ad christiani populi aedificationem Ecclesiaeque utilitatem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque, sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Petrus Marinus Sormanus, Minister Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia nuncupatorum, super indulgentiis et peccatorum remissionibus, quae a pluribus Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris concessae fuisse asseruntur iis, qui penes se habuerint cruces, coronas, rosaria, vel grana ex lignis ejusdem Terrae Sanctae confecta, variae exortae fuerint dubitationes: adeo ut ex illis aliquae apocryphae et supposititiae existimentur; ac propterea idem Petrus Marinus, Minister Generalis, ut omnes in posterum hac in re controversiae praecidantur. plurimum

cupiat opportune in praemissis a Nobis provideri, Nos piis ipsius Petri Marini Ministri Generalis votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes ipsumque a quibusvis etc. censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis etc. inclinati; de Venerabilium Fratrum Nostrorum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum, qui hujusmodi rem jussu Nostro mature discusserunt, consilio, omnes et quascumque indulgentias, seu peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae pro crucibus, coronis, rosariis et granis praefatis dictae Sanctae Terrae in perpetuum, seu ad tempus nondum elapsum Apostolica vel alia quavis auctoritate quomodocumque ac quandocumque concessae fuisse dicuntur, harum serie, quatenus opus sit, perpetuo revocantes et annullantes, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quamdiu cruces, coronas aut rosaria dumtaxat, quae loca Terrae Sanctae hujusmodi, sacrasque reliquias ibi existentes tetigerunt, penes se habuerint; in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi sacraque Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti Nomen Jesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam; praeterea eisdem, si semel saltem in hebdomada, aut Officium divinum ordinarium, aut Beatissimae Virginis Mariae, aut defunctorum, aut septem Psalmos poenitentiales aut graduales, aut Coronam Domini, vel ejusdem Beatissimae Virginis, aut tertiam partem rosarii recitare: aut christianam doctrinam docere: aut infirmos alicujus hospitalis vel detentos in carcere visitare: seu pauperibus Christi subvenire: vel sacrosancto Missae Sacrificio interesse: vel illud, si sint sacerdotes, celebrare consueverint: ac vere similiter poenitentes et confessi sacerdoti ab Ordinario approbato sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint in aliquo ex diebus infrascriptis: nempe Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis Domini, Pentecostes, festi Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi: Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Beatae Mariae Virginis: Nativitatis Sancti Joannis Baptistae, Sanctorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis

et Judae, ac Mathiae Apostolorum et Omnium Sanctorum: atque eo die pias ad Deum preces effuderint pro haeresum et schismatum exstirpatione, pro fidei catholicae propagatione, christianorum principum concordia atque aliis sanctae Matris Ecclesiae necessitatibus; in singulis diebus hujusmodi plenariam pariter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Praemissa autem peragentibus in aliis quidem diebus festis Domini Nostri Jesu Christi, vel Beatae Mariae Virginis; septem annos et totidem quadragenas: in quocumque die Dominico, seu alio anni festo, quinque annos et totidem quadragenas: in quolibet vero alio anni die, centum dies: similiter iis, qui detentos in carcere, vel infirmos alicujus hospitalis visitaverint, eis aliquo pio opere subveniendo: aut doctrinam christianam in ecclesia vel domi proprios filios, consanguineos, vel famulos docuerint, quoties haec fecerint, ducentos dies. Illis insuper, qui campanae alicujus ecclesiae ad id dato signo, sive matutino, sive meridiano, sive vespertino consuetas preces *Angelus Domini* etc. vel si eas ignoraverint, semel Orationem Dominicam et semel etiam Salutationem Angelicam: aut pariter dato simili signo pro defunctis Psalmum *De profundis,* vel si illum nesciverint, semel Orationem Dominicam et semel Salutationem Angelicam praefatas recitaverint: quive feria sexta cujuslibet hebdomadae Passionem et Mortem Domini Nostri Jesu Christi devote meditati fuerint, ac ter eo die Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam supradictas dixerint: vel qui cum vero dolore de peccatis et stabili emendationis proposito conscientiam suam examinaverint, ac ter Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam praefatas, sive ter etiam illas in honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, aut quinquies utramque in memoriam quinque plagarum Domini Nostri Jesu Christi devote recitaverint: aut demum qui semel saltem in hebdomada coronam seu rosarium, aut Officium Beatae Mariae Virginis, seu defunctorum, seu Vesperas et unum saltem Nocturnum cum Laudibus, aut septem Psalmos poenitentiales cum Litaniis et precibus recitare consueverint, quo die haec fecerint, ultra indulgentias et

peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes a fel. rec. Pio PP. V., Praedecessore Nostro iis, qui praemissa peregerint, concessas, centum dies. Iis quoque, qui ante Missae celebrationem, seu Sacram Communionem, seu recitationem Officii divini ordinarii, vel Beatae Mariae Virginis aliquam orationem praeparatoriam fecerint; quoties id egerint: vel qui pro fidelibus in extremo vitae agone constitutis devote oraverint, aut pro illis semel saltem Orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam dixerint, quo die id fecerint, quinquaginta dies de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino, dicta auctoritate, tenore praesentium relaxamus. Postremo eisdem, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones praefatas animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, eadem auctoritate, harum serie concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 2. Volumus autem, ut earumdem praesentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem fides ubique locorum adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 28 Januarii 1688 Pontificatus Nostri anno duodecimo.

3.

Summarium indulgentiarum rosariis, seu coronis S. Birgittae nuncupatis per PP. Superiores monasteriorum, aut alios sacerdotes ad id deputatos benedictis concessarum.

SSmus D. N. Benedictus PP. XIV. rosariis, seu coronis S. Birgittae nuncupatis per PP. Superiores monasteriorum,

---

[1]) Brigidas sive, ut ajunt, Birgittas duas veneratur Ecclesia Dei, quae interdum licet perperam confunduntur; altera, quae in Hibernia, S. Patricio auspice ac duce,

aut alios sacerdotes Ordinis Sanctissimi Salvatoris, sive ejusdem S. Birgittae ad id deputatos benedictis praeter indulgentias a s. m. Leone X. et Clemente XI. ut infra concessas, et a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 4 Decembris 1714 recognitas atque approbatas, alias per suum Breve diei 15 Januarii 1743 novissime addidit atque concessit.

Canonissarum Regularium institutum et secuta est et mirifice propagavit, altera Svedensis, de qua agimus, cujus praeclara sunt religionis exempla et incitamenta, Revelationes nempe illae, quas Ecclesia magno semper in honore habuit, Ordo SSmi Salvatoris, quem in Vastanensi monasterio instituit sub regula S. Augustini tam pro viris quam pro mulieribus, ita ut eidem ecclesiae distinctis horis ac locis Deo Salvatori inservirent fratres et sanctimoniales, et inter cetera, institutio Coronae in memoriam annorum, quos in terris B. Virgo Dei Genitrix transegisse fertur. Corona haec constat sex decadibus, et in qualibet decade recitatur Oratio Dominica, Angelica Salutatio decies repetita, et Apostolorum Symbolum, et in fine aliud *Pater noster* cum tribus aliis Angelicis Salutationibus. Virtutem, quam Deus huic coronae contulit, fideles vel ab ipsa institutione experti sunt, et celebre factum est, quod enarrat Surius (die 23 Julii) de aegrota quadam, cujus salus omnino conclamata erat, quam Sancta Birgitta admovens coronam suam illico integrae valetudini Romae restituit. Hinc cum in dies excrescerent coronae ipsius usus et cultus, peculiaribus eam indulgentiis donarunt Romani Pontifices, Leo X. praesertim, Clemens XI. et Benedictus XIV., ut allato hic elencho apparet, ea autem lege, ut benedicenda esset nonnisi a Patribus Ordinis SS. Salvatoris, quos Sancta ipsa instituerat.

Verum ut indulgentiarum hujusmodi beneficium latius propagaretur, easdem concessere deinde Romani Pontifices coronis communibus B. M. Virginis, seu rosariis vel quinque vel quindecim decadum, et cum in finem elapsi saeculi Ordo S. Brigidae plane senesceret usque ad exstinctionem, facultas benedicendi coronas communes cum applicatione indulgentiarum S. Brigidae transiit sensim in Ordinem Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Lateranensium, ea fortasse de causa, quod hic Ordo cum Ordine S. Brigidae societatem nominis, regulae et institutorum aliquot habeat.

Cum vero authentica hujusce facultatis monumenta minime reperirentur fortasse ex jacturis, quas saec. XVIII. exeunte et anno 1849 Romanum Canonicorum Regularium tabularium fecerat, hinc Abbas Generalis Canonicor. Regul. Sanctissimi Salvatoris Lateranen. ut omnis incertitudo ac dubitatio submoverentur, rerum omnium serie exposita, a SS. D. N. Pio PP. IX. humiliter petiit, ut de Apostolica benignitate consulere dignaretur. Annuit quidem votis clementissimus Pater, et per Literas in forma Brevis *Exponendum Nobis nuper* die 5 Aprilis 1864, et, ut ibidem legitur, *ad memorati Ordinis, qui viris bene de re catholica meritis semper eluxit, decus augendum animarumque salutem procurandam,* haec confirmavit, et, quatenus opus sit, de novo tribuit atque concessit: 1°. Ut Superior Generalis et Superiores locales Ordinis facultate gaudeant benedicendi coronas precatorias ad quemcumque numerum cum applicatione indulgentiarum S. Birgittae nuncupatarum. 2°. Ut eamdem facultatem impertiri valeant sacerdotibus sui Ordinis. 3°. Ut Abbas Generalis *pro tempore* subdelegare in perpetuum possit sacerdotes saeculares et Regulares cujuscumque Ordinis atque Instituti ad benedicendas coronas ut supra usque ad n. 300, extra Urbem, de consensu Ordinariorum. (Ex libello, cui titulus: *Facultas benedicendi coronas cum applicatione indulgentiarum S. Brigidae* Romae 1878.)

I. Qui pro suo arbitrio rosarium seu coronam S. Birgittae nuncupatam, ut supra benedictam devote recitaverit, centum dierum pro qualibet oratione Dominica, et pro qualibet Salutatione Angelica, necnon centum dierum pro quolibet, si dixerit, Symbolo Apostolico indulgentiam lucrabitur. *(Leo X. 6 Idus Julii 1515.)*

II. Qui dictum rosarium, seu coronam integram quindecim decadum recitaverit, praeter praedictas centum dierum, etiam septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam acquiret. *(Idem Leo X. loc. cit.)*

III. Qui idem rosarium, seu coronam cum alio vel aliis recitaverit, omnes et singuli recitantes easdemmet indulgentias, perinde ac si quisque seorsim id egerit, consequentur. *(Idem Leo X. loc. cit.)*

IV. Quilibet easdem indulgentias aut sibi acquirere, aut per modum suffragii animabus purgatorii applicare valet. *(Benedictus XIV. 10 Martii 1742.)*

V. Qui dictam coronam quinque saltem decadum per integrum annum quotidie recitaverit, et vere poeniteus, confessus, ac sacra Communione refectus pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderit, die per unumquemque eligenda semel in anno plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam cum facultate illam etiam per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicandi, adipiscetur. *(Clemens XI. 22 Sept. 1714.)*

VI. Qui saltem semel in hebdomada dictam coronam quinque saltem decadum recitare consueverit, et in festo ejusdem S. Birgittae confessus et sacra Communione refectus propriam cujusque parochialem ecclesiam devote visitaverit, ac in ea, ut praefertur, oraverit, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam assequetur. *(Benedictus XIV. 15 Jan. 1743.)*

VII. Qui in articulo mortis constitutus animam suam Deo devote commendans, praemissa peccatorum suorum confessione, sumptaque sanctissima Eucharistia, si potuerit, sin minus, elicita cordis contritione, ore, si potuerit, alioquin corde saltem Jesu Nomen invocaverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam consequetur. *(Idem loc. cit.)*

VIII. Qui eamdem coronam per mensem continuum quotidie recitaverit, et confessus, ac sacra Communione refectus die intra ejusmodi mensem per unumquemque eligenda aliquam ecclesiam devote visitaverit, ac in ea Deum, prout supra, oraverit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam lucrabitur. *(Id. loc. cit.)*

IX. Qui eamdem coronam penes se deferens pro Christifidelibus in agone constitutis ad signum campanae flexis genibus Deum deprecabitur, qua vice id egerit, indulgentia dierum quadraginta fruetur. *(Id. loc. cit.)*

X. Qui apud se dictam coronam habens vere peccatorum suorum poenitens conscientiam suam examinaverit, ac ter Orationem Dominicam, et ter Salutationem Angelicam recitaverit, indulgentia viginti dierum gaudebit. *(Id. loc. cit.)*

XI. Qui ipsam coronam retinens sacrosancto Missae Sacrificio quocumque feriato vel festivo die, aut verbi Dei praedicationi devote interfuerit, aut SSmum Eucharistiae Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverit: aut devium aliquem ad viam salutis reduxerit; vel in honorem D. N. Jesu Christi, seu B. Mariae Virginis, aut ejusdem S. Birgittae quodcumque pium opus peregerit, et ter Orationem Dominicam, terque Salutationem Angelicam recitaverit, indulgentiam centum dierum consequetur. *(Id. loc. cit.)*

XII. Quilibet omnes et singulas praefatas indulgentias, ac peccatorum remissiones necnon poenitentiarum relaxationes aut sibi, aut per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicare poterit. *(Id. loc. cit.)*

Ad lucrifaciendas omnes et singulas praedictas indulgentias ejusmodi coronae seu rosaria a praefatis PP. Ordinis Sanctissimi Salvatoris, sive B. Birgittae debent esse prius benedicta, aliter nulla prorsus gaudent indulgentia.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita innovando decretum diei 26 Novembris 1714 vetuit, ne ejusmodi coronae seu rosaria, utpote benedicta vendantur, aut alteri commodentur, aut precario dentur, alioquin careant indulgentiis jam concessis, et aliqua perdita altera pro ea subrogari nullo modo possit, nisi a quibus supra benedicta fuerit. Insuper ad humillimas preces moderni prae-

dicti Ordinis Procuratoris Generalis suprascriptum indulgentiarum Summarium, annuente ad relationem per me infrascriptum Secretarium factam SSmo D. N. Benedicto PP. XIV. sub die 9 Februarii 1743 quocumque idiomate in quibuslibet locis catholicis imprimi posse censuit.

A. Card. **S. Clementis.**
A. M. Erba, Prot. Ap. Secret.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari permisit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 9 Julii 1878.

A. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

4.

Summarium indulgentiarum numismatibus S. Benedicti concessarum.

(Habetur supra, pag. 160. in Rescripto 199.)

II. Summaria indulgentiarum nonnullis ecclesiis celebrioribus concessarum.

5.

Summarium indulgentiarum et spiritualium gratiarum, quibus ecclesiae, altaria, capellae, oratoria, confraternitates et pia loca sacrosanctae Vaticanae Basilicae Principis Apostolorum de Urbe aggregata Apostolica auctoritate ditantur.

(Ex Benedicti XIV. Constit. *Ad honorandum* d. d. 6 Kal. April. 1752.)

. . . §. 45. Animo perpendentes, ex praeteritorum temporum monumentis constare, praedictae Vaticanae Basilicae Capitulum et Canonicos, Apostolicis procul dubio indultis munitos, indulgentias ac peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes aliasque spirituales gratias ex Apostolica Romanorum Pontificum liberalitate eidem Basilicae, videlicet eamdem visitantibus, ibique divinam Majestatem orantibus et venerantibus concessas aliis quoque per orbem ecclesiis quoquo modo sibi unitis aut subjectis communicare et ad eas extendere consuevisse; Nos hujusmodi facultatem,

qua etiam dilecti filii tam Capitulum et Canonici S. Joannis in Laterano, quam Capitulum etiam et Canonici S. Mariae Majoris, Patriarchalium Urbis ecclesiarum ex Apostolicis privilegiis actu vigentibus gaudere dignoscuntur, praedictorum quoque Vaticanae Basilicae Capituli et Canonicorum favore innovare ac etiam ex integro praesentium tenore concedere et elargiri decrevimus. Itaque motu proprio et ex certa scientia eisdem Capitulo et Canonicis quascumque ecclesias, capellas, altaria, oratoria, confraternitates, hospitalia aliaque pia loca tam erecta quam erigenda, et tam in locis ipsius Basilicae ac eorumdem Capituli et Canonicorum, quam etiam in aliis civitatibus et locis quorumcumque Ordinariorum jurisdictioni subjectis existentia, ipsi Vaticanae Basilicae aggregandi et ad spiritualium dumtaxat ejusdem Basilicae privilegiorum societatem et communicationem admittendi et recipiendi, ita, ut in vim hujusmodi aggregationis et receptionis infrascriptarum indulgentiarum et relaxationum thesauri ad ipsas ecclesias, capellas, altaria aliaque praemissa ex Nostra et Apostolicae Sedis auctoritate ampliati et extensi censeantur, amplam et liberam facultatem sub infrascriptis tamen conditionibus, et non alias, praesentium serie concedimus et impertimur. Volumus nimirum, ut in singulis civitatibus, oppidis vel locis unam dumtaxat ex hujusmodi ecclesiis seu capellis, altaribus, oratoriis, confraternitatibus, hospitalibus aliisque locis piis quomodocumque nuncupatis hujusmodi aggregationis et communicationis munere ditare possint; dummodo ecclesia aut oratorium sic aggregandum, seu illa ecclesia, in qua capella vel altare praedictum exstiterit, etiamsi alias eorumdem Capituli et Canonicorum jurisdictioni subesse dignoscatur, ecclesia conventualis Regularium aut Monialium non sit; nec ecclesia, capella, altare, oratorium, pius locus aut confraternitas hujusmodi ulli alteri ecclesiae aut ulli Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati et Congregationi, a qua indulgentiarum communicationem seu participationem pro omnibus Christifidelibus ecclesiam ipsam seu oratorium visitantibus obtineat, aggregata sit aut subjecta, et dummodo Ordinarii loci expressus ad id consensus accedat, ejusdemque

Ordinarii testimonialibus literis hujusmodi ecclesiae, capellae, altaria, seu oratorii celebritas vel confraternitatis aut loci pii institutum et christianae pietatis et charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eosdem Capitulum et Canonicos commendentur. Neque vero per hujusmodi aggregationes et receptiones ullum omnino praejudicium seu imminutio eorumdem Ordinariorum jurisdictioni irrogari vel aliqua eisdem ecclesiis aut locis piis aliisque praemissis exemptio, seu dictis Capitulo et Canonicis in easdem ecclesias vel loca pia aliaque praemissa, seu in personas illarum illorumque regimini, administrationi aut servitiis deputatas ullum omnino jurisdictionis et auctoritatis genus acquiri, seu respective augeri censeatur. Facultatem tamen indulgendi, prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit, ut in una eademque civitate aut oppido, duabus ecclesiis seu capellis, vel altaribus, oratoriis, confraternitatibus aut locis piis, ubi speciales id generis circumstantiae suadeant, hujusmodi indulgentiarum communicatio a dictis Capitulo et Canonicis concedi possit, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae per praesentes perpetuo tribuimus et impertimur.

§. 46. Nos autem omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui hujusmodi ecclesias, capellas, oratoria seu altaria eidem Vaticanae Basilicae, servatis ut supra servandis, aggregata in Epiphania D. N. J. Ch. ac Dominicae Pentecostes et Natalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Dedicationis ipsius Vaticanae Basilicae diebus festis a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, necnon in una ex sextis feriis mensis Martii vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et christianorum principum concordia pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Iis vero, qui in Natalitiis Sanctorum Apostolorum Andreae, germani fratris ejusdem beati Petri, necnon Simonis et Judae,

quorum corpora in dicta Vaticana Basilica requiescunt, et in utraque Cathedra, necnon in die octava Natalis ejusdem beati Petri ac in festo ipsius Vinculorum, item in Commemoratione S. Pauli Apostoli et in ejusdem Conversione ac in festo S. Marci Evangelistae, necnon in reliquis sextis feriis mensis Martii, quibus nimirum ad sacra Dominicae Passionis monumenta, quae in dicta Basilica asservantur, pie veneranda totius Urbis devotio concurrit, vere poenitentes et confessi praemissa peregerint, septem annos et totidem quadragenas: qui autem illas et illa a die festo Ascensionis D. N. J. Ch. usque ad Kalendas Augusti, quo tempore ipsa Vaticana Basilica in honorem sanctorum Martyrum, quorum corpora magno numero in ea condita sunt, assiduo Christifidelium concursu frequentatur, vere poenitentes et cum proposito saltem confitendi visitaverint, ibique ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor annos et totidem quadragenas, in reliquis autem singulis anni diebus centum dies de injunctis eis seu alias debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

§. 47. Denique ut ii, qui in diebus Stationum ejusdem Vaticanae Basilicae in Missali Romano descriptis, nimirum Dominica III. Adventus, omnibus sabbatis Quatuor Temporum, in Epiphania Domini, Dominica Quinquagesimae, Dominica Passionis, feria II. Resurrectionis Domini, in festo S. Marci Evangelistae, feria IV. Rogationum, in festo Ascensionis D. N. J. Ch. ac Dominica Pentecostes aliquam ex dictis ecclesiis seu capellis, aliisque superius expressis, cum dicto poenitentiae affectu et confessionis proposito visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, indulgentias stationales, quas visitantes dictam Vaticanam Basilicam iisdem diebus consequuntur; qui vero duodecim vicibus in quolibet anno, totidem nempe diebus ab Ordinario loci semel tantum designandis septem altaria in qualibet ex dictis aggregatis ecclesiis ab Ordinario similiter designanda, ut praefertur, dispositi ac Deum orantes visitaverint, easdem quoque indulgentias, quae visitantibus septem designata altaria in eadem Basilica existentia concessae sunt, ipsi quoque, perinde ac si Basilicam ipsam, seu respective altaria hujusmodi

in ea sita personaliter visitarent, consequi possint et valeant, similiter concedimus et indulgemus.

§. 48. Volumus autem, ut hujusmodi indulgentiae et gratiae spirituales dictis aggregatis seu aggregandis ecclesiis, capellis, altaribus, oratoriis, hospitalibus, confraternitatibus et locis piis ab iisdem Capitulo et Canonicis nominatim et cum expressa mentione facultatis sibi per praesentes a Nobis impertitae, aliisque servatis, quae in Apostolica Constitutione fel. rec. Praedecessoris Nostri Clementis PP. VIII. die 7 Dec. anni Domini 1604 edita, quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica,* praesertim circa gratuitam literarum expeditionem, iisque etiam, quae in decretis a dicta Congregatione Indulgentiis et sacris Reliquiis praeposita die 6 Martii anni 1608 et die 10 Aprilis anni 1720 editis statuta sunt, et non aliter, communicari possint et valeant.

6.

Summarium indulgentiarum ecclesiae Lateranensi et aliis ecclesiis eidem incorporatis concessarum.

(Ex Bened. XIV. Constit. *Assiduae sollicitudinis.* d. d. pridie Nonas Maji 1751.)

Motu proprio, et certa scientia, infrascriptas leges et ordinationes circa praemissa, praesentium Litterarum tenore et Apostolica auctoritate duximus statuendas.

§. 7. In primis videlicet, omnes et singulas indulgentias et peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes, aliasque gratias spirituales tam pro vivis, quam pro defunctis, dictae Basilicae Lateranensi a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus concessas, quae jamdudum, ipsis Romanis Pontificibus scientibus et consentientibus, publice in eadem Basilica proponi consueverunt, etiamsi de illarum primaeva concessione certa monumenta nunc non appareant, praedictis motu, scientia, tenore et auctoritate approbamus et confirmamus, eidemque Basilicae, perinde ac si per praesentes ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus atque decernimus.

§. 8. Quo vero ad eas indulgentias et remissiones seu relaxationes hujusmodi, quae a praedictis Capitulo et Canonicis hactenus quibuslibet ecclesiis, altaribus, capellis, ora-

toriis, Confraternitatibus, aut locis piis ejusdem Basilicae membris eidemque subjectis et incorporatis, ubicumque existentibus, quorumlibet indultorum, privilegiorum aut facultatum vigore, sive generaliter et adinstar, sive specialiter, et nominatim communicatae fuerunt, sive etiam ex directa Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum concessione ad illas et illa extensae dici possent, quaecumque illae sint, Nos eas omnes et singulas, simili motu, auctoritate et tenore, interim suspendimus, et tamdiu effectu carere volumus et decernimus, donec, prolatis authenticis indultorum, privilegiorum et facultatum hujusmodi monumentis, de certa praedictorum Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum voluntate et concessione, quoad communicationes et extensiones hujusmodi, Nobis vel Successoribus Nostris, seu dictae Congregationi constiterit.

§. 9. Interea tamen, easdem ecclesias, altaria, capellas, oratoria, confraternitates et loca pia dictae Basilicae membra, hactenus erecta, seu eidem subjecta et incorporata, ubicumque existentia, Nos infrascriptarum indulgentiarum et gratiarum spiritualium, quae usque ad statutum suspensionis praedictae terminum valiturae sint, muneribus ditare decrevimus.

§. 10. Omnibus nimirum utriusque sexus Christifidelibus, qui illas et illa in Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Evangelistae et Dedicationis ejusdem Lateranensis Basilicae diebus festis, vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et christianorum principum concordia, pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et impertimur.

§. 11. Iis vero, qui in reliquis Sanctorum Apostolorum festis, nimirum Andreae, Jacobi, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, ac Mathiae, vere

poenitentes et confessi praemissa peregerint, septem annos et totidem quadragenas.

§. 12. Qui autem illas et illa a Dominica prima Adventus usque ad festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, et a feria IV Cinerum usque ad festum Resurrectionis Dominicae, vere poenitentes et cum proposito saltem confitendi, visitaverint ibique, ut supra, oraverint, singulis diebus, quibus id egerint, quatuor annos et totidem quadragenas, in reliquis autem singulis anni diebus, centum dies de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

§. 13. Denique ut ii, qui in diebus Stationum ejusdem ecclesiae Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum, feria V in Coena Domini, sabbato sancto, sabbato in Albis, feria III Rogationum et sabbato in vigilia Pentecostes, aliquam ex dictis ecclesiis aliisque superius expressis, cum dicto poenitentiae affectu et confessionis proposito visitaverint ibique, ut praefertur, oraverint, indulgentias stationales, quas visitantes dictam ecclesiam Lateranensem iisdem diebus consequuntur, ipsi quoque, perinde ac si eamdem ecclesiam personaliter visitarent, consequi possint et valeant, similiter concedimus et indulgemus.

7.

Summarium indulgentiarum Basilicae S. Mariae ad Martyres concessarum.

(Ex Clementis PP. XIII. Literis Apostolicis *Christianae fidei* d. d. V. Kal. Januarii 1765.)

. . . Nos, ne deinceps incertus quoquomodo putari queat indulgentiarum thesaurus, quem in templum illud Praedecessores nostri velut effuderunt, cunctisque perspectis, quas indulgentias et remissiones fidelium quisque inibi lucrari poterit, supplicationibus eorumdem Capituli et Canonicorum Nobis super hoc porrectis benigne inclinati, pioque desiderio flagrantes, ut fidelium omnium religio, cultusque in ipsa ecclesia augeatur, ex voto dilecti filii nostri Nicolai, Tituli Sanctorum Nerei et Achillei S. R. E. Presbyteri Cardinalis Antonelli nuncupati, Congregationis ejusdem S. R. E. Car-

dinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae Praefecti, per dilectum etiam filium Magistrum Stephanum Borgia, Nostrum et Sedis Apostolicae Notarium Protonotarium nuncupatum, dictae Congregationis a Secretis, Nobis oblato, re accurate perpensa, supernoque implorato auxilio, auctoritate Nobis a Domino tradita, de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum auctoritate confisi, eas omnes in primis indulgentias et poenarum relaxationes, etiam Stationum, a Praedecessoribus Nostris visitantibus praedictam ecclesiam alias concessas, et signanter quae a Paulo III. et Gregorio XIII. etiam Praedecessoribus Nostris, ad instar sepulchri Dominici, Montis Sinai, et aliorum Terrae Sanctae nuncupatae locorum, inibi visitantibus capellam Sancti Josephi, Sponsi B. M. V. in perpetuum concessae fuere, quas subinde Alexander PP. VIII., Praedecessor quoque Noster, animabus in purgatorio existentibus per modum suffragii applicari posse indulsit, harum serie cum facultate illas, ut praefertur applicandi, specialiter et expresse confirmamus et approbamus, declarantes tamen, indulgentias et relaxationes hujusmodi, non toties quoties eadem die quis capellam ipsam visitaverit, sed semel quolibet die lucrari posse.

Ulterius praeter plenariam indulgentiam in festo dicti Sancti Bonifacii PP. IV. eamdem ecclesiam visitantibus a Nobis nuper concessam auctoritate praemissa omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, sacraque Communione refecti eamdem ecclesiam diebus infrascriptis, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi, devote visitaverint, et inibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, perpetuis futuris temporibus, misericorditer in Domino concedimus, videlicet:

In festo Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis et Transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi, in sacro Pentecostes die, ac solemnitate SSmi Corporis Christi.

In festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis Beatae Mariae semper Virginis.

Item in festis diebus Inventionis sanctae Crucis, Sancti Josephi, Omnium Sanctorum, ac primaevae Dedicationis illius ecclesiae die decima tertia Maji.

Insuper in una ex feriis sextis Quadragesimae per unumquemque Christifidelium eligenda, et in Dominica infra octavam Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, qua de Spiritus sancti adventu proxime recolendo memoria in eadem ecclesia celebratur; ac in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

Itidem omnibus, sive peragentibus, sive comitantibus solemnem supplicationem, quae a pro tempore existentibus Capitulo et Canonicis ipsius ecclesiae, die octava festivitatis Corporis Christi, publice deferendo SSmum Eucharistiae Sacramentum, peragi solet.

Praeter autem praemissas indulgentias omnibus etiam Christifidelibus, qui septem altaria in dicta ecclesia designanda visitaverint, et ut supra oraverint, easdem prorsus indulgentias, quae visitantibus septem altaria in Basilica Principis Apostolorum Urbis ad id designata concessae fuere; ita ut ipsi quoque ibidem, perinde ac si Basilicam ipsam, seu respective illius altaria in eadem sita, personaliter visitarent, indulgentias ipsas consequi possint et valeant, similiter concedimus et indulgemus.

Ita quoque, ipsis Capitulo tamen et Canonicis, aliisque ipsius ecclesiae servitio addictis, qui in diebus Stationum in Missali Romano descriptis, quando Statio in alia quam praemissa ecclesia habetur, eamdem ecclesiam visitaverint, atque ut supra oraverint, ut indulgentias Stationales, perinde ac si Basilicam vel ecclesiam, ubi ea die Statio habetur, personaliter visitarent, in primo dicta ecclesia consequi valeant, concedimus pariformiter et indulgemus.

Porro, cum variae per annum in primo dicta ecclesia functiones, ac publicae communesque habeantur statis diebus preces, ut fideles ad aliquod festum recolendum sese praeparent, ad augendam ipsorum fidelium devotionem, et fovendam piam hanc consuetudinem, omnibus itidem utrius-

que sexus Christifidelibus, qui in singulis ex decem diebus antecedentibus festum Pentecostes, ac etiam in novem diebus praeparationis ad festum Sancti Josephi, pariterque in quolibet ex septem diebus Commemorationem omnium fidelium defunctorum immediate subsequentibus, ac in singulis feriis sextis Quadragesimae, praeter eam, quam quis ad plenariam indulgentiam lucrandam, ut praefertur, elegerit: ac insuper, qui in reliquis praeter praemissas Beatae Mariae Virginis festivitatibus, ipsam ecclesiam a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi devote visitaverint, atque ut supra oraverint, diebus nimirum singulis septem annos et totidem quadragenas de injunctis eis, aut alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta misericorditer in Domino perpetuo relaxamus.

Praeterea, ut ecclesiam ipsam amplissime et cumulatius spiritualibus gratiis ditemus, iisdem fidelibus ut supra vere poenitentibus et confessis, sacraque Communione refectis, eam visitantibus, atque, ut praemissum est, orantibus, auctoritate Nobis, ut praefertur, credita, plenariam quotidie indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino perpetuis itidem futuris temporibus harum serie concedimus.

Omnes autem et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenarum relaxationes, tam plenarias, quam partiales a Nobis, ut praefertur, confirmatas, concessas et impertitas, per quoslibet fideles, qui eas lucraturi erunt, animabus, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, atque in purgatorio exstiterint, per modum suffragii applicari posse, etiam perpetuo generaliter concedimus.

8.

Summarium indulgentiarum Basilicae S. Mariae trans Tiberim concessarum.[1])

I. *Quocumque die semel tantum in anno.* Indulgentia plenaria quotidiana.

[1]) Ultra visitationem ecclesiae et moram in ea per aliquod temporis spatium orando pro exstirpatione haeresum, pace inter principes christianos, et exaltatione S. Matris Ecclesiae, ad lucrandam indulgentiam plenariam requiritur sincera cordis contritio, Confessio sacramentalis, et Eucharistica communio; ad lucrandam partialem saltem contritio cum proposito confitendi. Quando non notatur contrarium,

II. *Quotidie semel tantum.* Quaecumque indulgentia et condonatio poenae, ac si visitassent Sepulcrum Domini, Montem Sinaï aliaque loca Terrae Sanctae. (Benedictus XIII. in Litteris datis 12 Junii 1725 sub annulo Piscatoris.)

Indulgentia ducentorum dierum visitando ecclesiam et imaginem S. Cordis Jesu, quae ibidem honoratur.

III. *Semel tantum in hebdomada.* Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum audiendo instructionem aut Catechismum diebus festivis post Completorium.

IV. *Semel tantum in mense.* Dominica prima cujusque mensis, quaecumque indulgentia plenaria, remissio peccatorum et condonatio poenae, ac si visitassent septem altaria Basilicae S. Petri, visitando altaria Confessionis, B. M. V. de Clementia, Viae cavae *(Strada-cupa),* S. Petri, S. Hieronymi, S. Franciscae Romanae et Sanctissimi Crucifixi in hac ecclesia.

Prima feria sexta cujusque mensis ab ortu solis usque ad occasum visitando ecclesiam et imaginem S. Cordis Jesu, quae ibi honoratur, indulgentia plenaria.

Una die mensis ad cujusque arbitrium eligenda, dummodo intra eumdem saltem ter audierint Catechismum, ut supra visitando ecclesiam, indulgentia plenaria.

V. *Per annum in festis mobilibus.* Indulgentia Stationalis, ac si visitassent ecclesias, in quibus diebus in Missali Romano notatis habetur Statio.

Feria sexta post Dominicam primam Quadragesimae ab ortu solis usque ad occasum, indulgentia plenaria.

Aliis feriis sextis Quadragesimae et mensis Martii ab ortu solis usque ad occasum, ut supra, indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum.

Feria quinta post Dominicam secundam Quadragesimae, et ab ortu solis, ut supra, indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum.

Dominica Passionis ab ortu solis, ut supra, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

---

quaelibet indulgentia acquiri potest a primis Vesperis usque ad solis occasum illorum dierum, quibus est annexa.

Sequenti feria sexta, in festo septem dolorum B. M. V., indulgentia plenaria.

Dominica Palmarum ab ortu solis, ut supra, indulgentia plenaria.

Dominica Resurrectionis, indulgentia plenaria.

Dominica in Albis, octava Paschatis, assistendo ostensione Reliquiarum, aut visitando ecclesiam a primis Vesperis, indulgentia plenaria. (Clemens VIII. Lit. dat. die 10 Aprilis 1593 sub annulo Piscatoris.)

Die Ascensionis Domini, indulgentia plenaria.

Dominica Pentecostes, indulgentia plenaria.

Die festo Corporis Domini, indulgentia plenaria.

Dominica infra octavam ejusdem solemnitatis componendo aut comitando processionem solemnem Sanctissimi Sacramenti, indulgentia plenaria.

Feria sexta, quae sequitur octavam Corporis Christi, festo S. Cordis Jesu, visitando ecclesiam et imaginem dicti S. Cordis, quae ibidem honoratur, indulgentia plenaria.

VI. *Diebus fixis per annum. Mense Januario.* 1. Circumcisio Domini, Statio, indulgentia plenaria, et ab ortu solis ut supra; partialis annorum triginta et totidem quadragenarum.

6. Epiphania Domini, indulgentia plenaria.

23. Desponsatio B. M. V., indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

Mense Februario. 2. Purificatio B. M. V., indulgentia plenaria.

Mense Martio. 9. S. Franciscae Romanae, Viduae, indulgentia plenaria.

16. Translatio antiquae et celebris imaginis Mariae Sanctissimae sub titulo Clementiae, indulgentia plenaria.

19. S. Josephi, Confessoris, Sponsi B. M. V., indulgentia plenaria.

25. Annuntiatio B. M. V., indulgentia plenaria.

Mense Aprili. 12. S. Julii I., Papae et Confessoris, Patroni secundarii Basilicae, visitando ecclesiam et recitando septem *Pater noster* ante altare majus seu confessionem, ubi requiescit ejus corpus, indulgentia plenaria semel in anno

et in articulo mortis (Julius II. Lit. dat. XVI. Kal. Maji anno 1510 sub plumbo).

Mense Majo. 1. SS. Apost. Philippi et Jacobi, indulgentia plenaria.

3. Inventio S. Crucis, indulgentia plenaria.

10. S. Calepodii, presbyteri et Martyris, cujus corpus quiescit in confessione, indulgentia plenaria.

25. S. Bonifacii IV., Papae et Confessoris, indulgentia plenaria. Dominica aut alia die festiva proximiori Kalendis Junii, visitando ecclesiam ibique sumendo S. Eucharistiae Sacramentum occasione Communionis generalis ad terminandum pium exercitium mensis Mariani, indulgentia plenaria.

Mense Junio. 4. S. Quirini, Episcopi et Martyris, cujus corpus quiescit in confessione, indulgentia plenaria.

Dominica tertia hujus mensis manifestatio prodigiosae imaginis Mariae Sanctissimae sub titulo Humilitatis, dictae Viae cavae *(Strada-cupa)*, visitando ecclesiam et ejus capellam, indulgentia plenaria (Urbanus VIII. Lit. dat. die 15 Maji 1632 sub annulo Piscatoris).

29. SS. Apost. Petri et Pauli, indulgentia plenaria.

Mense Julio. 2. Visitatio B. M. V., indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

16. Commemoratio ejusdem B. M. V. sub titulo Carmeli, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

26. S. Annae, matris B. M. V., indulgentia plenaria.

Mense Augusto. 5. B. M. V. ad Nives, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

6. Transfiguratio Domini, indulgentia plenaria.

15. Assumptio B. M. V., titularis Basilicae, indulgentia plenaria.

22. Octava ejusdem festi, Statio et remissio vetustiss. in nostris codicibus memorata.

25. S. Bartholomaei Apostoli, indulgentia plenaria.

Mense Septembri. 8. Nativitas B. M. V., indulgentia plenaria.

14. Exaltatio S. Crucis, indulgentia plenaria.

16. S. Cornelii, Papae, cujus corpus requiescit in confessione, indulgentia plenaria.

24. Mariae Sanctissimae de Mercede, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

Mense Octobri. Dominica prima hujus mensis, festum Sanctissimi Rosarii B. M. V., indulgentia septem annorum et septem quadragenarum.

14. Calixti I. Papae et Martyris, fundatoris et patroni Basilicae, cujus corpus requiescit in confessione, indulgentia plenaria (Paulus V. Lit. dat. 5 Octobris anno 1615 sub annulo Piscatoris).

Dominica infra octavam ejusdem festi, Statio (vetustiss. et memorata in Litteris Calixti II., VII. Kal. Julii anno 1123).

Mense Novembri. 1. Festum Omnium Sanctorum, indulgentia plenaria.

2. Commemoratio fidelium defunctorum, indulgentia plenaria.

15. Dedicatio hujus Basilicae, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei octavae, indulgentia plenaria una vice.

21. Praesentatio B. M. V., indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

Mense Decembri. 8. Conceptio immaculata B. M. V., indulgentia plenaria.

10. Translatio sacrae domus Lauretanae, indulgentia septem annorum et septem quadragenarum.

18. Exspectatio partus B. M. V., indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum.

25. Nativitas D. N. J. Ch., indulgentia plenaria.

Altare praesepii D. N. J. Ch. in hac Basilica est quotidie privilegiatum in perpetuum pro omni Missa, quae in eo celebratur pro liberatione unius animae e purgatorio (Gregorius XIII. Lit. dat. anno 1578 Non. Febr. sub plumbo. Clemens XII. Lit. dat. die 18 Junii 1739 sub annulo Piscatoris).

Quaelibet indulgentia plenaria affixa diebus festivis de praecepto notatis in tabella, sive fuerint Domini, sive Beatissimae Virginis aut Sanctorum, potest acquiri usque ad occasum solis diei octavae respectivarum solemnitatum, semel tantum. (Rescriptum S. C. I. 16 Decembris 1844.)

Hoc Summarium italico sermone exaratum cum alteri sit conforme Decreto diei 10 vertentis mensis recognito atque probato, in quo sacrae indulgentiae recensentur Basilicae S. Mariae Transtiberinae per Romanos Pontifices attributae, quas Sanctissimus Dominus Noster Gregorius PP. XVI. confirmavit, atque perpetuis futuris temporibus duraturas esse voluit, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita typis imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Julii 1844.

Gabriel Card. **Ferretti**, Praef.
Aloysius Archipr. **Prinzivalli**, Substit.

9.

Summarium indulgentiarum ecclesiis sacrae aedi Lauretanae aggregatis concessarum.

(Ex s. m. Pii PP. IX. Literis Apostolicis *Inter omnia* d. d. 7. Kal. Sept. 1852.)

. . . Nos autem vota et preces hujusmodi [1]) lubenti animo perpendentes, simulque exoptantes, ut natalis immaculatae Virginis tecti sanctitas et mortalium erga Lauretanam Deiparam religio ubique terrarum magis efflorescat, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine primum omnes et singulas indulgentias ac peccatorum seu poenarum remissiones et relaxationes aliasque spirituales gratias tam pro vivis quam pro defunctis dictae Lauretanae domui ab enuntiatis Praedecessoribus Nostris quomodolibet concessas, dummodo in usu sint, nec revocatae aut sub aliqua revocatione comprehensae, Apostolica auctoritate harum serie confirmamus et approbamus, eidemque sacrae aedi perinde ac si per praesentes ex integro ipsi concederentur, sine ulla contradictione competere declaramus. Dein vero confidentes hanc Nostram concessionem christianae plebis devotioni congrue respondere posse, memoratae Con-

[1]) Eminentissimus Cardinalis Antonelli, tunc temporis Sacrae Congregationis Lauretanae Praefectus, a Summo Pontifice efflagitaverat, *„ut eidem Lauretanae aedi jus tribuere velit, quascumque ecclesias, altaria et loca pia ipsi sacrosancto Virginis domicilio aggregandi, et fideles illas et illa rite visitantes ad indulgentiarum participationem admittendi.“*

gregationi ac pro ea laudato hodierno et pro tempore existenti illius Praefecto quascumque ecclesias et oratoria tam erecta quam erigenda in quibusvis civitatibus et locis quorumlibet Ordinariorum jurisdictioni subjectis exstantia relatae sacrae aedi Lauretanae aggregandi et ad spiritualium dumtaxat ejusdem augustissimae domus privilegiorum societatem et communionem admittendi et recipiendi, ita ut in vim hujusmodi aggregationis et receptionis infrascriptarum indulgentiarum et relaxationum thesauri ad ipsas ecclesias et oratoria ex Nostra et hujus Apostolicae Sedis auctoritate ampliati et extensi censeantur, amplam et liberam facultatem sub infrascriptis conditionibus et non alias, praesentium tenore concedimus et impertimur. Volumus nimirum, ut in singulis civitatibus, oppidis vel locis unam dumtaxat ex dictis ecclesiis seu oratoriis hujusmodi aggregationis et communionis munere ditare possit, dummodo tamen juxta praescriptum Constitutionis fel. rec. Clementis Papae VIII. etiam Praedecessoris Nostri die 7 mensis Decembris anni Domini 1604 editae et incipientis *Quaecumque a Sede Apostolica* ecclesia aut oratorium sic aggregandum conventuale Regularium seu Monialium non sit, nec ecclesia et oratorium hujusmodi ulli alteri ecclesiae, sive ulli alteri Ordini, Religioni, Instituto, Archiconfraternitati et Congregationi, a qua indulgentiarum communionem seu participationem pro omnibus Christifidelibus ecclesiam ipsam seu oratorium visitantibus obtineat, aggregatum sit aut subjectum, et dummodo Ordinarii loci testimonialibus literis hujusmodi ecclesiae seu oratorii celebritas apud Lauretanam Congregationem ejusve Praefectum hujusmodi commendetur. Neque vero per hasce aggregationes et receptiones ullum omnino praejudicium seu imminutio eorumdem Ordinariorum jurisdictioni irrogari, aut aliqua eisdem ecclesiis aut oratoriis exemptio, seu dictae domui et Congregationi Lauretanae in easdem ecclesias vel oratoria, sive in personas illarum illorumve regimini et administrationi aut servitiis deputatas ullum omnino jurisdictionis et auctoritatis genus acquiri censeatur. Facultatem autem indulgendi (prout alias in certis casibus ab Apostolica Sede benigne indulgeri consuevit), ut in una eademque

civitate aut oppido duabus ecclesiis seu oratoriis, ubi speciales id circumstantiae suadeant, hujusmodi indulgentiarum communicatio a dicta Lauretana Congregatione ejusve Praefecto concedi possit, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum praefatae S. R. E. Cardinalium Indulgentiis et Sacris Reliquiis praepositae per praesentes perpetuo tribuimus et impertimur.

Nos autem utriusque sexus Christifidelibus, qui hujusmodi ecclesias et oratoria eidem Lauretanae Domui, servatis servandis, aggregata in Domini Nostri Jesu Christi Nativitatis, ac in Beatae Mariae Virginis Conceptionis, Nativitatis et Annuntiationis, necnon in Sacrae Domus in Italiam adventus festis diebus a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti devote visitaverint, ibique pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione et christianorum principum concordia pias ad Deum preces effuderint, quolibet ex diebus praedictis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quae applicari etiam possit per modum suffragii pro animabus Christifidelium in purgatorio detentis, misericorditer in Domino concedimus et impertimur. Iis vero, qui in aliis Domini et Deiparae solemnioribus festivitatibus, ac in diebus festis divae Annae et sancti Joseph vere poenitentes et confessi, itemque Angelorum Pane refecti praemissa peregerint, septem annos et totidem quarantenas de injunctis eis, seu alias debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus.

Praecipimus insuper, ut hujusmodi indulgentiae et gratiae spirituales dictis aggregandis ecclesiis et oratoriis a praefata Congregatione, et pro ea ab illius Praefecto nominatim et cum expressa mentione facultatis sibi per praesentes a Nobis impertitae, aliisque servatis, quae in superius memorata Constitutione praefati Clementis Praedecessoris praesertim circa gratuitam literarum expeditionem, iisque etiam, quae in decretis a dicta Congregatione Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 6 Martii anni 1608 et 10 Aprilis anni 1720 editis statuta sunt, et non aliter, communicari possint et valeant . . . . . .

10.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum concessorum piae domui exercitiorum apud Pontem Palatinum (vulgo Ponte Rotto) et venerabili ecclesiae S. Eligii trans Tiberim addictae eidem piae domui.

RR. Deputatis. 1°. Facultas benedicendi in dicta pia domo coronas, numismata, cruces et crucifixos, cum iisdem indulgentiis, quas iisdem annectit Summus Pontifex, in favorem exercitantium.

2°. Facultas benedicendi Scapularia Conceptionis, montis Carmeli, et Septem Dolorum cum indulgentiis Ordinum respectivorum in favorem exercitantium, qui iisdem adscribuntur in dicta pia domo.

3°. Facultas adscribendi exercitantes dictis Scapularibus mediante sola eorumdem impositione, injungendo ut ad lucrandas respectivas indulgentias quotidie recitent solummodo tria *Ave Maria,* et possunt ad beneplacitum suum subrogare aliud Scapulare non benedictum statim ac primum erit detritum; et ita successive.

4°. Possunt gaudere hoc favore articulo tertio indicato etiam omnes sacerdotes, qui operam suam praestant in dicta pia domo, observando easdem conditiones.

5°. Indultum altaris privilegiati personalis celebrando in quocumque altari dictae piae domus durante tempore exercitiorum spiritualium.

RR. Deputatis, sacerdotibus adscriptis et exercitantibus. 6°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in omni et singula functione, quae exercetur tempore sanctorum exercitiorum, dummodo saltem contrito sint corde.

7°. Indulgentia plenaria in ultima benedictione, quae dari solet cum SS. Crucifixo in fine exercitiorum, dummodo confessi et sacra Communione refecti orent juxta intentionem Summi Pontificis.

8°. Indulgentiae stationales dictae, illis diebus, quibus durante tempore exercitiorum spiritualium seu sacrorum secessuum tempore, occurrunt stationes descriptae in Missali Romano, dummodo adimpleant conditiones talibus diebus

praescriptas, et loco ecclesiae stationalis visitent in dicta pia domo sacellum Reliquiarum.

9°. Indulgentiae septem ecclesiarum visitando ultima die bacchanalium viam crucis in dicta pia domo, lucrandae ultra indulgentias annexas eidem viae crucis, dummodo confessi et sacra Communione refecti visitent capellam sanctissimi Sacramenti, ibique orent juxta mentem Summi Pontificis.

Solis Praedicatoribus et exercitantibus. 10°. Indulgentia plenaria in die Communionis generalis tam in fine exercitiorum quam sacrorum secessuum, dummodo confessi et sacra Communione refecti, visitent capellam principalem dictae piae domus, orando juxta mentem Summi Pontificis et dummodo exercitiis interfuerint quinque diebus, et duabus vicibus secessui.

Omnibus fidelibus. 11°. Indulgentia plenaria visitando unam ex capellis dictae piae domus in festo S. Franciscae Romanae, incipiendo a primis Vesperis, dummodo confessi fuerint et sacra Communione refecti, orentque juxta mentem Summi Pontificis.

12°. Omnes indulgentiae concessae visitanti loca Terrae Sanctae, visitando corde contrito stationes viae crucis erectae in dicta pia domo.

13°. Indulgentia centum dierum devote et corde contrito osculanti magnam imaginem sanctissimi Crucifixi in capella sacrarum Reliquiarum, pro singulis vicibus.

14°. Indulgentia centum dierum quotiescumque corde contrito ante imaginem B. M. V. in sacello principali dictae piae domus recitabunt tria *Ave Maria* cum versiculo „*Refugium peccatorum, ora pro nobis*“.

15°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum interveniendo corde contrito functioni primae Communionis puerorum.

Adscriptis pio operi benefactorum dictae domus. 16°. Indulgentia plenaria in die adscriptionis, dummodo confessi et sacra Communione refecti visitent aliquam ecclesiam, ibique orent juxta mentem Suae Sanctitatis.

17°. Indulgentia plenaria in festo Ascensionis D. N. J. Ch. incipiendo a primis Vesperis, dummodo sub iisdem condi-

tionibus supra indicatis visitent ecclesiam S. Eligii trans Tiberim, ibique orent ut supra.

18°. Indulgentia plenaria in articulo mortis, dummodo rite dispositi invocent sanctissimum Nomen Jesu corde, si ore non possint.

19°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum, visitando corde contrito ecclesiam S. Eligii in festis sanctissimae Conceptionis, Nativitatis, et Assumptionis B. M. V. et in festo S. Eligii, incipiendo a primis Vesperis.

20°. Indulgentia sexaginta dierum pro omni bono opere, quod exercebunt corde contrito.

21°. Omnes Missae, quae celebrabuntur ad quodcumque altare in suffragium personarum adscriptarum, celebratae erunt tamquam ad altare privilegiatum.

22°. Omnes indulgentiae descriptae in praesenti Summario, sunt applicabiles in suffragium animarum sanctarum Purgatorii, et concessae in perpetuum.

Urbis. Decretum. *Ex Audientia Sanctissimi die 21 Augusti anni 1854.* Pia exercitiorum spiritualium domus in Transtiberina regione existens, quae olim, uti asseritur, Sanctae Franciscae Romanae domicilium erat, pluribus fuit a felic. rec. Pio PP. VII. privilegiis, gratiis et indulgentiis cumulata tam pro coetu presbyterorum in eadem domo adlaborantium, quam pro Christifidelibus iis in aedibus spiritualibus exercitiis, sacrisque recessibus per annum incumbentibus; cum vero de aliquibus tantum privilegiis et indulgentiis apud eos adsit documentum, de aliis vero dumtaxat exstet traditio, ipse presbyterorum coetus enixe SSmum D. N. Pium PP. IX. rogavit, ut de Apostolica sua benignitate gratias non modo concessas confirmare, sed novas etiam prout in supraenuntiato Summario recensitas concedere dignaretur. Hinc Sanctitas Sua humillimis praefatorum sacerdotum precibus clementer exceptis, omnes et singulas facultates, indulgentias et gratias in eodem praesenti Summario duobus et viginti articulis digesto contentas benigne confirmavit, ac de novo concessit, dummodo tamen singulae injunctae conditiones in quolibet ex praefatis articulis appositae integre et fideliter adimpleantur. Non obstantibus in

contrarium facientibus quibuscumque. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

D. Card. Savelli, Pro-Praef.
A. Colombo, Secret.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, ac typis imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 13 Novembris 1854.

A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

11.

Summarium indulgentiarum, quae sunt concessae omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis ecclesiam Pontificii et Regalis hospitalis SS. Apostolorum Petri et Pauli in civitate Matriti devote visitantibus, ac juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pie orantibus in sequentibus diebus, videlicet:

Mense Januario. In festo Circumcisionis D. N. J. Ch. - In Epiphania Domini.

Mense Februario. In festo Purificationis B. M. V. - In festo S. Mathiae Apostoli.

Mense Martio. In festo Annuntiationis B. M. V.

Mense Majo. In festo SS. Philippi et Jacobi Apostolorum.

Mense Junio. In festo S. Barnabae Apostoli. - In festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Mense Julio. In festo Visitationis B. M. V. - In festo S. Jacobi Apostoli.

Mense Augusto. In festo Dedicationis S. Mariae ad Nives. - In festo Assumptionis B. M. V. - In festo S. Bartholomaei Apostoli.

Mense Septembri. In festo Nativitatis B. M. V. - In festo sanctissimi Nominis B. M. V. - In festo S. Januarii. - In festo S. Matthaei Apostoli.

Mense Octobri. In festo SS. Simonis et Judae Apostolorum.

Mense Novembri. In festo Omnium Sanctorum. - In Commemoratione Fidelium Defunctorum. - In festo Patrocinii B. M. V., dummodo etiam Missae solemni interfuerint. - In festo Praesentationis B. M. V. - In festo Desponsationis B. M. V. - In festo S. Andreae Apostoli.

Mense Decembri. In festo Conceptionis B. M. V. - In festo Exspectationis Partus B. M. V. - In festo S. Thomae Apostoli. - In festo Nativitatis D. N. J. Ch. - In festo S. Joannis Apostoli.

In festis mobilibus scilicet: In Dominicis Adventus, Septuagesimae et Quadragesimae. - In Feria V in Coena Domini. - In festo Paschatis Resurrectionis, Ascensionis et Dominica Pentecostes. - In Dominica sanctissimae Trinitatis. - In festo Corporis Domini.

In qualibet die visitantes septem altaria in praelaudata ecclesia existentia, easdem indulgentias consequi poterunt, ac si visitarent septem altaria Basilicae Vaticanae Urbis.

Ac tandem altare SSmi D. N. J. Ch. in dicta ecclesia situm est privilegiatum quotidianum in perpetuum.

Toletan. *Ad humillimas preces Rectoris ecclesiae Pontificii et Regalis hospitalis Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli in civitate Matriti in Hispania, SSmus D. N. Pius PP. VII. benigne inclinatus omnes et singulas indulgentias in suprascripto Summario recensitas, et jam a Praedecessoribus suis praelaudatae ecclesiae, ut asseritur, concessas, clementer confirmavit, et, quatenus opus sit, de novo et perpetuis futuris temporibus valituras impertitus est, absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Julii 1819.*

B. Card. **Naro**, Praef.
Angelus Costaguti, Secret.

12.

Summarium indulgentiarum perpetuarum, quae ab omnibus utriusque sexus fidelibus debite dispositis acquiri possunt in ecclesia S. Mariae de Galliera Bononiae vulgo dicta la Madonna di Galliera, ecclesia Congregationis Patrum Oratorii S. Philippi Nerii, ex concessione Gregorii XV., ut patet ex ejus Brevi diei 23 Junii 1622, recognito et approbato a Sacra Congregatione Indulgentiarum 1 Aprilis, et confirmato a SSmo D. N. Benedicto XIV. 24 Aprilis 1743.

Quilibet utriusque sexus fidelis, qui vere contritus, confessus et sacra Communione refectus visitabit eamdem ecclesiam in festis aut diebus infra designatis, et ibidem divinam majestatem orabit pro concordia et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, lucrabitur infrascriptas indulgentias, id est:

In festo Circumcisionis Domini indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo Epiphaniae Domini indulgentiam plenariam.

In festo Purificationis B. M. V. indulgentiam plenariam.

In festo S. Mathiae Apostoli indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo S. Gregorii Magni indulgentiam plenariam.

In festo S. Marci Evangelistae indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In vigilia Ascensionis Domini indulgentiam plenariam.

In festo Apparitionis S. Michaëlis Archangeli indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo S. Philippi Nerii indulgentiam plenariam, applicabilem animabus fidelium defunctorum.

In festo S. Joannis Baptistae indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo S. Petri Apostoli indulgentiam plenariam.

In festo Visitationis B. M. V. indulgentiam plenariam.

In festo S. Jacobi Apostoli indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

Die 5 Augusti, festo Dedicationis B. M. V. ad Nives, indulgentiam plenariam.

In festo Assumptionis B. M. V. indulgentiam plenariam.

In festo S. Bartholomaei Apostoli indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum. Similem pro festo S. Matthaei.

In festo Nativitatis B. M. V. et S. Hieronymi indulgentiam plenariam.

In festo S. Lucae Evangelistae indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo SS. Simonis et Judae indulgentiam plenariam.

In die Commemorationis omnium fidelium defunctorum indulgentiam plenariam applicabilem animabus purgatorii.

In festo Praesentationis B. M. V. indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo Conceptionis B. M. V. indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

In festo Nativitatis Domini indulgentiam plenariam.

Prima Dominica cujusque mensis, dum fit Communio generalis, indulgentiam plenariam.

Quilibet fidelis, qui vere contritus de suis peccatis habebit propositum confitendi, lucrabitur quocumque anni die indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum.

Qui visitabit septem altaria designata in eadem ecclesia, lucrabitur semel in mense easdem indulgentias, ac si visitasset septem altaria Basilicae S. Petri Romae.

Qui visitabit eamdem ecclesiam diebus infrascriptis, lucrabitur indulgentias Stationum, quae acquiruntur visitando Basilicam S. Mariae Majoris Romae, id est:

Feria IV Quatuor Temporum Quadragesimae.

Dominica secunda Quadragesimae.

Feria IV hebdomadae majoris seu sanctae.

Feria II Rogationum.

Feria IV Quatuor Temporum Pentecostes.

Feria IV Quatuor Temporum in autumno.

Dominica prima Adventus.

Insuper altare privilegiatum quotidianum pro quolibet fideli defuncto, concessum ab Urbano VIII. anno 1634.

Sacra Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum decreto suo diei 1 Aprilis 1743 declaravit nullas et apocryphas, et a

S. D. N. Benedicto XIV. expresse revocatas omnes alias indulgentias, quae non sunt contentae in praesenti Summario.

Eadem Sacra Congregatio eadem die praesens Summarium imprimi posse censuit. Et facta de his omnibus sub die 5 et iterum 24 ejusdem mensis Aprilis per me infrascriptum Secretarium SSmo D. N. relatione, Sanctitas Sua benigne approbavit, et, quatenus opus sit, singulas praefatas indulgentias confirmavit, et de novo respective concessit.

A. Card. S. Clementis.
A. M. Erba, Prot. Ap. Secret.

13.

Summarium indulgentiarum ecclesiis urbis Fesulanae concessarum.

(Habetur supra pag. 127. in Rescripto 164.)

III. Summaria indulgentiarum Ordinibus religiosis et piis Communitatibus concessarum.

14.

Summarium indulgentiarum a Summis Pontificibus Fratribus Ordinis S. Joannis de Deo necnon eorum ecclesiis ac infirmis in nosocomiis ejusdem Ordinis degentibus concessarum.

Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, die primo, quo habitum Congregationis susceperint. *(Paulus PP. V. per Litteras in forma Brevis* Cum certas Congregationi *19 Februarii 1607.)*

Indulgentia plenaria die, quo emiserint professionem per Fratres dictae Congregationis emitti solitam juxta illius institutum, si vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia plenaria Fratribus in primo die cujuslibet Capituli generalis, qui vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et pro salute Romani Pontificis, christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia plenaria in mortis articulo eisdem Fratribus, necnon hospitalium ejusdem Congregationis infirmis, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint saltem vere contriti, nomen Jesu, ore si potuerint, sin autem corde devote invocaverint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia plenaria eisdem Fratribus, qui in itinerum, aut infidelium periculis constituti ab eorum Superioribus missi, si confiteri nequiverint, saltem vere contriti nomen Jesu ore, vel corde devote invocaverint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia plenaria eisdem Fratribus, necnon utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam hospitalium praedictae Congregationis in festo principali (seu Titularis) ipsorum hospitalium a primis Vesperis usque ad occasum solis festi hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi, ut praefertur, oraverint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum eisdem infirmis, qui supradicta hospitalia ingredientur die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum tam ipsis Fratribus, quam utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui ejusdem Congregationis ecclesiam in Nativitatis Domini, Pentecostes, et Annuntiationis B. M. V. festivitatibus similiter a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi singulis annis visitaverint, et ut praefertur oraverint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia centum dierum eisdem Fratribus et utriusque sexus Christifidelibus, qui ecclesiam hujusmodi in qualibet Dominica mensis visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, pro qualibet vice. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia centum dierum iis, qui SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos hospitalium dictae Congregationis defertur, necnon etiam corpora defunctorum ad sepulturam ecclesiasticam comitati fuerint, pro qualibet vice. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia centum dierum, quoties praedicti Fratres infirmis hospitalis in extremo laborantibus ad bene moriendum auxiliabuntur,

aut ipsos infirmos ad eorum animae salutem reducendi causa corroboraverint et confirmaverint,

aut etiam pedes dictis infirmis hospitale ingredientibus abluerint,

aut illis necessaria subministraverint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia sexaginta dierum tam dictis Fratribus, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus, quoties infirmos hospitalium visitaverint. *(Idem Paulus V. loc. cit.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Fratrum Ordinis Sancti Joannis de Deo in Conceptione, Nativitate, Annuntiatione, Purificatione et Assumptione B. M. V. a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium oraverint juxta mentem Summi Pontificis. *(Leo PP. XIII. 13 Maji 1882.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Ordinis die festo S. Joannis de Deo a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. *(Innocentius PP. XII. 28 Augusti 1691.)*

Cum vero interdum contingat praefatum festum incidere in diem impeditam ideoque ad aliam diem transferendum sit, plenaria quoque indulgentia transfertur. *(Clemens PP. XIV. 11 Februarii 1772.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis in festivitate B. M. V. de Bono Consilio die 26 Apr. a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi ecclesiam aliquam Ordinis visitantibus, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie orantibus. *(Pius PP. IX. 15 Aprilis 1869.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Ordinis die 3 Junii, in qua recolitur festum B. Joannis Grande *vulgo Pecador*, a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. *(Leo PP. XIII. 13 Maji 1882.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Ordinis in festo S. Augustini, Episcopi devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. *(Pius PP. VII. 18 Junii 1823.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Ordinis die 24 Octobris, in festo Sancti Raphaelis Archangeli a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. *(Clemens PP. XIII. 27 Julii 1737.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui ecclesiam Ordinis in tertia Dominica Novembris, a primis Vesperis, in qua recolitur festum Patrocinii B. M. V. devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. *(Pius PP. VII. 21 Januarii 1817.)*

Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex dictis ecclesiis die festo Sancti Joannis Apostoli et Evangelistae a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. *(Pius PP. IX. 4 Februarii 1878.)*

Gregorius PP. XVI. per Rescriptum diei 12 Maji 1832

benigne indulsit, ut quicumque ex Religiosis Ordinis S. Joannis de Deo, quamvis laicus, particularem J. Ch. D. N. Crucifixi imaginem semel electam, quaeque mutari non possit nisi in casu amissionis, vel deperitionis, ad quemcumque Christifidelem in eorum nosocomiis existentem et in articulo mortis constitutum deferat, hic, si vere corde contrito et christiano affectu imaginem hujusmodi a praefato religioso viro porrectam osculatus fuerit seu tetigerit, plenariam indulgentiam consequatur. At frequenter vel contagia, vel bella exigunt, ut religiosi mittantur extra nosocomia ad curandos infectos, vel milites vulneratos, et quamvis laici debent aliquoties morienti adsistere pro defectu sacerdotum; proinde ne tam potenti auxilio in supremis istis circumstantiis religiosorum zelus privetur, neve animabus in tristissimis illis momentis absque ullo alio religionis auxilio morituris tanta gratia deficiat, indultum fuit, ut eamdem indulgentiam quocumque loco quilibet moriens sub iisdem conditionibus per quemlibet religiosum Ordinis Sancti Joannis de Deo consequi valeat. *(Pius PP. IX. 7 Julii 1866.)*

Pius PP. IX. per Rescriptum diei 7 Junii 1875 benigne indulsit, ut indulgentia Viae Crucis adnexa sacrae Jesu Christi Crucifixi imagini pro quolibet e Fratribus Sancti Joannis de Deo, lucrari valeat etiam ab aegrotis graviter laborantibus, quibus adstant, dummodo iidem aegroti cum illis exercitium Viae Crucis pie peragant, aut si id nequeant, mente saltem et corde illud devote sequantur.

Ægroti degentes in nosocomiis ejusdem Ordinis lucrari valent indulgentias concessas ecclesiis Fratrum S. Joannis de Deo aliquibus anni diebus, ceteris servatis conditionibus, si loco visitationis ecclesiae aliquod pium opus a proprio confessario injunctum peragant. *(Leo PP. XIII. 13 Maji 1882.)*

Omnes et singulae praefatae indulgentiae sive plenariae, sive partiales possunt animabus Christifidelium defunctorum per modum suffragii applicari. *(Leo PP. XIII. 13 Maji 1882.)*

Privilegia. Benedictus PP. XIV. per Literas in forma Brevis diei 16 Septembris 1752 declaravit privilegiatum quotidianum perpetuum in qualibet ecclesia et in quolibet nosocomio Ordinis altare sub invocatione S. Joannis de Deo.

Idem indulsit, ut omnes et singulae Missae, quae vi statutorum per Fratres celebrari solent pro Religiosis ab hac luce migrantibus, ad quodcumque altare ecclesiarum Ordinis et Congregationis ejusmodi in Italia, Gallia, Germania et Polonia celebratae fuerint, proinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. *(Die 31 Maji 1741.)*

Gregorius PP. XIV. per Literas in forma Brevis datas sub die 19 Aprilis 1591 potestatem fecit Majori Confratri Generali hospitalis Sancti Joannis de Deo in Urbe instituti nunc et pro tempore existenti, quaecumque alia hospitalia in tota Italia ac alias ubilibet, nunc et pro tempore instituenda, eorumque Rectores et Gubernatores ac Ministros et Officiales dicto hospitali S. Joannis in Urbe instituto aggregandi, ac omnia et singula privilegia, exemptiones, immunitates, libertatesque et indulgentias aliaque indulta ei dicto hospitali S. Joannis de Deo ac aliis ab eo dependentibus hospitalibus et personis per Romanos Pontifices communicata et concessa libere et licite communicandi et concedendi etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 31 Julii 1882.

L. ✠ S. Franc. Della Volpe, Secret.

15.

Summarium indulgentiarum, quibus gaudet Ordo Seraphicus, approbatum a Sacra Congregatione ad instantiam Monialium Franciscanarum venerabilis monasterii S. Silvestri in Capite.

1°. SSmus D. N. PP. Sixtus V. inhaerendo concessioni factae a Leone X., concedit et ipse, ut Religiosi Ordinis Minorum, et consequenter Moniales Clarissae, per communicationem privilegiorum possint lucrari omnes indulgentias a Summis Pontificibus concessas aliis Ordinibus Regularibus, et esse participes omnium orationum, vigiliarum, jejuniorum, abstinentiarum, disciplinarum, sacrificiorum, quae fiunt in toto mundo a Religiosis Instituti mendicantis. *Communis.*

2°. Unde fit, ut Fratres, Moniales, aliique Religiosi, quotiescumque visitabunt propriam suam ecclesiam, ibique orationem facient, et Deum precabuntur pro exaltatione S. Ecclesiae, pro exstirpatione haeresum, et pro pace et concordia inter principes christianos, lucraturi sint omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, et S. Jacobi de Galitia; et hoc vi ipsiusmet Bullae Pauli V., qui revocavit multas indulgentias a suis Praedecessoribus concessas Regularibus, et hanc confirmavit.

3°. Adde, Gregorium XV. in Brevi 10 Decembris 1622 concedere eamdem indulgentiam fratribus et sororibus Confraternitatis funiculi S. Francisci, quando visitabunt ecclesiam Fratrum Minorum et orabunt ut supra.

4°. Religiosi et Moniales infirmi et convalescentes in cubiculo aut infirmitorio, et etiam in lecto, si commode aliter facere non possint, dicendo quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* et orando ut supra, lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrati fuissent visitando propriam suam ecclesiam (Ita Ferraris).

5°. Id concessit Innocentius VIII. Fratribus Minoribus et Praedicatoribus, aliisque Religiosis mendicantibus et per participationem omnibus Monialibus et Chordigeris S. Francisci. Ita dicit Rodericius, qui addit, hoc privilegium non fuisse revocatum a Paulo V., quia ipse revocavit indulgentias, sed non privilegia ad lucrandas illas, quae non sunt revocatae; qualis est illa ab eodem Pontifice de novo concessa in Bulla, in qua revocavit omnes indulgentias a suis Praedecessoribus Regularibus concessas.

6°. Idem Paulus V. de novo concessit et confirmavit Ordini Fratrum Minorum stationem sanctissimi Sacramenti, ut quilibet Religiosus istius Ordinis, qui recitabit ante altare sanctissimi Sacramenti sex *Pater noster*, sex *Ave Maria* et sex *Gloria Patri*, lucretur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum, S. Jacobi Galitiae, et Portiunculae.

7°. Hanc indulgentiam stationum de novo concessam a Paulo V. confirmavit et renovavit Urbanus VIII., dummodo tamen statio fiat ante altare sanctissimi Sacramenti. Ita dicit Rodericius, cum attestatione Rodriguez aliorumque.

8°. Haec statio indulgentiae dicendo supradicta *Pater noster*, etc. . . ante altare sanctissimi Sacramenti, acquiri potest saepius in die, eodem prorsus modo, quo eam lucraretur quicumque Religiosus, qui personaliter visitaret ecclesias Romae, Hierosolymorum, Compostellae, et Portiunculae, perinde atque acquiruntur aliae indulgentiae perpetuae, quae non habent limitationem aut determinationem temporis, ut affirmant Angelicus doctor S. Thomas, Corduba, Toledo, Henriquez, aliique citati a Patre Michelangelo Bogliasco in suo compendio indulgentiarum funiculi impresso Liburni 1620, pag. 109.

9°. Hoc modo Religiosi manentes in suis conventibus merentur plus quam dum vadunt per mundum peregrinantes ad lucrandas indulgentias. S. Thomas citatus a Perino dicit: *Religiosi existentes in suis monasteriis promerentur amplius quam discurrendo et peregrinando ad lucrandas indulgentias.*

10°. Et cum supradictae indulgentiae possint applicari animabus purgatorii per modum suffragii, monentur omnes ad lucrandas illas saepius in die pro dictis animabus, quae non erunt ingratae facienti sibi tale beneficium.

11°. Monetur insuper omnis fidelis christianus ad sumendum funiculum Seraphici Patris Nostri S. Francisci, nomen suum dando confraternitati dictae funiculi, ut possint lucrari magnum hunc indulgentiarum thesaurum, aliaque bona spiritualia, ut dictum fuit supra.

Indulgentiae quotidie lucrandae in ecclesiis Ordinis S. Francisci, et in ecclesiis omnium Ordinum Religiosorum mendicantium.

12°. Omnibus anni diebus, qui visitabit unam ex ecclesiis Franciscanis, aut cujuscumque alterius Ordinis Fratrum mendicantium, lucrabitur singulis vicibus, dicendo tria *Pater*, tria *Ave* et tria *Gloria* in honorem Sanctissimae Trinitatis, indulgentiam concessam a multis Summis Pontificibus trecentorum dierum, et ducentarum et septem quadragenarum. Et singulis Dominicis et Sabbatis omnium mensium anni acquiritur pro singulis vicibus indulgentia centum nonaginta et octo annorum et totidem quadragenarum; et diebus Veneris totius anni acquiritur singulis vicibus indulgentia centum

dierum. Et advertendum, si in aliquam ex his diebus incidat festivitas, in qua aliae habentur indulgentiae, has etiam insuper acquiri praeter supradictas. Ita *Ferraris.*

Indulgentiae, quae habentur in ecclesiis Franciscanis et in ecclesiis omnium Ordinum mendicantium tempore Adventus.

13°. In singulis quatuor Dominicis Adventus, qui visitabit aliquam ecclesiam supradictorum Religiosorum, lucrabitur omnes illas indulgentias, quae habentur in omnibus Dominicis anni, ut in paragrapho praecedenti.

Indulgentiae in dictis ecclesiis in Quadragesima.

14°. Prima die Quadragesimae usque ad diem Paschae visitanti ut supra, conceduntur pro quovis die a Joanne XX. duo anni et duae quadragenae, et ab Urbano III., Innocentio III. et Gregorio IX. pariter duo anni et duae quadragenae. Et Urbanus IV. duplicavit dictas indulgentias et adjunxit unum annum et unam quadragenam; et a Clemente IV. conceduntur centum anni et centum quadragenae. Et Alexander IV. concessit duos annos et duas quadragenas. Similiter Nicolaus III., Innocentius IV. et Benedictus XI. concesserunt universim pro quovis die Quadragesimae centum viginti duo annos et quingentos sexaginta sex dies indulgentiae, quae faciunt in summa pro singulis diebus indulgentiam ducentorum quinquaginta duorum annorum, et centum triginta duarum quadragenarum, et quingentorum septuaginta sex dierum.

15°. Insuper pro unaquaque feria secunda, quarta et sexta totius Quadragesimae ultra supradictas conceditur a Benedicto XI. indulgentia octoginta octo annorum et octoginta quadragenarum.

Indulgentiae, quae habentur in dictis ecclesiis in solemnitate Paschatis.

16°. In quolibet Paschate Resurrectionis conceditur a Martino V. indulgentia quinquaginta annorum et octodecim quadragenarum ultra supradictas. A Leone IV. septem anni et septem quadragenae; et a Clemente IV. centum anni totidemque quadragenae et a Nicolao IV. septem anni et septem quadragenae.

17°. Et a primis Vesperis, id est a Sabbato sancto usque ad occasum solis sequentis diei Paschae, qui contritus, confessus aut cum proposito confitendi visitabit aliquam ex ecclesiis S. Francisci de Paula, aut aliam ecclesiam Ordinis mendicantium dicendo tria *Pater*, tria *Ave* et tria *Gloria* in honorem Sanctissimae Trinitatis, ex concessione Leonis X. lucrabitur indulgentiam plenariam.

Indulgentiae, quae habentur in festo Ascensionis Domini in ecclesiis Religiosorum mendicantium.

18°. In die Ascensionis Domini, quicumque visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis, lucrabitur ex concessione Joannis XXII. indulgentiam duorum annorum et duarum quadragenarum, et ex concessione Clementis IV. centum annorum et centum quadragenarum.

In festis Pentecostes.

19°. In festis Pentecostes, qui visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis Religiosorum mendicantium, ex concessione Martini V. lucrabitur indulgentiam quadraginta annorum et duodecim quadragenarum. Et ex concessione Leonis IV. septem annorum et totidem quadragenarum. Et ex concessione Urbani IV., Clementis III. et Gregorii IX. unius anni et unius quadragenae, et ex concessione Clementis IV. centum annorum et centum quadragenarum: et insuper a primis Vesperis, id est a Sabbato sancto Pentecostes per usque ad totum diem sequentem, qui contritus et confessus, aut cum proposito confitendi visitabit aliquam ex dictis ecclesiis, dicendo tria *Pater noster* et tria *Ave Maria* in honorem sanctissimae Trinitatis, ex concessione Leonis X. lucratur indulgentiam plenariam.

In festo Sanctissimae Trinitatis.

20°. Visitanti unam ex supradictis ecclesiis in festo Sanctissimae Trinitatis conceduntur omnes illae indulgentiae, quae habentur in omnibus Dominicis et festis per annum, quae sunt in summa ducentorum et novemdecim annorum et totidem quadragenarum. In eodem festo, qui contriti et confessi, aut cum proposito confitendi a primis Vesperis per totum diem sequentem visitabunt unam ex supradictis ecclesiis, lucrabuntur ex concessione ejusdem Leonis X. indul-

gentiam plenariam, dicendo tria *Pater noster* et tria *Ave Maria*.

In solemnitate Corporis Domini.

21°. Ex concessione Joannis XX., Urbani III., Benedicti X. et Gregorii IX. in festo Corporis Christi visitando aliquam ex supradictis ecclesiis habetur indulgentia duorum annorum et duarum quadragenarum ab unoquoque Pontifice, quod facit octo annos et octo quadragenas. Ex concessione Urbani IV. indulgentia unius anni et unius quadragenae; et ex concessione Clementis V. centum annorum et centum quadragenarum. Ex concessione Alexandri IV. unius anni et unius quadragenae. Ex concessione Gregorii IX. et Nicolai V. centum annorum et centum quadragenarum. *Ita legitur in Gemma Sanctissimi Rosarii (Giojello del Santissimo Rosario).*

In Circumcisione Domini.

22°. Qui visitabit aliquam ex ecclesiis Franciscanis, aut aliorum Religiosorum mendicantium in die Circumcisionis Domini, lucrabitur ex concessione Martini V. indulgentiam quinquaginta annorum et quinquaginta quadragenarum, et ex concessione Innocentii III. duorum annorum et duarum quadragenarum, ex concessione Clementis IV. centum annorum, et ex concessione Nicolai V. ducentorum annorum et quinquaginta trium quadragenarum.

In festo Epiphaniae Domini.

23°. Qui visitabit aliquam ex supradictis ecclesiis in die Epiphaniae Domini, ei conceduntur ab Innocentio III. duo anni et duae quadragenae, et Urbanus IV. duplicavit hanc indulgentiam et concessit insuper unum annum et unam quadragenam. Clemens IV. concessit centum annos et centum quadragenas; et Nicolaus V. duplicavit hanc indulgentiam. Innocentius IV. deinde concessit indulgentiam quinquaginta annorum et totidem quadragenarum.

In die Purificationis B. M. V.

24°. Qui visitabit aliquam ex ecclesiis supradictorum Ordinum mendicantium in die Purificationis B. M. V. dictae de Candelario, ipsi conceduntur ultra indulgentias concessas in aliis festivitatibus Dominae Nostrae indulgentiae infrascriptae. A Martino V. quinquaginta anni et duodecim qua-

dragenae. A Clemente IV. centum anni et triginta quadragenae. Ab Honorio III. quadraginta anni et quadraginta quadragenae, et totidem a Joanne XXII. Item Sixtus IV. concessit indulgentiam triginta annorum et triginta quadragenarum.

In festo Sanctissimae Annuntiationis.

25°. In festo Sanctissimae Annuntiationis, qui visitabit etc., lucrabitur ex concessione Martini V. quinquaginta annos et duodecim quadragenas. Ex concessione Clementis IV. decem annos et quadraginta dies. Ex concessione Gregorii IX. viginti annos et quadraginta dies. Ex concessione Bonifacii VIII. novem annos et quadraginta dies. Ex concessione Nicolai IV. centum annos et centum octoginta dies. Ex concessione Leonis IV. septem annos et septuaginta quadragenas. A Joanne XXII. conceduntur quadraginta anni et quadraginta quadragenae, et ab Urbano V. indulgentia septem annorum et septem quadragenarum.

26°. Advertendum, Moniales claustrales posse lucrari in suis ecclesiis omnes indulgentias concessas Religiosis mendicantibus, et omnibus saecularibus.

Indulgentiae in die, qua fit festum titulare in ecclesiis Franciscanis et aliorum mendicantium.

27°. In festo Sancti vel Sanctae, sub cujus nomine aedificata est quaecumque ecclesia supradictorum Ordinum, eas visitando acquiruntur ex concessione Leonis IV. septem anni et septem quadragenae. Et Urbanus IV. duplicavit istam indulgentiam. Ex concessione Clementis IV. centum dies et Honorii IV. quadraginta anni et quadraginta quadragenae. Benedictus X. duplicavit hanc indulgentiam. Nicolaus V. dictis indulgentiis addidit septem annos et septem quadragenas. Sixtus IV. addidit septem annos et triginta quadragenas.

Indulgentiae in omnibus festis Sanctorum Franciscanorum et aliorum Sanctorum ex Regularibus mendicantibus.

28°. In quocumque festo cujusque Sancti aut Sanctae Ordinis Minorum, S. Dominici, S. Augustini, etc. visitanti aliquam ex eorum ecclesiis ab Innocentio IV. quadraginta anni; a Clemente IV. quadraginta sex anni; a Nicolao III.

quadraginta anni; a Nicolao IV. alii quadraginta anni; totidem ab Urbano V.; a Sixto IV. quinquaginta anni et quinquaginta quadragenae indulgentiae.

Indulgentiae, quae recurrunt in festis Sanctorum Ordinis Seraphici per anni circulum.

29°. *Mense Januario.* Die 16 illius mensis pro festo SS. Mart. Bernardi, Petri, etc. Protomartyrum Ordinis, indulgentia plenaria perpetua concessa a Benedicto XIV. Brevi *Sanctissimus* 18 Octobris 1745.

Die 30 S. Hyacinthae, indulgentia plenaria perpetua concessa a Pio VII. Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

Die 31 Beata Ludovica, indulgentia plenaria usque ad annum 1848.

Mense Februario. Die 6 dicti mensis pro festo SS. Mart. Petri Baptistae, etc. indulgentia plenaria perpetua concessa a Clemente XII. Brevi *Injunctae nobis* 13 Julii 1739.

Die 22 S. Margaritae de Cortona, indulgentia plenaria perpetua concessa a Benedicto XIII. Brevi *Redemptoris* 26 Julii 1728.

Mense Martio. Die 5 dicti mensis S. Joannis Josephi de Cruce, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI. Brevi *Inclitum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

Die 6 S. Coletae, indulgentia plenaria pro vivis et defunctis perpetua concessa a Pio VII. Brevi *Ad augendam* 13 Julii 1807.

Die 9 S. Catharinae de Bononia, indulgentia plenaria perpetua concessa a Clemente XI. Brevi *Redemptoris* 21 Martii 1714.

Mense Aprili. Die 3 S. Benedicti a S. Fratello, indulgentia plenaria perpetua concessa a Pio VII. Brevi *Ad augendam* 17 Novembris 1807.

Die 16 in festo S. Raphaelis Archangeli, indulgentia plenaria pro omnibus Religiosis et Monialibus, qui confessi et sacra Communione refecti renovabunt suam professionem, concessa a Clemente XII. Brevi *Cum sicut dilectus Filius* 30 Martii 1736.

Mense Majo. Die 13 S. Petri Regalati, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV. Brevi *Redemptoris* 23 Apr. 1748.

Die 17 S. Paschalis, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VII. Brevi *Redemptoris* 9 Septembris 1690.

Die 20 S. Bernardini Senensis, indulgentia plenaria concessa a Sixto V., Brevi *Cum primaeva,* 28 Septembris 1585.

Mense Junio. Die 13 S. Antonii a Padua, indulgentia plenaria perpetua concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 19 Beatae Michelinae, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII. Brevi *Ad augendam* 27 Septembris 1737.

Mense Julio. Die 14 S. Bonaventurae, indulgentia plenaria concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 25 S. Francisci Solani, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII. Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1729.

Mense Augusto. Die 2 illius, indulgentia, vulgo dicta de Portiuncula.

Die 12 S. Clarae Virginis, indulgentia plenaria etiam pro omnibus fidelibus Christianis in ecclesiis Fratrum Minorum et Monialium Franciscanarum; ita declaravit Sacra Congregatio die 9 Octobris 1663.

Die 19 S. Ludovici Episcopi, indulgentia plenaria concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 26 S. Ludovici Regis Francorum, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV. Brevi *Injunctae nobis* 17 Martii 1755.

Mense Septembri. Die 4 S. Rosae de Viterbo, indulgentia plenaria concessa a Clemente XI. Brevi *Agni Immaculati* 14 Januarii 1701.

Die 11 festo SS. Mart. Nicolai et Soc. indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII. Brevi *Ad augendam* 5 Decembris 1728.

Die 17 festo sacrorum stigmatum S. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Clemente XII. Brevi *Coelest. muner.* 31 Augusti 1731.

Die 24 S. Pacifici a S. Severino, indulgentia plenaria concessa a Gregorio XVI. Brevi *Inclitum S. Francisci Ordinem* 21 Februarii 1841.

Mense Octobri. Die 4 festo Patriarchae nostri S. Francisci, indulgentia plenaria concessa a Sixto V. Brevi *Cum primaeva* 28 Septembris 1585.

Die 13 festo SS. Mart. Danielis, etc. indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIV. Brevi *Ad augendam* 22 Junii 1748.

Die 19 S. Petri de Alcantara, indulgentia plenaria concessa a Clemente IX. Brevi *Redemptoris* 8 Octobris 1669.

Die 23 S. Joannis de Capistrano, indulgentia plenaria concessa ab Alexandro VII. Brevi *Redemptoris* 7 Septembris 1690.

Mense Novembri. Die 12 S. Didaci, indulgentia plenaria concessa a Clemente VIII. Brevi *Quae ad Sanctorum* 26 Maji 1598.

Die 19 S. Elisabeth Reginae [1]) Hungariae, indulgentia plenaria, Brevi Benedicti XIV. *Injunctae nobis* 17 Martii 1755.

Die 28 S. Jacobi de Marchia, indulgentia plenaria concessa a Benedicto XIII. Brevi *Redemptoris* 14 Augusti 1727.

Die 29 festum omnium Sanctorum Ordinis, indulgentia plenaria concessa a Clemente XIII. Brevi *Ad augendam* 21 Martii 1766.

30°. Qui recitant et assistunt officio divino et Missae in solemnitate Corporis Christi et per totam octavam, lucrantur sequentes indulgentias, id est, pro Missa 400 dies et 400 pro Matutino et alios 400 pro Vesperis, et pro singulis horis 160 dies. Diebus infra octavam tam pro Matutino quam pro Missa et Vesperis 200 dies, pro aliis horis 80 dies indulgentiae. Ad hunc finem anticipatur Matutinum.

31°. A Sixto IV. conceduntur eaedem indulgentiae recitanti aut assistenti ut supra in festo et per octavam immaculatae Conceptionis. Idem concedit Clemens VIII. in festo Sanctissimi nominis Jesu.

32°. Et Bonifacius IX. in festo Visitationis B. M. V.

33°. Et Calixtus III. in festo Transfigurationis D. N. J. Ch.

34°. Fratres et Moniales Ordinis Minorum recitando coronam B. M. V. vulgo dictam Ordinis, quae constat 70 *Ave Maria* et septem *Pater noster* et insuper uno *Pater noster*

[1]) Principissa.

et uno *Ave Maria* pro Summo Pontifice, lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Leone X. et Paulo V.[1])

35°. Religiosi Minores, Clarissae, et Tertiarii possunt per modum suffragii applicare animabus purgatorii omnes indulgentias et bona opera ab ipsis facienda, ex concessione Gregorii XV. Brevi 10 Novembris 1622.

36°. Religiosi et Moniales Ordinis Minorum, qui devote visitabunt stationes Viae Crucis, sive in ecclesia, sive in quocumque loco monasterii, lucrantur easdem indulgentias, quas lucrantur illi, qui eas visitant in locis sanctis Hierosolymorum, quaeque sunt fere innumerabiles, cum liberatione unius animae e purgatorio.

Indulgentiae concessae Religiosis et Monialibus in assumptione habitus Religiosi, in die, qua professionem emittunt, et in aliis circumstantiis.

37°. Religiosi cujuscumque Ordinis vel Instituti, sicut et Moniales, quae vivunt in perpetua clausura cum tribus votis solemnibus, tam illae, quae sunt sub directione Regularium, quam quae sunt sub Ordinariorum regimine, si fuerint contriti, confessi, et sacra Communione refecti, tam in die vestitionis quam professionis lucrantur indulgentiam plenariam concessam a Paulo V.

38°. Fratres et Moniales, qui in festo principali sui Ordinis confitebuntur et communicabunt aut Missam audient orando pro concordia inter principes Christianos, pro exstirpatione haeresum, Romani Pontificis incolumitate et exaltatione S. Matris Ecclesiae, lucrantur indulgentiam plenariam. *Communis.*

39°. Illi, qui in articulo mortis vere contritus, confessus et sacra Communione refectus, aut si hoc facere non possit, saltem contritus devote invocabit ore Sanctissimum nomen Jesu, vel si non possit, corde, conceditur indulgentia plenaria.

40°. Illi, qui legitime ordinatus celebrabit primam Missam, et iis, qui confessi, et sacra Communione refecti intererunt dictae Missae, conceditur indulgentia plenaria.

[1]) Hanc coronam Seraphicam ditatam esse indulgentia plenaria, S. C. Indulg. declaravit die 29 Aug. 1864. (Decreta auth. n. 412.)

41°. Omnibus Religiosis et Monialibus, qui cum licentia suorum Superiorum separantes se per decem dies a negotiis externis, secedent in cellam suam, aut, praeterquam in actibus communibus, separabunt se ab aliorum consortio, exercentes se in lectione librorum spiritualium, aut prolatione aliquorum verborum, quae ad devotionem inducunt et ad spiritualem compunctionem, et ultra meditationem communem saepe incumbent considerationi et meditationi mysteriorum Religionis Catholicae, beneficiorum Dei, quatuor Novissimorum, Passionis D. N. J. Ch. et aliis orationibus vocalibus et jaculatoriis; facientes eodem tempore generalem aut annuam aut ordinariam confessionem, et insuper Sacram Communionem sumentes aut Missam celebrantes, conceditur indulgentia plenaria et remissio omnium peccatorum. Notandum tamen orationem mentalem, ea quae fit in communi inclusa, debere esse, nocturno et diurno tempore simul sumpto, duarum horarum. Ita Paulus V. in sua Constitutione, quae incipit *Romanus Pontifex* 23 Maji 1606.

42°. Religiosis et Monialibus Ordinis Minorum, qui quotidie per mediae horae spatium per mensem integrum facient orationem mentalem, confitendo et communicando ultima Dominica dicti mensis, conceditur indulgentia 60 annorum et 60 quadragenarum.

43°. Omnibus illis, qui corde contrito et dolentes accusabunt se de suis culpis, peccatis et imperfectionibus in capitulis culparum, aut spiritualiter communicabunt, indulgentia trium annorum et trium quadragenarum.

44°. Fratres Minores et Moniales, quando sunt infirmi, possunt dicere septem *Ave Maria* et unum *Pater noster* loco officii divini, aut quid aliud sibi assignatum a confessario suo, et si infirmitas sit gravis, et medicus ita judicaverit, ne ad hoc quidem erunt obligati, sed sufficiet sola intentio, qua velint illud recitare. *Ferraris.*

45°. Leo X. concessit omnibus Religiosis, sicut etiam saecularibus indulgentiam partialem quotiescumque dicent quindecim *Pater noster* et quindecim *Ave Maria* pro iis, qui sunt in peccato mortali, cum sit opus caritatis.

46°. Idem Leo X. concessit Monialibus S. Clarae omnes gratias et indulgentias, quibus gaudent Fratres Minores, et vicissim Fratribus illas, quae a Romanis Pontificibus concessae sunt Monialibus.

47°. Idem Pontifex concessit Fratribus Minoribus, ut in solemnitatibus Domini, B. M. V., SS. Petri et Pauli, S. Patris Nostri Francisci et omnium Sanctorum, sicut etiam per totam hebdomadam sanctam cum licentia Superiorum suorum possint accipere absolutionem generalem.

48°. Insuper idem Pontifex concessit Religiosis Minoribus, ut ultra indulgentias, quas habent a Sede Apostolica, possint accipere absolutionem generalem cum indulgentia plenaria in festo S. Clarae Virginis; advertendum tamen in absolutione excipi casus Superioribus reservatos.

49°. Sixtus IV. concessit, ut quilibet Frater Ordinis Praedicatorum et Minorum semel in vita et semel in morte possit accipere absolutionem generalem, etiamsi moriatur ante professionem.

50°. Moniales S. Clarae et per communicationem omnes Moniales tertii Ordinis, quae vivunt sub directione Fratrum Minorum, a Leone X. habent privilegium accipiendi quater in anno a Superioribus dicti Ordinis Fratrum Minorum aut ab aliis Religiosis confessariis ejusdem Ordinis ad hoc a dictis Superioribus specialiter deputatis absolutionem omnium suorum peccatorum quocumque modo commissorum. Insuper placuit Sanctitati Suae benigne et ex Apostolica bonitate concedere praedictis earum confessariis facultatem, ut cum eadem plenitudine potestatis, de licentia tamen suorum Praelatorum, eas absolvant et illi innocentiae statui restituant, sicuti faceret Sua Sanctitas, si ipsamet earum confessiones exciperet et peccata audiret, et postquam confessae et absolutae fuerint, possint concedere omnibus et singulis nomine Suae Sanctitatis sanctam Benedictionem.[1])

Indulgentiae pro iis, qui relinquunt aliquam eleemosynam ecclesiis Religiosorum mendicantium.

51°. Illi, qui per testamentum relinquunt aliquid supradictis ecclesiis, lucrantur indulgentiam partialem ex conces-

[1]) In originali hic inserta est formula illius Benedictionis nuper abrogatae.

sione Hadriani III., Sergii IV., Joannis X. et XI. aliorumque Summorum Pontificum; similem indulgentiam lucrantur etiam illi, qui donant calices, tobaleas, aliave ustensilia ad usum dictarum ecclesiarum.

52°. Infirmi et decrepiti, qui non possunt adire ecclesiam, lucrantur indulgentias in cella sua ex concessione Sixti IV., Pauli V., et ex privilegio Clementis VIII. ad instantiam Reverendissimi Patris Fr. Joannis Baptistae de Molles, Commissarii generalis, in infirmitorio, fratres et Moniales, qui opem ferunt curandis infirmis, visitando capellam aut oratorium infirmitorii aut conventus, lucrantur indulgentias sicut alii Religiosi assistentes in eodem conventu.

53°. Nota Religiosos et Moniales aliorum Institutorum religiosorum gaudere omnibus praedictis indulgentiis per communicationem spiritualem concessam a Leone X., Julio II., aliisque Summis Pontificibus, ita ut visitando suam ecclesiam in die S. Francisci, S. Antonii a Padua, confessi et sacra Communione refecti, orando Dominum pro exaltatione S. Ecclesiae, exstirpatione haeresum et pro pace et concordia inter principes christianos, lucrentur eamdem indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum. Ita pariter Religiosi et Moniales S. Francisci visitando proprias suas ecclesias in festo S. Dominici, magni Patris S. Augustini, S. Francisci de Paula aliorumque pariter Patriarcharum et fundatorum Ordinum a S. Sede approbatorum. Pariter diebus Jubilaeorum, et indulgentiarum eorum ecclesiis concessarum, confessi et sacra Communione refecti lucrantur easdem indulgentias, remissiones et Jubilaea, ac si personaliter visitassent eorum ecclesias. *Ita communiter docent theologi.*

54°. Similiter patres et matres Religiosorum et Monialium lucrantur idem Jubilaeum in articulo mortis, et post mortem eadem suffragia Fratrum Minorum. Pariter a Joanne XXII. conceditur indulgentia quinquaginta dierum illi, qui sacerdotibus reverentiam exhibebit; quadraginta dierum illi, qui recitat *Salve Regina,* aut Missam audit, et similiter quadraginta dierum praedicatoribus, quotiescumque praedicabunt, sicut et illis, qui auscultant.

Indulgentiae concessae Advocatis.

55°. Advocati ecclesiarum, conventuum et monasteriorum dictorum Ordinum ex concessione Martini IV. lucrantur indulgentiam centum annorum. *Ferraris.*

Indulgentiae concessae Procuratoribus.

56°. Procuratores, qui adjuvant et defendunt monasteria et loca praefata, ex concessione Martini IV. lucrantur indulgentiam centum annorum: insuper Innocentius VIII. concedit ut dicti procuratores, et eorum substituti, filii, patres, matres, uxores, sorores et fratres diebus stationum Urbis Romae dicendo in ecclesia praefatorum Ordinum quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria,* Deum orando pro felici statu S. Ecclesiae, lucrentur easdem indulgentias, ac si visitarent ecclesias Urbis Romae, in quibus habentur dictae stationes. *Ferraris.*

57°. Patres et matres fratrum Minorum et Monialium ejusdem Ordinis vi bullae Calixti III. possunt in articulo mortis eligere sibi confessarium approbatum, qui impertiatur ipsis absolutionem generalem a culpa et poena in forma amplissimi Jubilaei. Ita docet P. Hieronymus Rodericius et alii.

Indulgentiae concessae medicis dictorum Ordinum.

58°. Medici conventuum dictorum Ordinum cum eorum filiis, filiabus, uxoribus, sororibus, fratribus, patribus et matribus lucrantur singuli eorum ex concessione Alexandri VI. indulgentiam centum annorum et insuper omnes indulgentias et stationes, quas lucrantur Religiosi Minores et Moniales, dicendo tamen quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria* pro felici statu S. Ecclesiae, et lucrantur dictas indulgentias vi particularis privilegii Innocentii VIII. concessi procuratoribus, et applicati dictis medicis per supradictum Alexandrum VI.

59°. Tandem illi et illae, qui facient orationem mentalem quotidie per mediam horam, aut saltem quartam horae partem, confessi et sacra Communione refecti, orantes juxta intentionem Summi Pontificis, lucrantur indulgentiam plenariam semel in mense, etiam applicabilem animabus purgatorii, et lucrantur etiam indulgentias Viae Crucis.

60°. Notandum quod, quando Romani Pontifices concedunt illis, qui visitabunt aliquam ecclesiam aut aliquod al-

tare, etiam indulgentiam plenariam, si in concessione non sunt expressae preces aut opera pia, quae ad eas lucrandas fieri debent; orando pro exaltatione S. Ecclesiae, pro exstirpatione haeresum, pro conversione peccatorum, pro pace et concordia inter principes christianos, dicendo eum in finem quinque *Pater* et *Ave* et unum *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, acquiruntur dictae indulgentiae. (Eusebius Amort et alii.)

Privilegia et indulgentiae concessa venerandis Monialibus venerabilis monasterii S. Silvestri in Capite.

61°. Cum Mater Abbatissa et Moniales venerabilis Monasterii S. Silvestri in Capite obtinuerint a Clemente XI. altare majus privilegiatum in sua ecclesia pro die Defunctorum et ejus octava et pro quatuor diebus cujuslibet hebdomadae cum liberatione illius animae pro qua quicumque sacerdos Missam celebraverit in dictis diebus ad praefatum altare, Benedictus XIV. ampliavit hoc privilegium, et concessit ut Moniales, sicut et eorum consanguinei et affines in primo et secundo gradu, Cardinalis titularis, et tres factores Monasterii possint eo frui omni die per annum. Deinde Clemens XIV. extendit hoc idem privilegium ad omnes fideles christianos, et insuper concessit, ut si propter aliquam circumstantiam dictum altare majus foret impeditum, ut si reparatione indigeret, aut occasione 40 horarum, transferatur idem privilegium ad altare sanctissimi Crucifixi.

62°. Legitur etiam in monumentis authenticis, quae asservantur in archivio dicti monasterii quod portantes parvum habitum Mariae Sanctissimae de Mercede redemptionis Captivorum sint participes omnium orationum, Missarum, concionum, jejuniorum, disciplinarum, poenitentiarum, et omnium laborum, et molestiarum, quas patiuntur Patres de Mercede regnorum Neapolis, Siciliae et provinciae Romanae.

63°. Insuper dictae reverendae Moniales, quae portabunt habitum nigrum Mariae sanctissimae Septem Dolorum, gaudent privilegio, ut possint absolvi a proprio suo confessario ab omnibus peccatis.

64°. Dictae Moniales pariter sunt participes omnium sacrificiorum, orationum, disciplinarum aliorumque operum

piorum, quae fiunt a Patribus Capucinis, Dominicanis et Augustinianis discalceatis.

65°. Sixtus V. concedit omnibus fidelibus christianis, qui a primis Vesperis et per totum diem sequentem festi S. Silvestri visitabunt ecclesiam eidem Sancto dicatam, sub titulo S. Silvestri in Capite, orando pro exstirpatione haeresum, pace et concordia inter principes christianos, etc., indulgentiam plenariam, et remissionem omnium peccatorum, Brevi *Universi Christifideles* 21 Decembris 1585.

66°. Litterae originales praedictarum indulgentiarum, privilegiorum, affiliationum et participationis bonorum spiritualium ab Ordinibus dictorum Religiosorum concessorum VV. Monialibus asservantur in archivio dicti monasterii in armario A, parte prima, capsula ultima.

67°. Hoc Summarium anno 1720 Mater Abbatissa pro tempore soror Angela Reginalda Incoronati scribi fecit in magnis pergamenti foliis; sed temporis diuturnitate aliisque de causis litterae factae erant ita deformes et obsoletae, ut Moniales parum aut fere nihil de iis intelligerent. Unde factum est, ut Reverendissima Mater Abbatissa soror Maria Anna Moroni ad utilitatem spiritualem suarum Monialium de novo illud typis edendum curaverit anno 1841.

Sacra Congregatio Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita ad humillimas preces Monialis Sor. Mariae Annae Moroni, Abbatissae ven. asceterii Sancti Silvestri in Capite de Urbe, Ordinis S. Francisci, praesens indulgentiarum Summarium ex certis documentis desumptum, ac per ejusdem Sacrae Congregationis Consultores probatum, uti authenticum recognovit, typisque imprimi, ac publicari posse censuit. In quorum fidem, etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 20 Julii 1841.

C. Card. **Castracane**, Praef.
A. Canonicus **Prinzivalli**, Substit.

16.

Summarium indulgentiarum tertio Ordini S. Francisci de Paula concessarum.

1°. Quicumque utriusque sexus fidelis, in die, qua adscribi se faciet dicto tertio Ordini ad profitendam dictam regulam, si vere contritus et confessus SSmum Eucharistiae Sacramentum sumet, lucrabitur indulgentiam plenariam.

2°. Iidem Tertiarii saeculares, qui vere contriti, confessi, et sacra Communione refecti, in festis Dedicationis S. Michaelis Archangeli, S. Francisci de Paula, S. Francisci Salesii, et Omnium Sanctorum (prima die Novembris) a primis Vesperis usque ad occasum solis eorumdem festorum visitabunt unam ex ecclesiis Patrum Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, et iis non existentibus in civitate aut loco, ubi morantur, visitabunt quamcumque aliam ecclesiam dictae civitatis aut loci, ibique orabunt pro pace et concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, et pro exaltatione S. Matris Ecclesiae, in quolibet ex dictis diebus, quo hoc facient, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

3°. Iidem Tertiarii saeculares in articulo mortis constituti, si vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, aut, si hoc facere non possint, saltem erunt contriti, et invocabunt nomen Jesu corde, si ore non possint, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

4°. Iidem Tertiarii saeculares, qui diebus Quadragesimae, aliisque diebus per annum in Missali Romano descriptis pro stationibus, visitabunt aliquam ecclesiam FF. Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, in civitate aut loco, ubi tales habentur, alias aliquam aliam ecclesiam ejusdem civitatis aut loci, ubi habitant, ibique per aliquod temporis spatium orabunt, lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrarentur, si iisdem diebus visitarent ecclesias sitas tam intra quam extra muros Urbis Romae, quae in Missali Romano assignatae sunt pro indulgentiis Stationum.

5°. Iidem Tertiarii saeculares, qui vere contriti, confessi, et sacra Communione refecti visitabunt aliquam ecclesiam ut supra in festis Nativitatis D. N. J. Ch., Resurrectionis

ejusdem et Pentecostes, sicut etiam Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V., Apparitionis S. Michaelis Archangeli, et in aliis SS. Apostolorum Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis et Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae et Matthiae, ibique orabunt ut supra, lucrabuntur in quolibet ex dictis festis indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

6°. Alii utriusque sexus fideles, quamvis dictum tertium Ordinem professi non fuerint, in die qua recipient funem aut cingulum laneum, quod vocant S. Francisci de Paula, benedictum a Superiori pro tempore Ordinis Minimorum, aut ab alio sacerdote professo ejusdem Ordinis, aut a quocumque alio deputato ab iisdem Superioribus, si fuerint confessi et sacra Communione refecti, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

7°. Insuper iidem, qui vere contriti, confessi et sacra Communione refecti in festo S. Francisci de Paula a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem festi visitabunt aliquam ecclesiam Fratrum Ordinis Minimorum, aut in ejus defectu, quamcumque aliam ecclesiam civitatis aut loci ubi erunt, ibique orabunt ut supra, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

8°. Pariter iidem, qui in articulo mortis vere contriti, confessi, et sacra Communione refecti, aut, si hoc facere non potuerint, saltem contriti invocabunt nomen Jesu corde, si ore non possint, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

9°. Insuper iidem, qui portantes funem aut cingulum laneum benedictum, semel in die facient aliquam orationem in honorem D. N. J. Ch. et Sanctorum ejus Apostolorum, qua die hoc facient, lucrabuntur indulgentiam centum dierum.

10°. Tandem tam Tertiarii saeculares, quam alii utriusque sexus fideles, dicti chordigeri, quotiescumque ipsi aut quilibet eorum devote intervenient Missis aliisve officiis divinis, quae celebrabuntur aut recitabuntur in ecclesiis, aut hospitio excipient pauperes, aut component vel componi curabunt pacem inter inimicos, aut comitabuntur ad sepulturam cor-

pora defunctorum, aut intervenient cuicumque processioni cum licentia Ordinarii instituendae, aut comitabuntur sanctissimum Sacramentum tam in processionibus, quam quando defertur ad infirmos, aut si legitime fuerint impediti, ad signum campanae recitabunt unum *Pater* et *Ave,* aut recitabunt quinque *Pater* et *Ave* pro necessitatibus sanctae Ecclesiae, aut pro animabus defunctorum tam ejusdem tertii Ordinis quam dictorum chordigerorum, aut ad meliorem frugem reducent peccatores, aut ignorantes docebunt praecepta Dei, et alia necessaria ad salutem, aut facient aliquod aliud opus pietatis aut caritatis, quotiescumque hoc facient, lucrabuntur indulgentiam sexaginta dierum.

11°. Et insuper tam Tertiariis saecularibus quam iisdem chordigeris ut omnes supradictae indulgentiae possint applicari per modum suffragii animabus fidelium defunctorum.

Sacra Congregatio Indulgentiis et Sacris Reliquiis praeposita die 19 Januarii 1756 praefatum indulgentiarum Summarium approbari, publicari, typisque mandari posse censuit. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 28 praedicti mensis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

Fr. J. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. E. Vicecomes, Secret.

17.

Summarium indulgentiarum Societati sacerdotum S. Sulpitii concessarum.

Indulgentia plenaria pro singulis sacerdotibus Societatis, quamdiu perseverant in eadem:

In die suae receptionis in Societatem.

In die, qua celebrabit primam suam Missam.

In articulo mortis.

In una ex diebus, quae praecedent suum discessum in Americam, si eo mittetur a Superiore generali, et in una ex iis, quae sequentur suum adventum in locum suae destinationis.

In una ex diebus, in quibus singulis annis facit exercitia spiritualia, aut alia die post exercitia.

In die, qua singulis annis facit renovationem votorum clericalium.

In anniversario dierum, quibus suscepit baptisma, confirmationem et singulos ex Ordinibus sacris.

In die festo S. Patroni sui.

In Dominica Sanctissimae Trinitatis.

In praecipuis festis D. N. J. Ch., id est, Nativitate, Circumcisione, Epiphania, Paschate, Ascensione et festo Corporis Christi.

In anniversario dedicationis ecclesiarum.

In Dominica Pentecostes.

In praecipuis festis B. M. V., id est, Conceptione, Nativitate, Annuntiatione, Purificatione et Assumptione.

In festis S. Michaelis, S. Gabrielis, S. Raphaelis, sanctorum Angelorum Custodum et Omnium Sanctorum.

In festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, sive celebretur 29 Junii, sive alia die; in festo cujusque alterius Apostoli, et in die Conversionis S. Pauli.

In Nativitate S. Joannis Baptistae et in festo S. Josephi.

In festis sanctorum Protectorum Societatis, id est, S. Sulpitii, S. Francisci Salesii, S. Caroli Borromaei, S. Vincentii a Paulo, S. Philippi Nerii, S. Hieronymi, S. Augustini, S. Ambrosii, S. Martini, S. Francisci Assisiensis, S. Francisci de Paula, S. Ignatii, et S. Francisci Xaverii.

Quando assistet neosacerdoti in prima sua Missa.

Quando in exercitiis spiritualibus, quae faciunt alumni seminarii, aut sacerdotes dioecesis, adhibebitur vel ad praedicandum, vel ad confessiones excipiendas, ad praesidendum exercitiis, aut etiam ad providendum necessitatibus temporalibus eorum, qui faciunt exercitia.

Quando excipiet aliquam confessionem generalem, vel annualem, aut extraordinariam.

Bis in mense diebus ad arbitrium suum eligendis.

Singulis diebus infra octavam fidelium defunctorum, pro liberatione animarum purgantium. Et insuper

Indulgentia plenaria in unaquaque domo Societatis, quando Superior generalis facit aut fieri curat in ea visitationem solemnem: indulgentia plenaria pro visitatore, pro ejus socio, et pro omnibus personis in domo praesentibus tempore visitationis. — In praecipua ecclesia aut capella cujusque seminarii Societatis: indulgentia plenaria in die Praesentationis B. M. V., quia illa die omnes directores et alumni seminarii ibidem faciunt renovationem votorum clericalium. — In praecipua ecclesia aut capella cujusque seminarii Societatis indulgentia plenaria pro omnibus fidelibus in die festo Patroni ecclesiae aut capellae.

SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. praevia revocatione aliarum concessionum ac facultatum, quae hucusque praefatae Congregationi presbyterorum S. Sulpitii sunt impertitae, attentis expositis et ex speciali gratia benigne concessit singulis ejusdem Congregationis presbyteris tam in praesens quam in posterum existentibus omnes et singulas indulgentias in adnexo Summario uti authentico a Sacra Congregatione Indulgentiarum recognito recensitas, servatis tamen servandis in singulis concessionibus praescriptis, non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae ejusdem Congregationis Indulgentiarum die 9 Aprilis 1833.

A. Card. **Frosini**, Praef.
L. Archiepiscopus **Athenarum**, Secret.

18.

Summarium indulgentiarum Monialibus Ursulinis concessarum.

(Habetur supra pag. 234. in Rescripto 308.)

19.

Summarium indulgentiarum Ordini Visitationis B. M. V. concessarum.

Pro Monialibus. 1°. Indulgentia plenaria duobus diebus cujuslibet mensis, uniuscujusque arbitrio eligendis, dummodo vere poenitentes, confessae, ac sacra Communione refectae,

propriam ecclesiam per crates visitent, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis orent. *(Ex Rescripto s. m. Clem. XIII. diei 23 Februarii 1759.)*

2°. Plenaria in quatuor infra annum diebus festis ab Ordinario semel designandis, necnon die vigesima octava mensis Decembris, a primis Vesperis usque ad occasum solis praedictorum quinque dierum, si, ut supra, confessae et sacra Eucharistia refectae, altare seu capellam intra claustra monasterii sitam pariter visitaverint, et juxta memoratos fines oraverint. *(Ex Brevi ejusdem Clem. XIII. diei 20 Novembris 1759.)*

3°. Plenaria, iisdem conditionibus adimpletis, in una feria sexta Quadragesimae ab Ordinario semel eligenda, ac in prima et ultima die Novendialis Nativitatem D. N. J. Ch. immediate praecedentis, si praeter altare intra septa monasterii, ecclesiam etiam externam e cratibus visitaverint. *(Ex Brevi s. m. Pii VI. diei 11 Septembris 1778.)*

4°. Septem vero annorum totidemque quadragenarum indulgentia, singulis injunctis operibus, ut in praecedenti articulo, absolutis, tam in reliquis Quadragesimae feriis sextis, quam in septem aliis praefati Novendialis diebus. *(Ex eodem Brevi.)*

5°. Plenaria quoque indulgentia tum die Commemorationis Omnium Defunctorum, tum in quinque ex sequentibus diebus a Superiorissa respectivi monasterii statuendis, videlicet Transfigurationis D. N. J. Ch., Praesentationis B. M. V., S. Annae, S. Mariae Magdalenae Poen., Exaltationis S. Crucis, S. Augustini, Conversionis S. Pauli, Dedicationis S. Michaelis Arch., S. Claudi, S. Vincentii a Paulo, necnon diebus decimatertia Decembris, secunda Octobris, ac in prima cujuslibet mensis feria sexta, altare seu capellam monasterii, et exteriorem ecclesiam cum supra expositis conditionibus visitantibus.

6°. Indulgentia vero septem annorum, et totidem quadragenarum, praemissa ut supra peragentibus, in reliquis aliis praememoratis viginti diebus. *(Ex Brevi s. m. Pii VII. diei 17 Maji 1816.)*

7°. Indulgentiae septem Urbis Basilicarum, tribus in anno diebus ad libitum Monialium eligendis, si, injunctis operibus, de quibus supra, adimpletis, altare majus exterioris ecclesiae, atque sex alia sacella intra claustra sita ab Ordinario praefigenda, devote visitaverint.

8°. Indulgentiae Scalae sanctae de Urbe, quater in anno diebus ad singularum arbitrium seligendis, si rite dispositae, Scalam intra septa monasterii orationi tantum destinatam flexis genibus ascenderint.

9°. Indulgentiae similiter septem altarium Basilicae Vaticanae de Urbe, iisdem conditionibus persolutis, visitantibus, vel per crates septem altaria exterioris ecclesiae, aut nonnullis deficientibus, alia sacella intra claustra monasterii existentia, idque per duodecim tantum dies infra annum ab Ordinario designandos. *(Ex jam cit. Brevi Pii VI., diei 11 Septembris 1778.)*

10°. Plenaria unicuique Moniali diebus anniversariis respectivae vestitionis, et professionis regularis, dummodo ipsis diebus ecclesiam pariter visitet, ibique juxta consuetos fines oret, vere poenitens confessa, sacraque Synaxi refecta.

11°. Plenaria die primae Communionis generalis, quae post obitum uniuscujusque Monialis peragitur, ut supra visitantibus et orantibus. *(Ex Rescripto Pii VII. fel. rec. diei 11 Junii 1822.)*

12°. Plenaria servatis de more servandis, die anniversaria suscepti Baptismatis singularum Monialium. *(Ex Rescripto s. m. Leonis XII. diei 6 Decembris 1826.)*

13°. Plenaria toties quoties vulgo de Portiuncula nuncupata, incipienda a primis Vesperis diei secundae mensis Augusti, praemissa opera adimplentibus. *(Ex Rescriptis s. m. Pii VII. diei 7 Decembris 1822 et Gregorii XVI. die 16 Octobris 1833 et 6 Decembris 1839.)*

14°. Indulgentia unius anni pro quolibet Psalterii Psalmo in obitu Monialium usque ad earum humationem recitando. *(Ex concessione Pii PP. IX. diei 23 Augusti 1846.)*

15°. Indulgentiae Stationum Urbis, quae in Missali Romano adnotantur, praescriptis conditionibus observatis, visitantibus in propria monasterii ecclesia sanctissimum Eucha-

ristiae Sacramentum. *(Ex Decret. ejusd. Pii IX. die 4 Maji 1847.)*

16°. Plenaria, assuetis injunctis operibus absolutis, in festo sanctissimi Cordis Mariae, in Dominica infra octavam sanctissimi Cordis Jesu celebrando. *(Ex Decret. praefato Pii IX. diei 23 Septembris 1847.)*

17°. Plenaria in mortis articulo constitutis, dummodo rite dispositae sanctissimum Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint. *(Ex Brevi Clem. XIII. diei 20 Novembris 1759.)*

18°. Omnes et singulae indulgentiae, quae in hoc Summario adnumerantur, animabus quoque in purgatorio detentis sunt applicabiles. *(Ex cit. Decret. diei 4 Maji 1847.)*

19°. Omnes et singulae praefatae indulgentiae etiam in casu physicae infirmitatis acquiruntur, dummodo omissa ecclesiae visitatione, alia pia opera a respectivis confessariis injungenda adimpleantur. *(Ex cit. Brev. Clem. XIII. diei 20 Novembris 1759 et praef. Decreto Pii PP. IX.)*

20°. Omnes et singulae praenuntiatae indulgentiae (iis tantum exceptis, quae sub numero decimo adnotantur) pro commorantibus quoque in monasterio extensae sunt et elargitae. *(Ex eodem Decreto Pii PP. IX.)*

21°. Confessario ordinario tantum facultas tribuitur Monialibus et commorantibus in extremo agone constitutis Benedictionem impertiendi, servatis servandis, cum adnexis indulgentiis illarum Sodalitatum, quibus fuerint adscriptae; iis dumtaxat in locis, ubi Regulares respectivi Ordinis non adsint. *(Ex Rescript. Gregorii XVI. diei 14 Januarii 1833 et cit. Decreto Pii IX.)*

22°. Omnia et singula altaria ecclesiae proprii monasterii privilegiata declarantur diebus obitus et depositionis, necnon tertia, septima, trigesima, et anniversaria cujuslibet Monialis, seu commorantis defunctae, ac singulis iis diebus, in quibus juxta regulas seu constitutiones Ordinis, seu Instituti in earum suffragium Missas celebrari facere solent. *(Ex alio Brevi Clem. XIII. diei 11 Novembris 1759 et cit. Decreto Pii IX.)*

23°. Coronae demum ac sacra numismata, quibus Moniales utuntur, quaeque singulis annis inter eas commutantur, indulgentias, quibus ditata sunt, ob talem personarum commutationem non amittunt. *(Ex Brevi Clem. XIII. diei 20 Novembris 1759 et ex Rescriptis Pii VII. diei 12 Augusti 1818, et Leonis XII. diei 19 Julii 1828.)*

Pro Monialibus, commorantibus, ac ceteris utriusque sexus Christifidelibus. 24°. Indulgentia plenaria fidelibus defunctis applicabilis, visitantibus ecclesiam proprii monasterii in festivitatibus Visitationis B. M. V., ac S. Francisci Salesii, in feria sexta post octavam Sanctissimi Corporis Christi, atque in die vigesima prima mensis Augusti (pro ecclesia vero ipsius Instituti Lugdunensis, etiam in die vigesima octava Decembris) a primis Vesperis usque ad occasum solis praefatorum dierum, dummodo iis diebus vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti, in eadem ecclesia pro Christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant.

25°. Item plenaria pariter applicabilis in prima feria sexta cujuslibet mensis cum iisdem conditionibus, visitantibus in ecclesia praedicti Instituti sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice fidelium venerationi, de licentia tamen Ordinarii expositum.

26°. Plenaria similiter applicabilis in prima feria sexta unius tantum infra annum mensis, ab Ordinario pariter eligendi, ipsam ecclesiam eodem modo dispositis, visitantibus et orantibus.

27°. Indulgentia vero septem annorum, septemque quadragenarum in feria sexta undecim reliquorum mensium, praefatis injunctis operibus adimpletis, et cum facultate ipsam quoque defunctis applicandi. *(Ex Brevi Clem. XIII. diei 20 Novembris 1759 et cit. Decreto Pii IX.)*

28°. Altare majus ecclesiae proprii Instituti privilegiatum quotidianum declaratur pro Missis, quae in ipso in suffragium cujuscumque fidelis defuncti celebrantur. *(Ex Rescript. s. m. Leonis XII. diei 6 Septembris 1828.)*

29°. Omnia et singula tam privilegia, quam indulgentiae, quae in hoc Summario recensentur, ad Moniales, commorantes et ad ecclesias universi Ordinis a Visitatione nuncupati extensa sunt et elargita.

30°. Omnia tandem Brevia, Concessiones, Rescripta, seu Decreta in eodem Summario citata, quae olim ad tempus expedita sunt, perpetuis futuris temporibus valitura declaravit Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. *(Ex pluries cit. Decreto diei 4 Maji 1847.)*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium cum suis originalibus collatum, uti authenticum recognovit, typis imprimi ac publicari posse censuit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Januarii 1848.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
J. Gallo, Secret.

20.

Summarium indulgentiarum Societati SSmi Cordis Jesu concessarum.

(Ex s. m. Pii PP. IX. Litteris Apostolicis d. d. 14 Julii 1876.)

Multas jam indulgentias aliasque gratias spirituales religiosis Sororibus e pia Societate SSmi Cordis Jesu a Romanis Pontificibus, Praedecessoribus Nostris et a Nobis ipsis concessas fuisse relatum est. Cum autem hujusmodi gratiae et indulgentiae aliae in perpetuum, aliae in certum temporis spatium concessae fuerint, dilecta in Christo Filia, Praeses Generalis dictae Societatis, humilibus precibus a Nobis petivit, ut illas confirmare ac in perpetuum omnes concedere dignaremur. Nos ejus precibus, quod eo spectant, ut non solum ipsarum Sororum, sed etiam puellarum, quarum ipsis cura committitur, et multorum utriusque sexus Christifidelium commoditati et bono spirituali, quatenus fieri possit, consulatur, libenti animo annuendum esse censuimus. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus et singulis religiosis Sororibus e pia Societate SSmi Cordis Jesu

nunc et pro tempore existentibus in cujuslibet earum mortis articulo, si vere poenitentes et confessae ac sacra Communione refectae, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contritae Nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam; eisdemque Sororibus vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, quae ecclesiam exteriorem, aut oratorium internum respectivae domus, si illam non habeant, in festivitatibus Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Purificationis, Visitationis et Assumptionis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, Dominica in Albis, Dominica Pentecostes et Dominica SSmae Trinitatis, diebus festis Inventionis et Exaltationis SSmae Crucis, S. Josephi, Immaculatae Deiparae Sponsi, B. Mariae Virginis Angelorum Reginae, SS. Leonis Pontificis Maximi, Longini Martyris, Angelorum Custodum, S. Vincentii a Paulo, SS. Michaelis, Gabrielis et Raphaelis Archangelorum, S. Theresiae et S. Augustini, in Natalitiis SS. Apostolorum et Evangelistarum, in Nativitate S. Joannis Baptistae et diebus festis omnium Sanctorum Societatis Jesu, die anniversario Dedicationis aut Benedictionis respectivae ecclesiae vel oratorii per Ordinarios designando et die illius anniversario, quo Societas approbata est, ac Dominica ultima mensis Augusti, a primis Vesperis, necnon die, quo SS. Quinque Vulnerum Domini Nostri Jesu Christi memoria recolitur, duabus feriis sextis, quae primo et postremo loco in mense Martio recurrunt, et primis aliis mensium feriis sextis, excepta tamen feria sexta in Parasceve, die primae Communionis puellarum, quae ab ipsis Sororibus in suis domibus educantur, die uno cujusque mensis ad cujusque Sororis arbitrium eligendo, dummodo septies in eodem mense SSmum Eucharistiae Sacramentum noctis tempore per horam integram adoraverint, ac feria quinta in Coena Domini, et in Solemnitate SSmi Corporis Christi, dummodo singulis mensibus sacrum Hymnum *Pange lingua* cum Versiculis et Oratione semel recitaverint ab ortu usque ad occasum solis dierum hujusmodi, ac feria sexta post octavam Solemnitatis SSmi Corporis Christi immediate sequenti,

vel uno ex septem, quo cuique Sororum libeat, continuis subsequentibus diebus singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea, iisdem Sororibus, qualibet vice vere poenitentes et confessae sacra Communione se refecerint, et opera pietatis Christifidelibus praescripta ad cultum perpetuum SSmi Cordis Jesu adgregatis praestiterint, necnon diebus, quibus religiosam vestem rite sumpserint, et prima vota religiosa emiserint, tum etiam die, quo professionem religiosam fecerint, quoque vota renovaverint, si vere etiam poenitentes et confessae ac sacra Communione refectae ecclesiam, aut oratorium, si ea desit, respectivae domus visitaverint, atque ibidem, ut ante dictum est, oraverint, plenariam indulgentiam supradictam impertimur: quam etiam Sororibus elargimur, quae spiritualibus exercitiis quotannis de more peragendis saltem ultra medietatem temporis, quo eadem perduraverint, devote interfuerint, et postremo die ecclesiam seu sacellum domus, ubi haec spiritualia exercitia peragentur, visitaverint et ibi pias ad Deum preces, ut supra, effuderint. Quoties vero Sorores horum exercitiorum concionibus saltem contritae adfuerint, et ecclesiam vel sacellum, ut supra, visitaverint, ibique oraverint, iisdem ducentos dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Insuper iisdem Sororibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, quae septem oratoria vel altaria seu capellas respectivae domus praeter altare majus ecclesiae publicae exterioris, si haec adsit, bis Adventus et Quadragesimae tempore devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice praefatarum id egerint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas conseque-

rentur, si septem almae Urbis Nostrae tam intra, quam extra illius muros sitas ecclesias ad id designatas personaliter et devote visitarent, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Tum singulis Sororibus, quo die earum unaquaeque vota baptismalia coram SSmo Eucharistiae Sacramento quotannis renovaverit, et vere poenitens et confessa ad sacram Synaxim eo ipso die accesserit, et ecclesiam aut oratorium domus, ut supra, visitaverit, ibique oraverit, plenariam indulgentiam elargimur. Ad haec iisdem Sororibus, vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, quae Scalam intra septa respectivae domus sitam, si hanc domus habeat, orationi tantum destinatam, semel singulis mensibus ad cujusque arbitrium et singulis feriis sextis Quadragesimae flexis genibus pie adscenderint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua vice praefatarum id egerint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si Scalam sanctam de Urbe personaliter et devote flexis genibus adscenderent, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus. Praeterea memoratis Sororibus, quae ecclesiam aut oratorium, ut ante dictum est, respectivae domus singulis Quadragesimae ac aliis infra annum diebus pro consequendis indulgentiis Stationum nuncupatis in Missali Romano descriptis singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si quamlibet ex ecclesiis almae Urbis Nostrae pro dictis Stationibus designatis personaliter iisdem diebus ac devote visitarent, dummodo tamen cetera pietatis opera pro dictis indulgentiis lucrifaciendis rite praestiterint, tribuimus et impertimur. Puellis vero institutionis causa apud Sorores degentibus, quas puellas educandas vocant, quolibet mense vere poeni-

tentes et confessae Communionem generalem de more peregerint, eodemque Communionis generalis die ecclesiam seu oratorium Sororum, penes quas commorantur, devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam indulgentiam supradictam elargimur. Insuper omnibus et singulis Sororibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, quae ecclesiam respectivae domus vel oratorium die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi etiam pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, ut omnes et singulas de Portiuncula nuncupatas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si quamlibet ex ecclesiis Fratrum Monialiumve Ordinis S. Francisci personaliter ea ipsa die devote visitarent, de Apostolica Nostra auctoritate concedimus. Memoratis quoque Sororibus, saltem corde contritis quoties Litanias Lauretanas, aut Hymnum *Pange lingua* cum Versiculo et Oratione devote recitaverint, tercentum, quoties vero devote recitaverint ejusdem Hymni partem, quae incipit *Tantum ergo* usque ad finem cum Versiculo pariter et Oratione, centum dies; et quoties, si Sorores sint professae, crucem professionis osculatae fuerint ac dixerint: *Sacrum Cor Jesu, patrocinium tuum SSmo Domino Nostro Papae N. et sanctae Ecclesiae concedito,* septem annos ac totidem quadragenas; quod si ecclesiam aut oratorium respectivae domus in celebritate Omnium Sanctorum et Nativitate S. Joannis Baptistae, singulis feriis sextis Quadragesimae et feriis sextis mensis Martii, in quibus indulgentia plenaria concessa ipsis non est, diebus festis S. Patroni coelestis uniuscujusque domus, SS. Joachim et Stephani Protomartyris, SS. Annae Matris Genitricis Dei Mariae, Geltrudis et Mariae Magdalenae, die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, postremo anni die, ac tribus Rogationum diebus devote visitaverint, ibique pias,

ut ante diximus, ad Deum preces effuderint, quo die horum id egerint, septem etiam annos ac totidem quadragenas; praeterea iisdem Sororibus, qualibet vice SSmum Eucharistiae Sacramentum in praefata ecclesia seu oratorio unius horae spatio noctis tempore corde contritae adoraverint; puellis vero educandis, corde item contritis, die, quo sacram Confirmationem acceperint, ac illo cujusque anni die, quo baptismalia vota coram augustissimo Sacramento pie renovaverint, si ecclesiam aut oratorium, ut supra, visitaverint atque ibidem oraverint, septem annos item septemque quadragenas; demum omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in aliqua dictarum Sororum ecclesia ante SSmum Eucharistiae Sacramentum quartam horae partem, uti supra dictum est, oraverint, ducentos dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Cum autem in domibus ejusdem Societatis SSmi Cordis Jesu pia Congregatio sub titulo Beatae Mariae Virg. et SS. Angelorum legitime, uti asseritur, erecta existat, Nos, ad augendam mulierum, quae in illam Congregationem cooptantur, pietatem ac religionem, omnibus et singulis mulieribus, quae dictam Congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessae SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Congregatione mulieribus in cujuslibet earum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessae ac sacra Communione refectae, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritae nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam; iisdemque mulieribus vere etiam poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, quae ecclesiam aut oratorium, si ecclesia non adsit, respectivae domus, ubi Congregatio instituta est, duobus, quibus earum cuique libeat, singulorum mensium diebus ab ortu usque ad occasum solis horum dierum, necnon die festo principali respectivae Congregationis vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, ad earum cujusque arbitrium sibi eligendo, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum con-

cordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem mulieribus saltem corde contritis, quae praefatam ecclesiam seu oratorium quatuor anni diebus festis ab Ordinario semel designandis a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, et ibi, ut ante dictum est, oraverint, septem annos ac totidem quadragenas, quoties vero aliquod bonum opus ex instituto Congregationis praestiterint, toties sexaginta dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes supradictas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicari posse indulgemus. Tandem quae Missae ad quodlibet altare in ecclesiis aut oratoriis domorum dictae Societatis pro animabus Sororum earumque consanguineorum et affinium primi et secundi gradus, necnon ipsarum domorum benefactorum et mulierum e praefata Congregatione B. Mariae Virg. et SS. Angelorum, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, celebrabuntur, eae ut animabus ipsis, pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae, auctoritate Apostolica tenore praesentium elargimur. Porro indulgentias singulas tam plenarias, quam partiales, quae superius concessae sunt, presbyteris capellanis et confessariis domorum praefatae Societatis, puellis educandis in ipsis domibus degentibus, aliisque Sororum scholas externas frequentantibus, et Christifidelibus utriusque sexus earum domorum ministerio addictis, si quidem indulgentiis consequendis praescriptas conditiones adimplere possint, concedimus et impertimus.... Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 14 Julii 1876.

Sign. F. Card. **Asquinius.**

D. Jacobini, Secretariae Brevium Substit.

NB. Pius PP. IX. Brevi diei 8 Augusti 1876 omnibus et singulis Monialibus a

S. Corde Jesu in quovis Instituti sui monasterio jam erecto et in posterum erigendo commorantibus aliisque una cum ipsis degentibus mulieribus, quae cujusvis monasterii e praefato Instituto ecclesiam publicam exteriorem, si adsit, secus oratorium internum die 17 mensis Octobris ab ortu usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi ad mentem Sanctitatis Suae oraverint, indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem concessit.

IV. Summaria indulgentiarum Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitatibus, Sodalitatibus et Piis Unionibus concessarum.

21.

Summarium indulgentiarum Archiconfraternitati SSmi Rosarii concessarum.

(Depromptum ex Summario inserto ac confirmato Brevi a s. m. Innocentio XI. *Nuper pro parte* dato ex Urbe sub die 31 Julii 1679, et ex aliis subsequentibus Romanorum Pontificum concessionibus.)

I. *In die ingressus in Confraternitatem.*

1. Fideles, qui contriti, ac Confessione sacraque Eucharistia refecti Societati dant nomen plenariam consequuntur indulgentiam. *(Cap. II. Summ. Indulg. Ss. Rosarii n. 2. et 3.)*

2. Si contriti ac Confessione praemissa in ecclesia aut capella Confraternitatis ad sacram Synaxim eadem die accesserint, tertiam Rosarii partem recitando et oraverint pro pace ac tranquillitate sanctae Matris Ecclesiae, plenariam consequentur indulgentiam. *(Cap. II. n. 1.)*

II. *In Dominica prima uniuscujusque mensis.*

1. Sodales, qui contriti, ac Confessione praemissa sacram susceperint Communionem in ecclesia Confraternitatis, ibique oraverint pro haereseon eradicatione, pro pace inter christianos principes, proque exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. IX. n. 1.)*

2. Pariter si contriti, ac Confessione ac Communione praemissa capellam Ss. Rosarii visitaverint, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. VI. n. 2.)*

3. Si pariter, ut supra, Sacramentis refecti intererint processioni, quae fieri solet, et oraverint pro pace inter christianos principes, pro haereseon eradicatione, proque exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, plenariam consequentur indulgentiam. *(Cap. V. n. 3. et 5. Cap. VI. n. 6.)*

4. Alias quoque partiales indulgentias consequi poterunt. *(Cap. V. n. 1. et 2. Cap. VII. n. 3.)*

III. *In festivitatibus Beatissimae Virginis Mariae.*

1. Sodales, qui contriti et confessi, aut saltem cum firmo Confessionem faciendi temporibus ab Ecclesia designatis proposito, capellam Ss. Rosarii visitabunt a primis Vesperis usque ad solis occasum dierum Conceptionis immaculatae, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Purificationis, Visitationis, et Assumptionis B. Mariae Virginis, indulgentiam plenariam consequentur *(Cap. VI. n. 1).* Quam quidem pariter consequentur, si praedictis diebus Confessione, ac Communione praemissa, ecclesiam quamcumque, vel publicum oratorium praefatis diebus visitaverint, ibique aliquam moram juxta mentem Pontificis orando traxerint: insuper sub iisdem conditionibus eodem jure fruentur etiam in solemnitate Resurrectionis D. N. J. Ch., in Ascensione et Pentecoste, necnon in duabus feriis sextis per Quadragesimam ad arbitrium eligendis. *(Pius IX. Decr. S. C. Indulg. sub die 12 Maji 1851.)*

2. Si Confessione ac Communione praemissa capellam Ss. Rosarii visitaverint, in diebus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis, ibique ad mentem Pontificis oraverint, plenariam consequentur indulgentiam. *(Cap. VI. n. 2 et 3.)*

3. Si contriti ac confessi aut saltem cum sincera confitendi voluntate temporibus ab Ecclesia praescriptis, processioni in solemnitatibus B. Virginis fieri solitae sese socios addiderint, in septem festivitatibus §. 1 memoratis, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. V. n. 4.)*

4. In aliquibus particularibus B. M. Virginis festivitatibus adduntur indulgentiae. In festo Annuntiationis, qui contriti, confessi et Communione refecti Rosarium recitant, indulgentiam plenariam consequuntur: in diebus vero As-

sumptionis, Nativitatis, et Purificationis B. Mariae Virginis conceduntur decem anni et totidem quadragenae. *(Cap. IV. n. 4.)*

5. In festo Assumptionis, si contriti, confessi ac Communione refecti Fraternitatis ecclesiam visitabunt a primis Vesperis ad solis occasum, Deum rogando ut supra, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. VI. n. 9.)*

6. Aliae insuper elargiuntur indulgentiae partiales in variis B. Virginis solemnitatibus, videlicet centum dies tertiam Rosarii partem recitantibus in Annuntiatione, Visitatione, Assumptione, Nativitate et Purificatione B. Virginis. *(Cap. IV. n. 1.)* Sic etiam conceduntur septem anni et totidem quadragenae confratribus, qui contriti ac Confessione praemissa, integrum Rosarium recitant in festivitatibus Annuntiationis, Nativitatis et Assumptionis Beatae Virginis. *(Cap. IV. n. 3.)* Pariter septem anni totidemque quadragenae dantur confratribus, qui contriti ac confessi, sacra Communione suscepta, visitant capellam aut altare Ss. Rosarii, orantes modo supra praescripto diebus Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, et in Nativitate D. N. Jesu Christi. *(Cap. VI. n. 8.)*

IV. *In festo Sanctissimi Rosarii, Dominica prima Octobris.*

1. Omnes conceduntur indulgentiae primae uniuscujusque mensis Dominicae affixae. Insuper confratres, si contriti apud sacerdotem Ordinis Praedicatorum Confessionem peregerint, sacramque sumpserint Eucharistiam in ecclesia ejusdem Ordinis, in qua est instituta Confraternitas Ss. Rosarii, plenariam consequentur indulgentiam. *(Cap. IX. n. 3.)* Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 5. Aprilis 1869 declaravit, in posterum sufficere, ut in quavis ecclesia, et penes quemcumque sacerdotem ab Ordinario loci approbatum, confessi fuerint, et sacram Communionem exceperint, ita tamen, ut debeant visitare ecclesiam Ordinis, in qua erecta sit Confraternitas Ss. Rosarii, vel, deficiente Ordinis ecclesia, aliam, in qua dicta Confraternitas erecta reperiatur.

2. Si pariter Sacramentis susceptis, in memoriam celebris ab armis Christianorum victoriae super Turcas auxilio Virginis reportatae capellam Rosarii (vel simulacrum B. Virginis Rosarii extra capellam publicae venerationi in ec-

clesia expositum *(Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 25 Januarii 1866)*, a primis Vesperis vigiliae ad solis occasum ipsius festivitatis devote visitaverint, ibique, ut supra praescriptum est, oraverint, *quoties id fecerint, toties* plenariam consequentur indulgentiam *(Cap. VI. n. 4. et 7. S. Pius V. Constit.* Salvatoris *5 Martii 1572)*. Haec autem indulgentia omnibus Christifidelibus communis est. *(Cap. VI. n. 5. et in cit. Const. S. Pii V.)*

3. Fidelis quicumque, qui vel octava die, vel infra octavam ipsius festivitatis Ss. Rosarii, die ad arbitrium, capellam Ss. Rosarii (vel simulacrum B. M. Virginis, ut supra) Confessione ac Communione praemissa visitaverit, et per aliquod temporis spatium praedicto modo oraverit, indulgentiam plenariam consequetur. *(Bened. XIII. Bulla* Pretiosus §. 5.)

V. *In festis mysteriorum Sanctissimi Rosarii.*[1])

1. Confratres, qui diebus, in quibus mysteria aliqua Rosarii ab Ecclesia celebrantur, si contriti, ac confessi, ac sacra Communione suscepta, capellam Ss. Rosarii visitaverint, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. VI. n. 6.)*

2. Si in festivitatibus Resurrectionis D. N. Jesu Christi, Annuntiationis et Assumptionis B. V. M. tertiam Rosarii partem recitabunt, decem annos totidemque quadragenas indulgentiae consequentur. Insuper si in reliquis festivitatibus Jesu Christi, et B. Virginis, in quibus mentio fit de mysteriis Ss. Rosarii, saltem tertiam Rosarii partem recitabunt, septem annos totidemque quadragenas consequentur indulgentiae. *(Cap. IV. n. 6. et 7.)*

VI. *In diebus Stationum, aliisque infra annum.*

1. Confratres quinque altaria ecclesiae visitantes, easdem prorsus indulgentias consequuntur, ac si peregre omnes Stationes Urbis visitarent. *(Cap. VIII.)*

Dies porro Stationum hi sunt, Circumcisio, Epiphania, tres Dominicae Septuagesimae, Sexagesimae et Quinquagesimae. A die Cinerum usque ad Dominicam in Albis quotidie. Dies S. Marci et tres dies Rogationum, Ascensio, vigilia et dies Pentecostes usque ad subsequens Sabbatum

[1]) Cfr. Decretum diei 25 Febr. 1877. (Decreta authent. num 431.)

singulis diebus. Quatuor tempora Septembris, Dominicae Adventus cum Quatuor Temporibus Decembris. Vigilia et dies Nativitatis D. N. Jesu Christi, qua die tres Stationes sunt pro tribus Missis, et sequentes tres festivitates. *(Miss. Rom.)*

2. Confratres insuper, qui contriti, confessi ac Communione suscepta altare Ss. Rosarii visitaverint, plenariam consequentur indulgentiam sequentibus diebus, videlicet Dominica tertia Aprilis *(Cap. VI. n. 4.)*, in festo Corporis Christi, et Sancti Titularis ecclesiae *(Cap. VII. n. 6.)* necnon in Dominica infra octavam Nativitatis B. Mariae Virginis, orantes juxta mentem Romanorum Pontificum, qui eandem concesserunt. *(Cap. IX. n. 2.)*

VII. *Pro recitatione Rosarii.*

1. Confratres tertiam Rosarii partem recitantes partiales adipiscuntur indulgentias. *(Cap. III. n. 1. 2. 4. 5. 9.)* Si recitaverint tertiam Rosarii partem in ecclesia Societatis, in capella Ss. Rosarii, vel etiam in ecclesiae parte, ubi visibile sit altare dictae capellae, seu etiam extra civitatem morantes, in qua sit erecta Societas, in quacumque ecclesia, vel oratorio quinquaginta annos indulgentiae consequuntur, semel in die lucrandae. *(Cap. III. n. 1.)*

2. Si vero integrum Rosarium recitabunt, omnes consequentur indulgentias, quae in Hispania conceduntur Coronam B. Virginis Mariae recitantibus. *(Cap. III. n. 11.)*

3. Duo conceduntur anni indulgentiae confratribus pro unoquolibet ex tribus hebdomadae diebus, in quibus tertiam Rosarii partem recitaverint, dummodo tamen integrum in eadem hebdomada illud recitaverint. *(Cap. III. n. 8.)* Confratres, qui devote integrum Rosarium recitaverint, pro qualibet hebdomada consequentur septem annos, totidemque quadragenas. *(Cap. III. n. 10.)* Item confratres, qui contriti et confessi, vel saltem cum proposito Confessionis, ter in hebdomada Rosarium devote recitabunt, pro qualibet vice decem annos totidemque quadragenas consequentur *(Cap. III. n. 6.)*: ac tandem illud per hebdomadam recitantes plenariam consequentur indulgentiam, in vita semel lucrandam. *(Cap. IV. n. 2.)*

4. Omnes Christifideles vel integre vel tertiam Rosarii partem recitantes pro quolibet *Pater* et quolibet *Ave* centum dies indulgentiae consequentur; quodsi per annum singulis diebus saltem tertiam partem recitabunt, Confessione ac Communione praemissa in die ad libitum eligenda plenariam consequentur indulgentiam, dummodo tamen Rosaria a Patribus Ordinis Praedicatorum fuerint benedicta. *(Benedictus XIII. Bulla Sanctissimus die 13 Aprilis 1726.)* Quae sunt indulgentiae ipsae jam coronis S. Birgittae concessae, sicut in Summ. earumdem 4 Decembris 1714 in Bullario Clementis XI.

5. Omnes Christifideles etiam Societati non inscripti, qui saltem contrito corde tertiam Rosarii partem devote recitaverint una cum aliis, vel domi aut in ecclesia, seu oratorio publico vel privato, decem annos totidemque quadragenas consequentur semel in die *(Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 12 Maji 1831.)*

6. Christifidelibus Societati non inscriptis, qui in more habebunt recitandi tertiam Rosarii partem una cum aliis saltem ter per hebdomadam, plenaria conceditur indulgentia qualibet postrema die Dominica uniuscujusque mensis lucranda, si tamen vere contriti, ac Confessione et Communione susceptâ visitabunt ecclesiam quamcumque, aut publicum oratorium, ibique per aliquod temporis spatium ad mentem Summi Pontificis orabunt. *(Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 12 Maji 1851.)*

VIII. *Pro Missa votiva Ss. Rosarii.*

1. Sacerdotes, qui, facultatem habentes, votivam Ss. Rosarii Missam celebraverint, sicuti omnes tum fratres et sorores Ordinis Praedicatorum, tum confratres et consorores Rosarii, qui contriti et confessi vel etiam cum proposito Confessionis devote dictae Missae adstabunt, et ibi oraverint pro pace inter christianos principes, pro haereseon eradicatione, proque exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, consequentur indulgentias omnes integrum Rosarium recitantibus concessas. *(Cap. X. n. 6.)*

2. Insuper semel in mense, si in more habuerint illam celebrandi vel audiendi, contriti confessi et sacra Eucharistia refecti, omnes consequentur indulgentias, quae conceduntur

assistentibus processioni prima Dominica uniuscujusque mensis fieri solitae. *(Cap. 10. n. 7.)*

IX. *Pro variis pietatis operibus.*

1. Confratres Antiphonae *Salve* post Completorium assistentes contriti et confessi, aut cum proposito confitendi praefinito tempore, centum dies indulgentiae qualibet vice lucrantur. *(Cap. VII. n. 4.)* In festis vero B. Virginis, Apostolorum, ac Sanctorum Ordinis Praedicatorum, quando juxta statuta Societatis cum accensa candela adstare debent, tres annos totidemque lucrantur quadragenas *(ibid.)* Ex decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum sub die 11 Aug. 1862 confirmato a Ss. D. N. Pio PP. IX. sub die 18 Sept. 1862, id intelligendum est de festivitatibus B. Virginis, quae per totam celebrantur Ecclesiam, et de Apostolorum natalitiis tantum. In omnibus sabbatis ac festivis diebus per annum quadraginta dies adjiciuntur, et in Sabbatis Quadragesimae annus. *(Ibid. n. 1 et 6.)*

2. Si infirmos confratres visitabunt, tres annos tresque quadragenas. Item si confratres defunctos ad sepulturam associabunt, tres annos tresque quadragenas. Si exsequiis adstabunt sequentes processionem, quae in sabbatis, aut semel in mense fit per ecclesiam, sive per claustrum in suffragium Defunctorum, octo annos indulgentiae consequentur, ac generatim pro omni opere charitatis et pietatis sexaginta dies conceduntur indulgentiae. *(Cap. II. per totum.)*

3. Confratres capellam Ss. Rosarii visitantes quotidie, uti supra orando, centum dies indulgentiae consequuntur. *(Cap. VI. n. 4.)* Si alios induxerint ad tertiam Rosarii partem recitandam, qualibet vice centum quadraginta dies. *(Cap. III. n. 1 et 4.)* Si contriti secum detulerint Rosarium in obsequium B. Virginis semel in die centum annos, et totidem quadragenas. *(Cap. III. n. 3.)* Si nomen *Jesu* in fine uniuscujusque *Ave Maria* pronuntiabunt, quinque annos, et quinque quadragenas consequentur. *(Ibid. et Cap. IV. n. 5.)*

4. Confratres, qui per quartam horae partem mentali orationi dabunt operam, qualibet vice centum dies: si per

mediam horam, septem annos, totidemque quadragenas. Si vero alterutro modo id peragant, dummodo quotidie fecerint per integrum mensem, Confessione, Communione, consuetisque precibus praemissis, indulgentiam plenariam semel in mense, die ad arbitrium eligenda, consequentur. *(Pius VII.* Ad augendam *16 Februarii 1808.)*

5. Confratres, qui in quatuor anniversariis quotannis fieri solitis in Ordine, recitationi Officii Defunctorum adstant, Confessione ac Communione praemissa, et ut supra orantes, plenariam indulgentiam obtinebunt. *(Ibid.)* Denique confratres, qui per dies quadraginta, in memoriam quadraginta dierum, quibus Christus in deserto stetit, in oratione, mortificatione et in aliis piis operibus sese exercebunt, semel in anno easdem lucrantur indulgentias, quas Paulus V. concessit Regularibus sacris spiritualibus exercitiis per decem dies vacantibus. *(Ibid.)*

X. *Pro infirmis, aliisque legitime impeditis.*

1. Plenariam indulgentiam confratribus concessam, qui processioni primae Dominicae uniuscujusque mensis assistunt, consequi poterunt confratres itinerantes, navigantes, aut alicui inservientes, integra Ss. Rosarii recitatione: infirmi vero, vel legitime impediti si tertiam partem recitabunt, dummodo contriti fuerint et veram habeant voluntatem Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiendi diebus ab Ecclesia constitutis. *(Cap. XI.)*

2. Indulgentia plenaria concessa propter visitationem capellae iis diebus, quibus festa mysteriorum Rosarii celebrantur, ab iisdem consequi poterit, si recitabunt Rosarium, uti supra §. 1. *(Ibid.)*

3. Confratres infirmi consequi poterunt plenariam indulgentiam iis concessam, qui sacram Eucharistiam suscipiunt, et processioni intersunt primis uniuscujusque mensis Dominicis diebus in ecclesia Confraternitatis, si tamen contriti confessi et sacra Communione refecti Rosarium coram aliqua devota imagine recitabunt, aliasque effuderint preces pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, haeresum eradicatione, et pace inter christianos principes. *(Cap. V. n. 2 et Cap. IX. n. 1.)*

4. Aliae partiales indulgentiae infirmis conceduntur. *(Cap. VII. n. 4 et 5.)*

XI. *Pro morientibus.*

1. Confratres, qui per hebdomadam Rosarium recitaverint, in morte consequuntur plenariam indulgentiam applicandam a sacerdote juxta formulam absolutionis Ss. Rosarii praescriptam.[1]) *(Cap. IV. n. 2, Cap. IX. n. 4 et post Cap. XII.)*

2. Si in mortis articulo Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae susceperint, indulgentiam plenariam lucrantur. *(Cap. II. n. 1 et Cap. X. n. 1.)*

3. Si semel tantum Rosarium recitaverint contriti et confessi, vel cum proposito etc. excedent ex hac vita manu tenentes candelam benedictam Ss. Rosarii, plenariam indulgentiam consequentur. *(Cap. X. n. 2.)*

4. Si in mortis articulo suscipientes Ss. Sacramenta, ac fidem profitentes sanctae Romanae Ecclesiae recitabunt Ant. *Salve Regina,* ac B. Virgini sese commendabunt, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. X. n. 4.)*

5. Si contriti ac Confessione et Communione suscepta, invocabunt nomen sanctissimum Jesu corde, si ore non poterunt, vel aliquod contritionis dederint signum, indulgentiam plenariam consequentur. *(Cap. X. n. 5.)*

XII. *Pro Defunctis.*

1. Altare sanctissimi Rosarii est *privilegiatum* quotiescumque ab aliquo sacerdote Ordinis Praedicatorum tantum celebrabitur Missa Defunctorum pro anima cujuscumque confratris Ss. Rosarii. *(Cap. XII. n. 1.)* Quod privilegium subinde extensum fuit ad omnia altaria ecclesiarum Fratrum Praedicatorum in favorem et liberationem a poenis purgatorii animarum omnium fidelium. *(Bened. XIII.* „Exponi Nobis“ *die 22 Septembris 1724.)*

2. In ecclesiis, in quibus canonice erecta est Confraternitas, altare Ss. Rosarii pro omnibus sacerdotibus confratribus gaudet privilegio in favorem cujuscumque defuncti. *(S. Cong. Indulg. 7 Junii 1842.)* Praeterea eodem privilegio gaudet altare pro quocumque sacerdote, dummodo aliud non

[1]) Cfr. tamen Decretum diei 22 Martii 1879 ad 3. (Decreta authent. num. 444.)

extet in ecclesia, in qua celebrat, altare privilegiatum. *(Pius IX. „Omnium salutari“ die 3 Martii 1857.)*

Omnes et singulae indulgentiae confratribus et consororibus Ss. Rosarii concessae possunt ab iisdem per modum suffragii applicari animabus fidelium defunctorum, quae vinculo charitatis Deo conjunctae diem clauserint supremum. *(Cap. XII. n. 3.)* Pius IX. Decr. S. C. Indulg. 5 Aprilis 1869 declaravit, indulgentias concessas Confraternitati Ss. Rosarii, quae ex Apostolica concessione omnibus Christifidelibus communes sunt, posse ab iisdem per modum suffragii applicari animabus purgatorii.

Ex Audientia Sanctissimi die 18 Septembris 1862. SSmus D. N. Pius PP. IX. omnes et singulas indulgentias in hoc Summario accurate recensitas, ac de sua et de suorum Praedecessorum Apostolica benignitate tum sodalibus Sanctissimi Rosarii, tum omnibus Christifidelibus, ut in eodem Summario, elargitas clementer confirmavit, idemque Summarium ita redactum ac revisum uti authenticum Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita typis imprimi ac publicari permittit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis.

Loco ✠ Sigilli. F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli**, Substit.

22.

Summarium omnium, et singularum indulgentiarum Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe canonice erectae concessarum.

I. *A Paulo V. die 3 Novembris 1606.*

1. Indulgentia plenaria cuicumque utriusque sexus Christifideli pro die, qua quisque confessus ac sacra Communione refectus Sodalitio nomen dederit.

2. Indulgentia plenaria confratribus et consororibus ejusdem Sodalitatis, qui vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti processioni SSmi Sacramenti, quae die octava solemnitatis Corporis Domini peragi solet singulis

annis, interfuerint, illudque associaverint orantes pro pace, et christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

Haec indulgentia fuit inde ab Innocentio XII., die 27 Novembris 1694, ad feriam sextam post Corporis Domini solemnitatem immediate sequentem translata.

3. Eamdem indulgentiam consequi possunt omnes confratres et consorores, qui legitime impediti praedictam processionem comitari nequiverint, dummodo tamen vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et ut supra oraverint.

4. Indulgentia plenaria omnibus et singulis confratribus et consororibus, qui confessi ac sacra Communione refecti, ac in mortis articulo constituti sanctissimum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus, corde saltem invocaverint.

5. Indulgentia septem annorum, totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui vere poenitentes et confessi, sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festo Corporis Domini sumpserint, et ut supra oraverint.

6. Indulgentia centum dierum singulis confratribus et consororibus quotiescumque divinis officiis et Sodalitatis processionibus interfuerint.

7. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus in qualibet feria sexta totius anni visitantibus ecclesiam, in qua Confraternitas reperitur erecta.

8. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus, qui saltem poenitentes et confessi, processionem feria quinta in Coena Domini peragendam comitati fuerint.

9. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, quotiescumque sanctissimum Sacramentum, quum ad infirmos vel alio defertur, cum lumine aut sine lumine associaverint.

II. *A Clemente X. die 24 Januarii 1673.*

10. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus, pro qualibet vice, qua cadaver alicujus Christifidelis defuncti ad sepulturam associaverint.

III. *A Benedicto XIV. die 2 Augusti 1749.*

11. Indulgentia centum dierum confratribus et consororibus, quotiescumque Missis in ecclesia seu capella vel oratorio Confraternitatis pro tempore celebrandis;

12. Seu congregationibus publicis vel privatis Confraternitatis ubivis faciendis;

13. Vel quibuscumque processionibus de licentia Ordinarii peragendis interfuerint;

14. Aut pauperes hospitio susceperint;

15. Vel pacem inter inimicos aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint;

16. Vel si impediti sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias quocumque et quomodocumque pro tempore deferetur, comitari nequiverint, et campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum ejusdem Confraternitatis recitaverint;

17. Aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint;

18. Vel ignorantes Dei praecepta, et ea, quae ad salutem sunt, docuerint;

19. Vel infirmitate aut carcere detentos visitaverint, aut aliquo spirituali seu temporali subsidio subvenerint;

20. Vel quodcumque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint.

IV. *A Pio IX. die 13 Junii 1853.*

21. Indulgentia plenaria confratribus et consororibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, processioni in Dominica tertia cujuslibet mensis, et feria quinta in Coena Domini fieri solitae interfuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, revocata indulgentia septem annorum etc. in supraenuntiatis diebus a Paulo V. elargita.

22. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui locum, ubi sanctissimum Sacramentum asservatur, feria quinta in Coena Do-

mini corde saltem contrito et devote visitaverint, ac ut supra oraverint; revocata indulgentia centum dierum ab eodem Paulo V. concessa.

23. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus semel in die acquirenda, si pariter corde contrito horis vespertinis, in aliqua ecclesia seu publico oratorio, sanctissimum Sacramentum visitaverint, et ut supra oraverint.

V. *Indulgentiae omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui ad honorem et cultum Sanctissimi Sacramenti sese in sequentibus piis operibus exercuerint, concessae ab Urbano IV. anno 1264 per suam Bullam incipientem* Transiturus, *qua festivitatem Corporis Domini instituit, a Martino V. die 26 Maji 1429 ampliatae, et ab Eugenio IV. die 26 Maji 1433 confirmatae et adauctae.*

1. Indulgentia bis centum dierum omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi in pervigilio festivitatis Corporis Domini jejunaverint, aut aliud opus pium juxta consilium confessarii peregerint.

2. Indulgentia quatuor centum dierum cuicumque Christifideli poenitenti et confesso, qui officio divino in primis, et secundis Vesperis, ac Missae ejusdem festivitatis interfuerit.

3. Indulgentia centum sexaginta dierum, quotiescumque in praedicto festo horis Primae, Tertiae, Sextae, Nonae et Completorii, quis intervenerit pro qualibet ipsarum horarum.

4. Indulgentia bis centum dierum, quotiescumque praefatis sacris functionibus Vesperarum, Matutini, et Missae diebus octavae ejusdem festivitatis quis interfuerit pro quolibet ipsorum operum.

5. Indulgentia octoginta dierum pro singulis reliquis horis in diebus praedictis.

6. Indulgentia bis centum dierum cuicumque, si sacerdos sit, Missam celebraverit, si vero laicus, sacram Communionem devote sumpserit, et processionem sanctissimi Sacramenti in dicta festivitate, aut alia octavae die comitatus fuerit, orando pro pace et sanctae Matris Ecclesiae tranquillitate.

VI. *A Paulo V. praedicta die 3 Novembris 1606.*

7. Indulgentia bis centum dierum omnibus Christifidelibus, qui processionem a sanctissimi Sacramenti Sodalitate in Dominica tertia cujuslibet mensis, et feria quinta in Coena Domini fieri solitam comitati fuerint.

8. Indulgentia quinque annorum totidemque quadragenarum parochis ceterisque utriusque sexus Christifidelibus, qui sine lumine sanctissimum Sacramentum, cum ad infirmos, aut alio defertur, processionaliter associaverint.

9. Indulgentia centum dierum omnibus Christifidelibus, qui impediti, sanctissimum Sacramentum, ut supra comitari nequiverint, unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitaverint, et ut supra oraverint.

10. Indulgentia centum dierum omnibus et singulis mulieribus, quae ex justa causa dictum sanctissimum Sacramentum associare nequiverint, et unum *Pater Noster* et *Ave Maria* recitaverint, ac pro infirmo oraverint.

VII. *A Ven. Innocentio XI. die prima Octobris 1678.*

11. Indulgentia septem annorum, totidemque quadragenarum omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, quotiescumque in quolibet loco sanctissimum Sacramentum ad infirmos cum lumine prosecuti fuerint, et pro pace et concordia, ut supra oraverint.

VIII. *Ab Innocentio XII. die 3 Januarii 1695.*

12. Indulgentia trium annorum, totidemque quadragenarum omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui quotiescumque legitime impediti, sanctissimum Sacramentum, cum ad infirmos defertur, comitari personaliter nequiverint, lumen pro illius associatione miserint.

IX. *A Benedicto XIV. die 13 Septembris 1749 et a Pio IX. die 13 Junii 1853.*

13. Omnes et singulae praefatae indulgentiae, sive plenariae sive partiales, possunt animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit typis-

que imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 14 Julii 1853.

NB. Eadem Sacra Congregatio die 23 Aprilis 1676 declaravit, Confraternitates omnes et singulas Sanctissimi Corporis Christi, ubique terrarum Apostolica vel Ordinaria auctoritate erectas aut erigendas, statim ab earumdem erectione, absque nova alia aggregatione esse debere participes omnium privilegiorum, indulgentiarum etc. a Paulo V. Archiconfraternitati Sanctissimi Sacramenti de Minerva in Urbe concessarum ac in posterum a S. Sede concedendarum.

Concordat cum Originali.

Fr. Jos. M. Sanvito, Mag. Ord. Praed. Vic. Generalis.

23.

Summarium indulgentiarum Seraphicae Chordigerorum Archiconfraternitati per Summum Pontificem Sixtum V. in majori altari Patriarchalis Basilicae S. P. Francisci Minorum Conventualium Assisii erectae variisque Summorum Pontificum Decretis Chordigerorum Confraternitatibus ubicumque in ecclesiis universi orbis auctoritate Ministri Generalis Ordinis Minorum Conventualium erectis vel erigendis concessarum.

Clemens PP. X., Brevi edito die 13 Julii 1673 *Dudum felicis*, quod in Romano Bullario (T. VII. pag. 225) integrum habetur, confirmavit et innovavit Literas Pauli PP. V. *Cum certas* die 2 Martii 1607 expeditas, et omnibus praeterea utriusque sexus Christifidelibus, qui sacrae chordae S. P. Francisci Archiconfraternitati a s. m. Sixto PP. V. per Constitutionem *Ex supernae dispositionis* die 19 Novembris 1585 in ara majori Basilicae Patriarchalis, et, nunc, Capellae Papalis, Assisii primo erectae (sub quo altari religiose asservantur exuviae S. P. Francisci, quaeque Basilica Caput et Mater est Seraphici Ordinis universi), et Confraternitatibus ipsi ex tunc aggregatis, institutis, legitimeque quandocumque instituendis, adscripti fuerint, sequentes concessit indulgentias et spirituales gratias:

I. Illis nempe Christifidelibus, qui pie in memoriam S. P. Francisci *chordam* benedictam ab ejusdem Ordinis Superioribus suscipientes, in Seraphicam Chordigerorum Societatem ingrederentur; *die primo eorum ingressus,* si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpsissent, indulgentiam *plenariam.*

II. Confratribus autem et consororibus adscriptis, etiam

vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, qui Societatis ecclesiam seu oratorium in *festo principali* Archiconfraternitatis a primis Vesperis usque ad occasum solis devote visitassent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effudissent, etiam *plenariam.*

III. Eisdem confratribus et consororibus in *mortis* quoque articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere poenitentes nomen Jesu ore, si possent, sin minus, corde devote invocaverint, *plenariam* similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem.

IV. Confratribus et consororibus ipsis, qui Confraternitatis *processioni* singulis mensibus fieri solitae interfuissent, *tres annos* et totidem *quadragenas.*

V. Iis vero, qui *Officio* B. Mariae Virginis ab ejusdem Societatis confratribus pro tempore celebrando et recitando, aut cuivis alteri Officio pariter interessent, *centum dies.*

VI. Chordigeris eisdem, qui SS. Sacramentum, quando ad infirmos deferretur, comitati fuissent, *quinque annos* et totidem *quadragenas.*

VII. Confratribus pariter et consororibus, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti aliquam Ordinis Minorum ecclesiam a primis Vesperis usque ad solis occasum in *festivitatibus* S. P. Francisci, S. Antonii de Padua, S. Bonaventurae, S. Ludovici Episcopi, S. Bernardini, et S. Clarae; necnon SS. Stigmatum, S. Didaci, S. Petri de Alcantara, SS. Martyrum ejusdem Ordinis, S. Ludovici Regis Francorum, et S. Elisabethae reginae [1]) Hungariae, devote visitassent, et ibi, ut praefertur n. II., pias ad Deum preces effudissent, quo die festivitatum hujusmodi id egerint, *septem annos* et totidem *quadragenas.*

VIII. Ipsis etiam cunctis, *quoties* corpora defunctorum tam confratrum, quam aliorum ad sepulturam comitati fuissent, aut alicui pauperi personae in ejus necessitatibus subvenissent, aut pacem inter inimicos composuissent, *toties* pro quolibet praedictorum operum *centum dies* de injunctis

[1]) Rectius principissae.

eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxavit. *(Hucusque Clemens X.: cetera vero alii Summi Pontifices.)*

IX. Omnibus item Chordigeris, qui *processioni*, ut ante n. IV. in una ex Dominicis cujuslibet mensis fieri solitae interfuissent, Paulus V. Brevi *Pias Christi* die 3 Octobris 1609 edito, quod Innocentius XI. alio Brevi die 26 Augusti 1680 confirmavit, *plenariam* addidit indulgentiam, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti preces ad Deum effudissent, ut n. II.

X. Confratribus insuper et consororibus, qui etiam poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti Archiconfraternitatis ecclesiam devote visitaverint *die secunda Augusti* a primis Vesperis usque ad occasum solis, et ibi pias ad Deum effuderint preces, ut n. II. exprimitur, idem Paulus V. Brevi edito die 15 Junii 1610 indulgentiam concessit *plenariam*, quam ad omnes alias erectas erigendasque Chordigerorum Confraternitates extendit, ut et reliquas indulgentias hucusque recensitas.

XI. Chordigeris praeterea omnibus Gregorius XV. Brevi *Alias* die 27 Junii 1622 edito, in quo Sixti V. Breve *ex supernae* die 19 Novembris 1585 datum continetur et innovatur, concessit lucrari posse omnes et singulas indulgentias *Archiconfraternitati Confalonis B. M. Virginis* in ecclesia S. Luciae de Urbe, a Seraphico Doctore S. Bonaventura sub titulo *Societatis Regulae Recommendatorum* anno 1264, juxta Breve *Pastoris aeterni* Gregorii XIII. die 12 Octobris 1576 editum, primitus institutae; necnon *Ordini Fratrum Minorum directe* et *in specie* concessas et non revocatas, non autem per extensionem vel communicationem eisdem competentes; et Brevi *Pias Christi* die 10 Novembris 1622 dato laudatus Pontifex ipsis sacrae Chordae adscriptis elargitus est frui et gaudere posse omnibus et singulis indulgentiis, quibus iidem *Fratres Minores uti Regulares*, secundum Breve Pauli V. *Romanus Pontifex* die 23 Maji 1606 emanatum, *in genere* fruuntur et gaudent.

XII. Confratribus igitur et consororibus, ex praedictis Summorum Pontificum concessionibus et Brevi etiam *Exponi*

vobis ven. Innocentii XI. die 15 Maji 1688 edito (Chron. t. III. p. I. pag. 286) communicantur, praeter alias multas nostratibus assignatas, indulgentiae pro recitatione Coronae Septem Gaudiorum B. Mariae Virginis, pro Statione SS. Sacramenti, et pro exercitio Viae Crucis: quae praecipuae habentur ac pretiosissimae, et a Tertiariis etiam et Chordigeris omnibus in gratia existentibus *toties quoties* lucrari possunt, et purgatorii animabus applicari.

XIII. Ipsis quoque confratribus et consororibus, qui propriam capellam in ecclesia Ordinis, et ubi Confraternitas eorum erecta existit, devote visitaverint, ibique pie oraverint, ut n. II. dictum est, conceduntur eaedem indulgentiae, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus *Stationum* consequuntur, perinde ac si ecclesias ipsas Urbis personaliter visitassent.

XIV. Adscriptis etiam sacrae Chordae omnibus, qui Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam quinquies ante altare eorum ecclesiae in quolibet die recitaverint, *aut,* si ob paupertatem, distantiam, infirmitatem, vel aliud legitimum impedimentum capellam visitare nequeunt, quinque *Pater* et *Ave* et *Gloria* in honorem quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi et S. P. Francisci dixerint, conceditur lucrari posse *quinque annos* et totidem *quadragenas.*

XV. Unde patet, quod merito in Summario indulgentiarum Seraphici Ordinis (Prinziv. Appendix pag. 93) expressa et congrua enuntiatur exhortatio, ut omnes Christifideles sacram accipiant S. P. N. Francisci Chordam, qua magnum hunc indulgentiarum thesaurum [1]) lucrari valeant. Idque ad majorem Dei gloriam et animarum salutem ab omnibus et singulis ubique terrarum fiat. Amen.

Praesens Summarium indulgentiarum Archiconfraternitatis Chordigerorum S. Francisci cum authenticis documentis concordare repertum est; ideoque permittitur, ut imprimi possit et promulgari. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Junii 1866.

Antonius Maria **Panebianco**, Card.-Praef.
Philippus Can. **Cossa**, Substit.

[1]) Rescriptum S. C. Indulg., quo designantur dies Benedictionis Papalis et communicationis bonorum Chordigeris elargiendae dabimus in appendice.

24.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum a Summis Pontificibus concessorum venerabili Archiconfraternitati Sacrorum Stigmatum S. Francisci de Urbe Romae et a S. D. N. Benedicto XIV. partim confirmatorum, partim extensorum, aut de novo concessorum in perpetuum, prout quoad omnia patet ex decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum et Reliquiarum de die 27 Januarii 1742, quod in originali asservatur in archivio ejusdem Archiconfraternitatis.

1°. Quilibet utriusque sexus Christifidelis, qui vere contritus de suis peccatis se adscribi faciet in fratrem aut sororem venerabilis Archiconfraternitatis Sacrorum Stigmatum, in illa die, id est respectu virorum, eorum ingressus in oratorium, et quantum ad mulieres in die, qua pariter se inscribi facient in sorores, recipiendo in memoriam S. Patris Francisci funem benedictum, ac confitendo et ad sacram Synaxim accedendo, lucrabitur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum.

2°. Quilibet confrater et consoror, qui in articulo mortis Deo commendans animam suam, contritus, confessus, et sacra Communione refectus, aut, si hoc non poterit, saltem contritus invocabit sanctissimum nomen Jesu corde, si ore non possit, lucrabitur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum.

3°. Quilibet confrater et consoror, qui vere contritus, confessus et sacra Communione refectus, visitabit in festo S. Francisci Assisiensis die 4 Octobris a primis Vesperis usque ad solis occasum istius diei ecclesiam, capellam, vel oratorium venerabilis Archiconfraternitatis, ibique Deum orabit pro concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, et pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, lucrabitur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum.

4°. Quilibet confrater et consoror, qui vere contritus, confessus et sacra Communione refectus visitabit ecclesiam, capellam, aut oratorium ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis in festis Purificationis et Assumptionis B. M. V., sanctorum quadraginta Martyrum et Dedicationis ecclesiae

dictae venerabilis Archiconfraternitatis a primis Vesperis usque ad solis occasum eorumdem festorum, ibique Deum orabit ut supra, lucrabitur in singulis dictorum festorum indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

5°. Quilibet confrater et consoror, qui saltem contritus comitabitur sanctissimum Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quae a dicta venerabili Archiconfraternitate de S. Sedis licentia fiunt, quam dum a quocumque loco defertur ad infirmos, aut quacumque alia occasione, lucrabitur singulis vicibus indulgentiam quinque annorum et totidem quadragenarum; et si impeditus sit, ac audiens signum campanae recitabit quinque *Pater noster* et quinque *Ave Maria,* Deum orans pro salute infirmi, lucrabitur singulis vicibus indulgentiam centum dierum.

6°. Quotiescumque aliquis confrater aut consoror dictae Archiconfraternitatis intererit Missis aliisque officiis divinis, orationibus et piis exercitiis, quae celebrabuntur aut fient tempore suo in ecclesia, capella aut oratorio ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis, aut ad meliorem vitam reducet peccatores, aut componet vel componendas curabit discordias cum inimicis propriis, aut alienis, aut hospitio recipiet pauperes, aut visitabit carceratos aut infirmos, juvando ipsos bonis consiliis, et si sint pauperes, aliqua eleemosyna, aut subveniet necessitati alicujus indigentis, aut ignorantes docebit praecepta Dei ad salutem necessaria, aut comitabitur ad sepulturam cadavera defunctorum, tam confratrum et consororum, quam aliorum fidelium, aut recitabit quinquies *Pater* et quinquies *Ave Maria* pro animabus defunctorum confratrum et consororum ejusdem Archiconfraternitatis, quotiescumque faciet aliquod ex dictis piis operibus, toties lucrabitur indulgentiam centum dierum.

7°. Singulis diebus, quibus aliquis confrater et consoror visitabit ecclesiam, capellam, aut oratorium dictae venerabilis Archiconfraternitatis, aut, si legitime impeditus fuerit, recitabit quinque *Pater,* quinque *Ave* et quinquies *Gloria Patri,* etc. in honorem quinque plagarum D. N. J. Ch. et S. Francisci, lucrabitur indulgentiam quinque annorum et totidem quadragenarum.

8°. Quilibet confrater et consoror, qui diebus Stationum in Missali Romano descriptarum visitabit ecclesiam, capellam aut oratorium dictae venerabilis Archiconfraternitatis, lucrabitur easdem indulgentias, acsi visitasset ecclesiam aut ecclesias intra aut extra muros Urbis Romae, in quibus dictis diebus acquiruntur indulgentiae earumdem Stationum.

9°. Quilibet confrater et consoror ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis, qui faciet orationem mentalem saltem per mediam horam, lucrabitur illa die indulgentiam centum dierum. Si continuabit dictam orationem singulis diebus per integrum mensem, poterit in una die ad suam electionem intra eumdem mensem, qua confitebitur et ad sacram Synaxin accedet, lucrari indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum; et si faciet eamdem orationem mentalem quotidie per integrum annum, si in aliqua die ad suum arbitrium, vere contritus, confessus et sacra Communione refectus fuerit, lucrabitur indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum suorum.

10°. Quilibet confrater et consoror ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis gaudet per participationem omnibus orationibus, disciplinis, jejuniis, peregrinationibus, piis operibus, et quocumque alio bono spirituali, quod facit et acquirit quilibet religiosus totius Ordinis S. Francisci Assisiensis.

11°. Quilibet confrater et consoror ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis, qui vere contritus, confessus, et sacra Communione refectus intererit expositioni sanctissimi Sacramenti, quae qualibet Dominica tertia cujusque mensis fit in ecclesia ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis, et ibidem per aliquod temporis spatium Deum orabit, lucrabitur singulis dictis Dominicis indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum.

12°. Singulis vicibus, quibus quilibet confrater et consoror dictae venerabilis Archiconfraternitatis confessus et sacra Communione refectus visitabit diebus statutis infirmos in nosocomio S. Joannis in Laterano, inserviens ipsis in necessitatibus, lucrabitur indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

13°. Confratres et consorores, qui saltem contriti et devoti assistent solemni benedictioni aquae lustralis, quae singulis annis fieri solet in vigilia aut festo Epiphaniae, ritu latino, in ecclesia dictae venerabilis Archiconfraternitatis, ibique orabunt, ut supra, lucrabuntur indulgentiam ducentorum dierum.

14°. Quilibet utriusque sexus Christifidelis, qui vere contritus, confessus, et sacra Communione refectus die secunda mensis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis ejusdem diei visitabit ecclesiam dictae venerabilis Archiconfraternitatis, ibique Deum orabit pro concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, et pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, lucrabitur indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum.

15°. Quilibet utriusque sexus Christifidelis, qui vere contritus, confessus, et sacra Communione refectus visitabit ecclesiam ejusdem venerabilis Archiconfraternitatis in festo Sacrorum Stigmatum S. Francisci, incipiendo a primis Vesperis usque ad solis occasum ejusdem festi, aut in quocumque alio die infra ejus octavam, aut interierit processioni, quae ab eadem venerabili Archiconfraternitate fieri solet aliqua die infra eamdem octavam, Deumque orabit, ut supra, lucrabitur una tantum vice intra dictos octo dies, sive ecclesiam visitando, ut supra, sive comitando praedictam processionem, indulgentiam plenariam et remissionem omnium suorum peccatorum.

16°. Omnes et singulas supra expressas indulgentias poterit quisque lucrari pro se, aut per modum suffragii illas applicare animabus fidelium defunctorum.

17°. Ecclesia venerabilis Archiconfraternitatis ex concessione fel. rec. Benedicti XIII. gaudet altari majori privilegiato quotidie in perpetuum pro anima cujuscumque fidelis defuncti, ut patet ex Brevi 28 Junii 1727.

SSmus Dominus Noster Benedictus PP. XIV. mandat, ut omnium praedictarum indulgentiarum et privilegiorum formetur Summarium aut catalogus a Sacra Congregatione Indulgentiarum et Reliquiarum approbandus, ut quilibet possit videre et cognoscere gratias concessas tam confratribus et

consororibus, quam ipsi ecclesiae venerabilis Archiconfraternitatis, et opera ad illas consequendas praestanda.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 1 Octobris 1743 praefatum Summarium approbari, ac imprimi posse censuit. Et facta de praedictis sub die quinta ejusdem mensis Sanctissimo Domino per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua benigne annuit.

C. Card. de **Hieronymis**, Praef.
A. M. **Erba**, Prot. Apost. Secret.

25.

Summarium indulgentiarum et gratiarum concessarum Archiconfraternitati SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium Urbis Romae.

Paulus V. fel. rec. [1]) per Breve *Cum certus* 2 Octobris 1606 concessit Archiconfraternitati Sanctissimae Trinitatis peregrinorum et convalescentium Urbis Romae praeter sequentes indulgentias facultatem, ut possit aggregare alias Confraternitates, communicando ipsis easdem indulgentias, dummodo observetur, quidquid praescribitur in Constitutione Summi Pontificis Clementis VIII. fel. rec. 7 Decembris 1604, quae incipit *Quaecumque a Sede apostolica.*

1°. Indulgentia plenaria pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui die sui ingressus in Archiconfraternitatem vere contriti, confessi et sacra Communione refecti oraverint pro incolumitate Romani Pontificis, pro concordia principum christianorum, exstirpatione haeresum et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae.

2°. Indulgentia plenaria in articulo mortis omnibus adscriptis, si confessi et sacra Communione refecti, aut, si hoc facere non possint, saltem contriti invocaverint sanctissimum nomen Jesu, corde si ore non possint.

---

[1]) Omnes indulgentiae, gratiae, et privilegia, quibus actualiter gaudet nostra Archiconfraternitas, initium ducunt ab illis concessis a Paulo V. fel. rec. per citatum Breve 2 Octobris 1606, quo annullavit omnes indulgentias, gratias et privilegia concessa a suis Praedecessoribus usque ad illum diem.

3°. Indulgentia plenaria omnibus fidelibus jam adscriptis et adscribendis, si confessi et sacra Communione refecti in die festi sanctissimae Trinitatis, visitaverint propriam ecclesiam, aut oratorium a primis Vesperis usque ad occasum solis, orando ut supra.

4°. Indulgentia plenaria semel in anno lucranda ab adscriptis eidem Archiconfraternitati, si convalescentibus inservierint in proprio suo archihospitali, aut hospitio exceperint peregrinos, aut laverint eorum pedes, aut iis ministraverint ad mensam, aut quid aliud in eorum obsequium fecerint per septem dies continuos, dummodo confessi fuerint et sacra Communione refecti. Qui tamen faciet de die in diem aliquod ex supradictis piis operibus, lucrabitur singulis vicibus indulgentiam centum dierum. Haec indulgentia a Pio VII. fel. rec. aucta fuit ad dies trecentos per Rescriptum die 22 Maji 1821.

5°. Indulgentia quinquaginta dierum fratribus assignatis, qui sacco Archiconfraternitatis induti intererunt concioni Hebraeorum, quae fieri solet in oratorio dictae Archiconfraternitatis.

6°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum visitando propriam ecclesiam aut oratorium, confessi et sacra Communione refecti in die octavae festi Sanctissimae Trinitatis. Indulgentia ducentorum dierum visitando dictam ecclesiam aut oratorium omnibus aliis diebus ejusdem octavae, orando ut supra.

7°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, si confessi et sacra Communione refecti visitaverint praedictam ecclesiam aut oratorium in festis Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, et Assumptionis B. M. V.

8°. Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum semel in mense sumendo sanctissimam Eucharistiam, orando ut supra.

9°. Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum pro singulis vicibus, quibus comitabuntur sanctissimum Sacramentum, quando defertur ad infirmos, et devote orabunt pro iisdem.

10°. Indulgentia unius anni pro singulis vicibus, quibus comitabuntur confratres congregatos pro visitandis ecclesiis Urbis Romae ad faciendam orationem.

11°. Indulgentia ducentorum dierum pro iis, qui intervenient orationi quadraginta horarum, quae fit prima Dominica cujusque mensis, in propria ecclesia aut oratorio orando saltem per mediam horam.

12°. Indulgentia centum dierum pro singulis vicibus, quibus comitabuntur ad sepulturam adscriptos defunctos.

13°. Indulgentia centum dierum fratribus et sororibus pro singulis vicibus, quibus diebus festivis intervenient divinis officiis in proprio oratorio, necnon aliis operibus pietatis, quae fiunt tam in dicto oratorio, quam in ecclesia.

14°. Indulgentia ducentorum dierum lucranda etiam ab omnibus fidelibus, qui contriti et confessi visitabunt dictam ecclesiam et oratorium omnibus feriis sextis Quadragesimae, recitando quinque *Pater* et *Ave,* orando ut supra. Haec indulgentia facta fuit plenaria perpetua a Pio VI. fel. rec. per Rescriptum 11 Decembris 1784, quam postea Gregorius XVI. lucrari posse concessit visitando etiam solam ecclesiam.

Indulgentiae perpetuae a diversis Summis Pontificibus Archiconfraternitati concessae. Post supradictas Pauli V. Papa Pius VII. fel. rec. per Breve 22 Maji 1821 concessit sequentes indulgentias.

1°. Indulgentiam plenariam omnibus adscriptis, qui per octo dies continuos in proprio oratorio praestabunt aliquod obsequium in hebdomada sancta utriusque sexus peregrinis, si confiteantur et sacram Communionem sumunt uno ex dictis diebus ad uniuscujusque arbitrium, visitando tamen ecclesiam Archiconfraternitatis, et orando juxta intentionem Summi Pontificis.

2°. Indulgentiam plenariam pro illis fratribus et sororibus, qui per septem dies continuos servient quocumque modo convalescentibus, lucrandam aliqua die ad arbitrium suum, confitendo et communicando uno ex septem diebus, visitando et orando ut supra.

3°. Indulgentiam plenariam lucrandam bis in anno ad arbitrium, confitendo et communicando, ab adscriptis designatis ad adorationem sanctissimi Sacramenti, quod exponitur prima Dominica cujusque mensis in forma quadraginta horarum, qui vestiti saccis personaliter intervenient tam duabus vigiliis nocturnis annualibus, quam horae diei uniuscujusque mensis, et a sororibus, quae ibi facient mediam horam orationis. Omnibus autem fratribus adscriptis supradicto numero adoratorum communicavit easdem indulgentias plenarias jam concessas piae Sodalitati adoratorum nocturnorum sanctissimi Sacramenti exercentium et contribuentium, qui vigilant in ecclesiis Urbis Romae, ubi augustissimum Sacramentum exponitur in forma quadraginta horarum, et sunt sequentes.

Indulgentiae adoratorum.

1°. Indulgentia plenaria in una die intra mensem, in quo sunt aggregati, si confessi et sacra Communione refecti orent juxta intentionem Summi Pontificis.

2°. Indulgentia plenaria lucranda confitendo et communicando in festo Corporis Christi aut in die octava, orando ut supra.

3°. Indulgentia plenaria lucranda, si confessi et sacra Communione refecti prima feria quinta cujusque mensis orant ut supra.

4°. Insuper alia indulgentia plenaria lucranda ad arbitrium suum quocumque die cujuslibet mensis, in quo confessi et sacra Communione refecti orabunt ut supra.

5°. Indulgentia plenaria pro eo, qui confessus et sacra Communione refectus visitat in aliqua ecclesia sanctissimum Sacramentum etiam in tabernaculo reconditum, et orat juxta intentionem Summi Pontificis in festis Sanctissimae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis B. M. V., in festo Omnium Sanctorum, in die Commemorationis fidelium defunctorum, in festo S. Josephi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Baptistae et S. Joannis Apostoli et Evangelistae.

6°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum illi, qui confessus et sacra Communione refectus

visitabit sanctissimum Sacramentum ut supra in festis B. M. V. et in illis SS. Apostolorum.

7°. Eaedem indulgentiae descriptae in numeris 5 et 6 pro illo, qui aegrotans confessus et sacra Communione refectus loco supradictae visitationis recitabit quinque *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem sanctissimi Sacramenti, et insuper unum *Pater,* etc. secundum intentionem Summi Pontificis.

8°. Indulgentia sexaginta dierum pro quocumque opere pio, quod devote fiet ab aggregatis quocumque die.

9°. Tandem eaedem indulgentiae Stationum Urbis Romae, expressae in decreto Sac. Cong. Indulg. 9 Julii 1777 (et supra pag. 239 in Rescripto 313 descriptae), omnibus aggregatis, qui diebus Stationum in Missali Romano descriptarum, visitabunt in ecclesia sibi magis commoda sanctissimum Sacramentum, etiam in tabernaculo reconditum, orando juxta intentionem Summi Pontificis.

Indulgentiae partiales concessae ab eodem Summo Pontifice per Rescriptum diei 22 Maji 1821.

Has indulgentias lucrari possunt tam confratres et consorores, quam convalescentes et peregrini utriusque sexus morantes in nostro pio loco.

1°. Indulgentia septem annorum recitando, dum peregrinis utriusque sexus lavantur pedes, aut in dormitoriis, quotidie unum *Pater, Ave,* tria *Gloria* et *Credo*, ter repetendo orationem jaculatoriam „*Jesu, Joseph et Maria vobis do cor et animam meam*“, lucranda aliqua die suae commorationis ad arbitrium, confitendo et communicando.

2°. Indulgentia trecentorum dierum recitando quotidie in communi, corde saltem contrito, tria *Pater, Ave* et *Gloria,* et unum *Credo* et orationem jaculatoriam: „*Laudatum semper sit nomen Jesu et Mariae.*“

3°. Indulgentia trecentorum dierum illis fratribus et sororibus, qui quocumque die inservient tam utriusque sexus peregrinis, quam convalescentibus.

Indulgentiae ecclesiae.

1°. Indulgentia plenaria, etiam applicabilis per modum suffragii, pro omnibus utriusque sexus fidelibus, qui qualibet prima Dominica cujusque mensis, extensa ad feriam secun-

dam et quartam immediate sequentes, visitabunt sanctissimum Sacramentum expositum in forma quadraginta horarum in nostra ecclesia, orando pro concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, juxta intentionem Summi Pontificis. (Benedictus XIII., 12 Augusti 1728.)

2°. Indulgentia plenaria, applicabilis etiam per modum suffragii animabus purgatorii, in die festo S. Philippi Nerii, fundatoris Archiconfraternitatis, incipiendo a primis Vesperis et orando juxta intentionem Suae Sanctitatis. (Clemens XII., 7 Augusti 1734.)

3°. Indulgentia plenaria perpetua applicabilis ut supra, cuicumque, qui confessus et sacra Communione refectus visitabit ecclesiam nostram, orando juxta intentionem Summi Pontificis in festis sanctissimae Trinitatis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. aut in respectivis octavis cujusque ex illis festis. (Pius VI., 11 Decembris 1784.)

4°. Indulgentia plenaria applicabilis ut supra, confitendo et communicando in die Dedicationis nostrae ecclesiae, quae est 12 Junii, in festo Conceptionis et Praesentationis B. M V., S. Josephi Sponsi ejus, S. Matthaei Apostoli, S. Benedicti Abbatis, et S. Josephi Calasanctii.

5°. Indulgentia plenaria in primo sabbato cujusque anni, et quolibet alio sabbato indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, applicabilis ut supra, visitando ecclesiam et orando juxta intentionem Summi Pontificis. (Pius VII., 26 Januarii 1806.)

6°. Indulgentia plenaria primo et ultimo die novenae sacri Natalis, et indulgentia septem annorum et septem quadragenarum in unoquoque ex aliis diebus ejusdem novenae, orando ut supra. (Pius VII., 26 Januarii 1816.)

7°. Indulgentia plenaria, etiam animabus purgatorii per modum suffragii applicabilis, pro eo, qui intererit duobus respectivis triduis praecedentibus festa sanctissimae Trinitatis et S. Matthaei Apostoli, in quibus exponitur sanctissimum Sacramentum, si confessi et sacra Communione refecti orant ut supra. Qui intererit uni tantum diei dictorum triduorum et cuilibet diei novenae, lucrabitur indulgentiam

ducentorum dierum, dummodo contritus oret ut supra. (Breve fel. rec. Pii VII., 26 Januarii 1816.)

8°. Indulgentia plenaria, applicabilis ut supra, in die Commemorationis fidelium defunctorum, et septem sequentibus, si confessi et sacra Communione refecti, visitant et orant ut supra. Et indulgentia septem annorum et septem quadragenarum quocumque alio die supradictae octavae, visitando ut supra. (Rescriptum 26 Januarii 1806.)

9°. Indulgentia plenaria semel in mense aliqua die ad arbitrium pro quocumque, qui confessus et sacra Communione refectus visitabit altare S. Philippi Nerii in nostra ecclesia, et indulgentia 100 dierum quocumque alio die. (Rescriptum 10 Maji 1819.)

10°. Indulgentia plenaria semel in mense ad arbitrium cujusque fidelis, animabus purgatorii per modum suffragii applicabilis, visitando nostram ecclesiam et orando ut supra. (Pius VII., 18 Junii 1821.)

11°. Indulgentia plenaria, applicabilis ut supra, visitando feriis sextis Quadragesimae ecclesiam et oratorium, aut solam ecclesiam, orando juxta intentionem Suae Sanctitatis. (Gregorius XVI., 26 Augusti 1845.)

Indulgentiae annexae pio exercitio Viae Crucis, visitando illam in nostra ecclesia. (Clemens XIV., 6 Julii 1770.[1])

Indulgentiae annexae septem altaribus BasilicaeVaticanae, visitando altaria nostrae ecclesiae, id est, altare majus, dedicatum SS. Trinitati; Beatae Mariae Virginis et S. Benedicti; S. Augustini; S. Caroli; sanctissimi Crucifixi; Annuntiationis, et S. Matthaei Apostoli. (Pius VI., 17 Septembris 1782.)

Indulgentia plenaria per septem annos, etiam per modum suffragii animabus purgatorii applicabilis, pro omnibus utriusque sexus fidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti, orantes juxta intentionem Summi Pontificis visitabunt ecclesiam Archiconfraternitatis in die, qua celebratur solemnis processio Corporis Christi. (Pius IX., 27 Martii 1848.)

---

[1]) Ut indulgentiae Viae Crucis acquiri possint in ecclesiis aut oratoriis Congregationum aggregatarum, illius erectio canonica procuranda est.

Altaria privilegiata quotidiana perpetua in suffragium animarum purgatorii existentia in nostra ecclesia sunt altare majus, illud sanctissimae Virginis, S. Gregorii Magni, S. Philippi Nerii, et illud S. Matthaei singulis feriis secundis pro solis fratribus.

Indulgentia partialis perpetua.

Indulgentia trecentorum dierum, per modum suffragii applicabilis animabus purgatorii, recitando Litanias Lauretanas. [1])

Tandem cum nostra Archiconfraternitas aggregata sit Ordini PP. Capucinorum, et illi PP. sanctissimae Trinitatis pro redemptione captivorum, et alteri PP. Discalceatorum sive Reformatorum sanctissimae Trinitatis, fratres et sorores nostri sunt participes omnium bonorum operum, orationum, jejuniorum, etc. illorum Ordinum, ut habetur ex litteris patentibus expeditis a Superioribus generalibus uniuscujusque ex dictis Ordinibus religiosis; nempe primae sunt 24 Aprilis 1590, in quibus tamen etiam expressae sunt sorores, uxores et filii fratrum; aliae 7 Julii 1821, et aliae 31 ejusdem mensis et anni.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, ac typis imprimi et publicari posse censuit. In quorum fidem, etc. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Augusti 1851.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

---

[1]) Pius VII. fel. rec. decreto *Urbis et Orbis* concessit omnibus fidelibus, qui eas quotidie recitant, indulgentiam plenariam lucrandam in quinque principalibus festis B. M. V., dummodo confessi et sacra Communione refecti visitent aliquam ecclesiam aut publicum oratorium, et ibi per aliquod temporis spatium orent juxta intentionem Summi Pontificis. Haec indulgentia potest applicari in suffragium animarum purgatorii, ultra partialem 300 dierum pro singulis vicibus.

26.

Summarium indulgentiarum Archiconfraternitati Mortis et Orationis de Urbe a Summis Pontificibus concessarum, a Sacra Indulgentiarum Congregatione adprobatarum.

1. Indulgentia plenaria omniumque peccatorum remissio omnibus iis, qui confessi sacraque Communione refecti, in numerum se referri curaverint fratrum et sororum, eo ipso die, quo fuerint recepti, uti ex Brevi Pauli V. sub die 26 Octobris 1606.

2. Item indulgentia plenaria, etiam animabus fidelium defunctorum applicanda, ac omnium peccatorum remissio omnibus Christifidelibus utriusque sexus, qui confessi et sacra Communione refecti ecclesiam Archiconfraternitatis visitaverint die Commemorationis Omnium Defunctorum, et unoquoque die octavae, ibique Deum exoraverint pro animabus mortuorum, ac praesertim fratrum et sororum, et pro benefactoribus Archiconfraternitatis juxta Breve Pauli V. sub die 27 Octobris 1609, et a Clemente X. sub die 5 Maji 1671 confirmatum et adauctum.

3. Item indulgentia plenaria omniumque peccatorum remissio omnibus fratribus et sororibus in articulo mortis constitutis, qui confessi et sacra Communione refecti, quatenus id commode facere valeant, sanctissimum Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde saltem invocaverint, uti ex praedicto Brevi Pauli V.

4. Item indulgentia plenaria omniumque peccatorum remissio omnibus Christifidelibus utriusque sexus, qui confessi sacraque Communione refecti ecclesiam Archiconfraternitatis visitaverint, dum Oratio fit quadraginta horarum singulis mensibus, ibique Dominum Deum oraverint pro Summi Pontificis salute, pro pace et tranquillitate Sanctae Sedis Apostolicae, omniumque principum christianorum, uti ex Brevi Benedicti XIII. fel. rec. sub die 21 Januarii 1729.

5. Item indulgentia trium annorum totidemque quadragenarum omnibus Christifidelibus, qui confessi et contriti, aut cum firmo saltem proposito confitendi, ecclesiam Archiconfraternitatis visitaverint die Nativitatis Domini nostri

Jesu Christi, seu feria sexta in Parasceve, aut eo die, quo Archiconfraternitas processionem agit sanctissimi Sacramenti infra octavam Corporis Christi, ibique Deum oraverint ut supra: quam indulgentiam lucrabuntur in quolibet dictorum dierum. (Paulus V. ut supra.)

6. Item quinquaginta dierum indulgentia omnibus Christifidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti ecclesiam Archiconfraternitatis visitaverint die Purificationis, aut die Annuntiationis gloriosissimae Virginis, ibique Deum ut supra oraverint. (Paulus V. ut supra.)

7. Item omnes confratres et consorores, qui ad mortuos sepeliendos se contulerint, vel ad sepulchrum comitati fuerint, pro qualibet vice septem annorum indulgentiam, si Romae fuerint cadavera; si vero extra Urbem fuerint, nempe in agro Romano, tunc viginti annorum totidemque quadragenarum indulgentiam lucrabuntur. (Paulus V. ut supra.)

8. Item omnes fratres et sorores, qui confessi sanctissimam Communionem susceperint in festivitate Inventionis sanctae Crucis, vel Assumptionis gloriosissimae Virginis Mariae, et Dedicationis sancti Michaelis Archangeli, aut sanctae Catharinae Virginis et Martyris pro qualibet dictarum festivitatum confessi sacraque Communione refecti, trium annorum totidemque quadragenarum indulgentiam consequentur. (Paulus V. ut supra.)

9. Item omnes fratres et sorores, qui divinis Officiis interfuerint, quae in oratorio aut in ecclesia Archiconfraternitatis recitantur, vel generalibus aut secretis congregationibus, vel processionibus sive ordinariis sive extraordinariis interfuerint, vel sanctissimum Sacramentum, quum ad infirmos defertur, associaverint, aut impediti, quum dato ad hunc effectum signo campanae, unum *Pater noster* et unum *Ave Maria* recitaverint pro infirmo, vel pro animabus defunctorum fratrum et sororum Sodalitatis, vel puellas dotaverint, aut peregrinos hospitio receperint, aut eleemosynam iis dederint, aut tandem in aliquibus piis operibus se exercuerint, quotiescumque ex dictis rebus piisque operibus unum tantum peregerint, centum dierum indulgentiam lucrabuntur. (Paulus V. ut supra anno 1606.)

Denique praefata Archiconfraternitas vigore Brevium Pauli V. et Benedicti XIII. facultatem habet aggregandi quamlibet Sodalitatem, eisque tanquam aggregatis communicandi omnes et singulas supradictas indulgentias, excepta indulgentia plenaria descripta in §. IV hujus Summarii, uti legitur in allegato Brevi Benedicti XIII. s. m. anni 1729.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 29 Augusti 1747 praedictarum indulgentiarum Summarium approbari atque typis mandari posse censuit. De quibus facta per me infrascriptum ejusdem Sacrae Congregationis Secretarium die 18 Septembris Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua idem Sacrae Congregationis votum benigne approbavit.

Fr. S. Card. **Portocarrero**, Praef.
A. M. Erba, Protonot. Apost., Secret.

27.

Summarium indulgentiarum Archiconfraternitatis Doctrinae Christianae.

(Pauli V. Constit. *Ex credito* d. d. 6 Octobris 1607.)

Ex credito Nobis pastoralis officii munere piis locis, quae majora in dies in spiritualibus et temporalibus ad Dei gloriam et animarum salutem incrementa suscipiunt, ulteriora subsidia et ampliora concedimus privilegia: ne quicquam illarum rerum praetermittamus, quae ad christianam propagandam religionem conducere videntur. Ob has causas considerantes Nos, jure optimo a Sacro Tridentino Concilio et Summis Pontificibus Praedecessoribus Nostris statutum, et jam multos abhinc annos maximo Ecclesiae Dei commodo observatum fuisse, ut pueri singulis Dominicis et aliis festivis diebus fidei rudimenta, obedientiam erga Deum et parentes aliasque christianas virtutes ab iis, ad quos spectat, edocerentur: ut hac ratione, qui ad mundi voluptates sequendas natura proni sunt, christiana pietate eruditi, de virtute in virtute proficientes, tales evaderent, qui ad populi christiani mores informandos et catholicae fidei incrementum idonei efficerentur ministri: atque hoc consilio cum nonnulli pro-

bitatis viri zelo charitatis accensi, pro divini cultus augmento in hac Alma Urbe Nostra ceterarum Matre et Magistra Tridentino Concilio publicato in quibusdam ecclesiis pueros et adultos quoscumque summa pietate ac diligentia doctrinam christianam docere coepissent; hoc pium opus praestante Domino, exiguo temporis spatio adeo incrementa suscepisse, ut Congregatio sub Doctrinae Christianae nomine jampridem instituta fuerit: ex quibus licet aliqui tantum in communi vivant cum suo Praeposito in ecclesia S. Agathae regionis Transtiberinae; in unum tamen omnes sub uno Protectore conveniunt, atque uno Praeside huic saluberrimo operi singulis festivis diebus sedula incubuerunt et incumbunt diligentia, Nos pro Nostro pastoralis officii munere hoc pium christianaeque reipublicae necessarium opus, ex quo hactenus uberrimi fructus provenerunt ac multo uberiores posthac proventuros speramus, ex animo amplectentes, illudque in dies augeri magis ac magis cupientes; Congregationem praedictam in Urbe institutam, necnon singulas illius personas et ecclesias, nempe S. Martini, regionis Arenulae, S. Agathae, regionis Transtiberinae eidem Congregationi Apostolica auctoritate concessas, sub nostra et Sedis Apostolicae protectione suscipientes; motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, in celeberrima Basilica Principis Apostolorum de Urbe, Congregationem doctrinae christianae hujusmodi in Archiconfraternitatem Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo erigimus et instituimus. Illiusque sic erectae et institutae perpetuum Administratorem et Protectorem dilectum filium Nostrum Hieronymum tituli S. Blasii Presbyterum Cardinalem Pamphilium nuncupatum, ac pro tempore existentem in Urbe et ejus districtu Romani Pontificis Vicarium, harum serie constituimus et deputamus. Ac ipsius Archiconfraternitatis confratribus pro tempore existentibus aggregandi dictae Archiconfraternitati alias quasvis ejusdem doctrinae christianae in qualibet mundi parte canonice erectas et institutas, ac instituendas Confraternitates, illisque privilegia, indulta, favores, exemptiones, gratias et indulgentias infrascriptas sibi per Nos concessas, ac pro tempore a Sede Apostolica con-

cedendas communicandi, necnon de Administratoris et Protectoris praedicti consensu, quaecumque statuta felix regimen et gubernium dictae Archiconfraternitatis concernentia, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus et Decretis Concilii praedicti, Constitutionibusque Apostolicis minime contraria condendi, illaque sic condita, pro rerum et temporum qualitate in toto vel in parte, ac toties quoties opus fuerit, immutandi, et in eorum locum alia de novo edendi, licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus et impartimur. Ut autem devotio Christifidelium ad dictum opus exercendum in dies magis augeatur, de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui pro ministris, operariis et confratribus dictam Archiconfraternitatem ingredientur, die primo illorum ingressus, seu eo die, quo dictae Archiconfraternitati adscripti fuerint, plenariam; necnon eisdem sic descriptis, qui vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum in festo, quod ab ipsa Archiconfraternitate et aliis Confraternitatibus aggregatis, seu aggregandis pro earum praecipuo et principali respective eligetur, sumpserint, etiam plenariam; quique vere poenitentes et confessi dictum sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint aut id facere non valentes, animo contrito Nomen Jesu saltem corde in mortis articulo invocaverint, similiter plenariam omnium peccatorum suorum remissionem et indulgentiam dicta auctoritate earumdem tenore praesentium concedimus. Praeterea eisdem confratribus, qui vere poenitentes et confessi semel quolibet mense sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint; septem annos et totidem quadragenas; quique in causa fuerint, ut pueri, famuli aut quaevis aliae personae ad discendam doctrinam christianam eant, ducentos dies. Qui vero diebus Stationum Urbis hanc doctrinam in ecclesiis docuerint, ac etiam illi, qui ad eamdem discendam accesserint, easdem indulgentias consequantur, quas consequerentur et consequi possent, si ecclesias Stationum personaliter visitarent. Easdem etiam indulgentias visitatores dictae

Archiconfraternitatis, qui ex commisso sibi officio visitabunt illas scholas, quas in illo die visitare poterunt, consequantur. Insuper eisdem confratribus, qui diebus feriatis hanc doctrinam christianam aut publice aut privatim explanaverint, centum dies. Necnon omnibus et singulis praeceptoribus, qui diebus festivis discipulos suos ad doctrinam christianam duxerint, eosque illam docuerint, septem annos. Quique diebus feriatis in propriis scholis eamdem doctrinam explicaverint, centum dies. Sacerdoti etiam dictae Archiconfraternitatis, qui in ecclesia seu oratorio illius Confraternitatis verbum Dei praedicaverit aut collationes fecerit (licet illo die non intervenerit in aliqua schola docendi causa), septem annos. Omnibus autem et singulis patribus et matribus familias, qui in suis domibus liberis, famulis et familiaribus utriusque sexus doctrinam christianam explanaverint, qualibet vice id fecerint, centum dies. Item confratribus, qui per civitatem viros, mulieres aut pueros ad eamdem doctrinam christianam ducendi causa circumierint, septem annos. Eisdem autem confratribus, qui extra civitatem ad illam docendam per castella et villas exierint, decem annos. Item eisdem confratribus, qui disputationibus, quae in scholis dictae Archiconfraternitatis fieri solent, interfuerint, ducentos dies. Omnibus item et singulis Christifidelibus, qui per mediam horam doctrinam aut docendi aut discendi gratia studuerint, centum dies. Eisdem etiam confratribus, qui infirmos dictae Archiconfraternitatis visitaverint, quoties id fecerint, ducentos dies. Quoties vero sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, dum ad infirmos defertur, comitati fuerint, septem annos. Eisdemque confratribus, qui corpora confratrum et consororum defunctorum ad sepulturam associaverint, aut exsequiis, anniversariis officiisve, quae pro eis celebrantur, pro eorum animabus preces fundentes interfuerint, tres annos. Ac quoties divinis officiis et congregationibus publicis vel secretis dictae Archiconfraternitatis intervenerint, ducentos dies. Eamdemque indulgentiam consequantur, quandocumque processionibus a locorum Ordinariis sub vexillo dictae Archiconfraternitatis praescribendis interfuerint. Item omnibus et singulis utriusque sexus et

cujuslibet aetatis Christifidelibus ad doctrinam christianam discendam in dictis scholis convenire solitis, qui peccata sua quolibet B. Mariae Virginis aut alio festo a Superioribus dictae Congregationis determinando confessi fuerint, tres annos: iis vero, qui ad communicandum habiles sunt, si dictum Eucharistiae Sacramentum devote sumpserint, quinque annos. Praeterea quolibet die dicta Congregatio in quavis civitate vel terra publicabitur, omnibus et singulis utriusque sexus confratribus dictae Confraternitatis vere poenitentibus, confessis ac communicatis septem annos et totidem quadragenas de eis injunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino concedimus et relaxamus. Nostrae propterea intentionis esse declaramus, quod indulgentiae, gratiae et indulta praedicta intelligantur, ac sint concessa cuivis Confraternitati canonice erectae sive erigendae in qualibet orbis parte, statim, ac praedictae Archiconfraternitati juxta Constitutionem fel. rec. Clementis PP. VIII., Praedecessoris Nostri fuerit aggregata, nec absque aggregatione hujusmodi gratiarum et indulgentiarum praedictarum particeps ullo modo esse possit.[1]) Declarantes nihilominus, quod cum una Confraternitas dictae doctrinae christianae unius civitatis aggregata fuerit; intelligantur et sint omnino aggregatae reliquae omnes utriusque sexus ab Ordinario loci erectae et erigendae, earumdemque indulgentiarum et gratiarum praedictarum participes sint. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod praesentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et sigillo dictae Archiconfraternitatis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 6 Oct. 1607 Pontificatus Nostri anno 3.

---

[1]) S. m. Clemens PP. XII. Brevi diei 27 Junii 1735 praedictas indulgentias ad adultos Urbis, Italiae et insularum adjacentium catechismo seu doctrinae christianae interessentes extendit, eisdemque quoties poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti dicto pio exercitio devote interfuerint, indulgentiam 7 annorum; si vero illud assidue frequentaverint, docentes vel addiscentes, plenariam indulgentiam, sub consuetis conditionibus, in Nativitatis D. N., Paschatis, et SS. Apostolorum Petri et Pauli festis diebus in perpetuum concessit.

28.

Summarium Archiconfraternitatis B. M. V. Dolorosae ac Animarum purgatorii canonice erectae in coemeterio sacrosanctae Basilicae S. Mariae Transtiberim.

Pius PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam. In his, per quae animarum Christifidelium salus procuratur, pro Nostro Pastorali munere intendentes coelestium indulgentiarum thesauros libenter erogamus, ut ipsi spiritualibus donis hujusmodi illecti ad pietatis et religionis opera ferventius incumbant. Cum itaque, sicut accepimus, in coemeterio Basilicae S. Mariae Transtiberim de Urbe una pia et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas seu Pia Unio sub titulo Beatae Mariae Virginis Dolorosae, ac sub invocatione animarum purgatorii canonice erecta existat, cujus confratres et consorores quam plurima pietatis et caritatis opera exercere consueverunt, seu intendunt, Nos, ut Confraternitas hujusmodi, seu Pia Unio majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem seu Piam Unionem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in eadem Confraternitate seu Pia Unione confratribus et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon iisdem confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis ac sancta Communione refectis, qui oratorium dicti coemeterii tertia Dominica mensis Septembris, ac die festo S. Josephi, necnon in Nativitatis, Resurrectionis et Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, et quinque de praecepto Ecclesiae Beatae Mariae Virginis festivitatibus a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro chri-

stianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter; insuper iisdem confratribus et consororibus vere pariter poenitentibus et confessis, ac sancta Communione refectis, qui praedictum oratorium Confraternitatis seu Piae Unionis hujusmodi die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, singulisque diebus intra illius octavam, ut supra, visitaverint, et ibidem oraverint, plenariam pariter spatio praefatorum dierum per unumquemque eorum ad sui libitum eligendam lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea, ne confratres et consorores praedicti, si aliquando eos distare ac alibi morari contigerit, spiritualium gratiarum hujusmodi priventur, ut parochialem seu majorem ecclesiam loci, in quo ipsi pro tempore moram trahunt, visitando, aliaque praemissa adimplendo easdem omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequi possint et valeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium elargimur. Quoties vero Missis et aliis divinis officiis in supradicto oratorio pro tempore celebrandis, et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, necnon etiam, qui corpora defunctorum tam confratrum et consororum hujusmodi, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia dilecti Filii Nostri in eadem Urbe Vicarii in Episcopalibus Generalis faciendas, sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias quocumque, aut quomodocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et Salutationem easdem, pro animabus defunctorum confratrum, et consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, et ea, quae ad salutem sunt necessaria, docuerint, aut quodcumque aliud pie-

tatis vel caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praefatorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. Praesentibus, perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, per praesentes nulla sit, utque si dicta Confraternitas seu Pia Unio alicui Archiconfraternitati aggregata sit, vel imposterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae Litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 5 Octobris 1818 Pontificatus Nostri anno decimo nono.

29

Summarium indulgentiarum Piae Unioni Sacri Cordis Jesu canonice erectae in ecclesia S. Mariae ad Pineam, *nunc in ecclesia* S. Mariae de Pace *in Urbe existenti concessarum.*[1])

1. Indulgentia plenaria eo ipso die, quo in Sodalitatem recipiuntur, si vere poenitentes ac sacra Communione refecti

[1]) *Methodus seu praxis adhibenda cum Sodalitates SS. Cordis Jesu eriguntur et Congregationi Romanae aggregantur.*

1. Impetrabitur proprii Episcopi consensus, cujus autographum, vel authenticum exemplum mittatur ei, qui SSmi Cordis Jesu Congregationis S. Mariae de Pace a Secretis est, et hic mittet cooptationis diploma.

2. Imago sancti Jesu Cordis decens et apta ad pietatem fidemque excitandam in ara, vel sacra Sodalitatis aede exponetur, ante quam qualibet in hebdomada, seu saltem aliquando in mense publica exercitatio pietatis ad normam Romanae Congregationis peragatur.

3. Catalogus fidelium, qui cooptantur, in tabulario habeatur, ut suffragiis Ecclesiae post obitum ipsi juventur.

juxta mentem Summi Pontificis pias ad Deum preces effuderint, prout ex Rescripto diei 7 Martii 1801.

2. Item si vere poenitentes ac sacra Communione refecti vel die festo S. Cordis Jesu, vel Dominica proxime sequenti oraverint ut supra, vi Rescriptorum d. d. 7 Martii 1801 et 12 Julii 1803.

3. Item si confessi ac sacra Communione refecti, prima feria sexta, aut prima die Dominica cujusque mensis oraverint ut supra, idque vi Rescriptorum d. d. 15 Julii 1803 et 7 Julii 1815.

4. Indulgentia plenaria ad libitum consequenda quolibet die cujusque mensis, quo confessi et sacra Communione refecti Deum exoraverint ut supra, vigore Rescripti 15 Novembris 1802.

5. Item in eorum mortis articulo, si pariter vere poenitentes et contriti, Sanctissimum Jesu Nomen saltem corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, uti ex Rescripto diei 7 Martii 1801.

6. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in quatuor diebus Dominicis, qui festum S. Cordis proxime antecedunt.

7. Indulgentia sexaginta dierum pro quolibet opere pio, quod devote fiat a sodalibus intra diem, uti in praefato Rescripto diei 7 Martii 1801.

---

4. Cum typis mandandae sint pagellae cooptationis, certior fiat qui a Secretis est Romanae Sodalitatis, qui exemplar ad consuetam normam mittet.

5. Prope aram Sodalitatis tabula pendeat sacrarum indulgentiarum, et ante ipsam aliae binae tabulae cum precatione ad pietatem erga Cor SS. Jesu fovendam collocentur.

6. Pius sacerdos eligatur, qui Moderatoris fungatur officio, eique non desit scriba a Secretis, qui nomina in album referat, et quidquid juvare possit ad Sodalitatis progressum, curet.

7. Solemni cum ritu Sodalitatis initium celebretur, cui vel triduanae vel novendiales preces praemittantur; dieque festo panegyrica oratio, seu sermo rei conveniens habeatur: generalis fidelium Communio indicatur, sacrae imagines distribuantur atque cooptationis diploma publice perlegatur.

8. Conscius fiat sacerdos Romanae Sodalitatis a Secretis de nova Congregationis inauguratione; litteraeque subscribantur a Moderatore, seu illius vicario, suoque sigillo obsignentur.

9. Exsequi studeant adamussim Sodalitates cooptatae regulam inviolabilem, qua jubetur, ne pecunia aliudve exigatur a cooptatis pro pagellis caeterisque rebus ad piam cooptationem spectantibus; sed omnia ad gloriam et ob amorem divini Reparatoris ejusque Sanctissimi Cordis peragantur.

Quae omnes indulgentiae acquiri a sodalibus possunt absque onere visitandi ecclesiam de Pace, aut aliam ecclesiam, dummodo juxta Rescriptum Pontificium 20 Martii 1802 adimpleantur opera injuncta, scilicet: singulis diebus devote recitabunt unum *Pater, Ave, Credo* in honorem S. Cordis Jesu una cum hac oratiuncula:

„Cor Jesu dulcissimum
„Fac, ut usque plus Te amem."

„Dolce Cuor del mio Gesù
„Fa, ch'io t'ami sempre più."

Praeterea vigore Brevis Apostolici sub die 2 Aprilis 1805 concessae supradictis sodalibus fuerunt sequentes indulgentiae pariter perpetuae ac per modum suffragii animabus fidelium defunctorum applicandae:

8. Omnes sodales, qui ecclesiam suae Congregationis visitaverint diebus Stationum in Missali Romano descriptarum, et inibi pias ad Deum preces effuderint juxta intentionem Summi Pontificis, eisdem fruentur indulgentiis Stationum ecclesiarum Urbis, quae in Decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 9 Julii 1777 sunt expressae. (Vide supra pag. 239. in Rescripto 313.)

9. Insuper vigore alterius Brevis Apostolici pariter perpetui sub die 2 Aprilis 1805 in festis sanctissimae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. Virginis, excelsae Dei Matris; Omnium Sanctorum, Commemorationis omnium fidelium defunctorum, S. Joseph, Sponsi purissimi M. Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, S. Joannis Apostoli et Evangelistae indulgentia plenaria sodalibus conceditur, dummodo confessi et sacra Communione refecti praefatam Congregationis ecclesiam devote visitaverint.

10. Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum in reliquis festis SSmae Mariae Virginis et aliorum Apostolorum, quatenus memoratam ecclesiam visitaverint, uti ex supradicto Brevi.

Indulgentiae in numeris 8. 9. et 10. expressae, pro quibus lucrandis visitanda omnino esset supradicta ecclesia, acquiri pariter possunt vigore perpetui Pontificii Rescripti tam Romae, quam extra Romam, ab omnibus sodalibus, qui

aut infirma valetudine affecti, aut quacumque alia ratione legitime impediti, ad dictam ecclesiam visitandam se conferre nullo modo valeant, dummodo aliquod pium opus adimpleant a proprio confessario injunctum.

11. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum similiter perpetua, consequenda unoquoque die novendialium, quae sacri Cordis Jesu festo praemitti solent, quod feria sexta post octavam sanctissimi Sacramenti celebratur, dummodo ecclesia aut publicum oratorium, in quo dictum festum agitur, devote visitetur, et juxta intentionem Summi Pontificis preces ad Deum effundantur, prout ex Rescripto diei 4 Martii 1806.

12. Idem Summus Pontifex altero Rescripto die 4 Martii 1806 ad pietatem religionemque in sacrum Cor Jesu longe lateque protendendam dignatus est concedere summa animi sui liberalitate indulgentiam plenariam item perpetuam, quae in sex Dominicis aut sex feriis sextis festum sacri Cordis proxime antecedentibus (quod festum, uti praefertur, feria sexta post octavam Corporis Christi celebratur), acquiri possit ab omnibus supradictis Jesu Cordis cultoribus, si confessi ac sacra Communione refecti unoquoque ex dictis sex Dominicis aut ex dictis sex feriis sextis ecclesiam aut publicum aliquod oratorium, ubi memoratum festum in relata statutaque die celebratur, devote visitaverint, ibique ad Sanctitatis Suae mentem oraverint.

Quae quidem sacrae indulgentiae tam in novendialibus, quam in sex Dominicis, aut sex feriis sextis vigore supradicti perpetui Rescripti Pontificii acquiri possunt a Christifidelibus huic piae Unioni seu Sodalitati adscriptis, etiamsi ob aliquod legitimum impedimentum ecclesiam aut publicum aliquod oratorium visitare nequeant, dummodo tamen aliquod pium opus a confessario injunctum adimpleant.

13. Idem Summus Pontifex Pius VII. ad Christifidelium mentes in gloriosissimae Deiparae cultum magis ac magis incendendas concedit in perpetuum sodalibus indulgentiam tercentum dierum, quoties ob gratias et privilegia Beatissimae Virgini concessa sanctissimae Trinitati gratias persolventes, mane, meridie et vespere ter *Gloria Patri* devote re-

citaverint, praesertim in festo Assumptionis, et centum dierum indulgentiam pro singulis dictis vicibus, et indulgentiam plenariam semel in mense omnibus sodalibus, qui in decursu illius tribus in die vicibus dictum pium exercitium frequentaverint: quae indulgentia acquiri poterit quolibet mensis die, quo confessi et sacra Communione refecti fuerint, cum facultate applicandi hasce omnes indulgentias tam plenariam quam partialem per modum suffragii animabus in purgatorio detentis,[1]) uti ex Rescripto diei 10 Septembris 1814.

14. Leo PP. XII. s. m. Decreto diei 18 Februarii 1826 concessit in perpetuum sodalibus piae Unionis sacri Cordis Jesu erectae in ecclesia S. Mariae *ad Pineam* dicta in Capella, nunc in S. Maria de Pace, indulgentiam plenariam, quae itidem animabus fidelium defunctorum applicari et intra annum acquiri potest omnibus iis diebus, in quibus incumbunt pio exercitio *Cultus perpetui Cordis Jesu*, de quo peculiaris quaedam schedula distribui solet.

15. Gregorius XVI. fel. rec. suo Brevi sub die 20 Junii 1834 omnes indulgentias a suis Praedecessoribus piae Sodalitati S. Cordis Jesu concessas adprobare et confirmare in perpetuum, et insuper indulgentiam plenariam largiri dignatus est ab omnibus sodalibus lucrandam die 12 Martii, quo festum agitur S. Gregorii Magni, si confessi et sacra Communione refecti ecclesiam Congregationis devote visitaverint, et ad Summi Pontificis mentem pias ad Deum preces effuderint.

16. Demum Pius Papa IX. s. m. sodalibus piae Unionis sacri Cordis Jesu indulgentiam plenariam concessit die S. Pio V. dicato, in cujus tutela Pontificium Suum nomen posuit, acquirendam, si confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam aut oratorium aut capellam Congregationis a primis ad secundas Vesperas devote visitaverint, ac inibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Ecclesiae exaltatione oraverint: quae indulgentia applicari pariter potest per modum suffragii animabus in purgatorio detentis. Ita ex Brevi diei 11 Martii 1873, in

[1]) Haec indulgentia ad omnes fideles extensa fuit die 15 Julii 1815.

quo omnes alias indulgentias, gratias spirituales et privilegia jam eidem Archiconfraternitati concessa confirmavit.[1])

Monentur Christifideles, ut hunc cultum tam salutarem totque indulgentiarum thesauro ditatum amplectantur.

Indulgentiae quae in praesenti Summario recensentur, cum authenticis documentis concordare repertae sunt; ideoque nihil obstat, quominus typis imprimantur et publicentur. Datum Romae ex Secretaria S. C. Indulgentiarum die 2 Octobris 1873.

Laur. Card. Barili, Praef.
Dominicus Sarra, Substit.

---

[1]) *Privilegia quoad Missam, Officium, diemque festum SS. Cordis Jesu.*

I. Privilegia quoad Officium et Missam Congregationi SS. Cordis Jesu adscriptis concessa: Fel. rec. Pius PP. VII. per Eminentissimum suum in Urbe Vicarium Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Cardinalem de Somalia benigne decrevit die 30 Januarii 1802 *potestatem quibuscumque tam de Clero saeculari, quam regulari, qui ad horas canonicas tenentur, Congregationi SS. Cordis Jesu S. Mariae ad Pineam dictae in Capella* (nunc S. Mariae de Pace) *adscriptis et in posterum adscribendis, dummodo, si choro inserviant, aliter se gerere non debeant, recitandi quotannis in die tantum festo ejusdem sacri Cordis Jesu recentius Officium cum Missa in honorem ipsius sacri Cordis jam die 21 Januarii 1778 pro regnis Portugalliae et Algarbiorum approbatum, ritu tamen dup. maj.*

II. Privilegium de peculiari festo concesso Sodalitatibus noviter adgregatis Congregationi SS. Cordis Jesu: Idem Summus Pontifex per eamdem Sac. Rit. Congregationem die 15 Aprilis anni 1815 *indulsit ut Sodalitates noviter adgregatae* Congregationi Cordis Jesu primum erectae in ecclesia S. Mariae ad Pineam nuncupatae in Capella, deinde ad Sanctam Mariam de Pace rite translatae, *accepto adgregationis diplomate, pro una tantum vice possint peculiare festum peragere de Sacro Corde Jesu in die ad libitum cum Missis tam lectis quam solemni, dummodo tamen non sit Dominica primae, vel secundae classis, aut octava privilegiata, aut festum, vel vigilia privilegiata.*

III. Privilegium quoad translationem diei festi in honorem SS. Cordis Jesu celebrandi: Coetus presbyterorum saecularium S. Pauli Apostoli in Urbe Summo Pontifici Pio PP. VII. humiliter significarunt, in multis templis justis de causis non eodem, quem Ecclesia constituit, die festum SS. Cordis Jesu celebrari consuevisse, quapropter ab Eo suppliciter petiverunt, ut veniam daret, qua Missae SS. Cordis Jesu propriae eo die celebrari possent, quo festum ageretur: simulque concederet indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti, pias precationes in templo, ubi festum celebratur, ad mentem Summi Pontificis D. O. M. fuderint, quibus postulationibus Sanctitas Sua ita satisfecit: *Ex Audientia SSmi. Die 7 Julii 1815. SSmus benigne annuit pro gratia in omnibus et in perpetuum, de licentia tamen Ordinariorum respective locorum quoad translationem diei festi. Contrariis non obstantibus. P. F. Card. Galleffi.*

30.

Summarium indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum venerabili Archiconfraternitati SSmi Cordis Jesu Romae, dictae de saccis albis, *aliisque confraternitatibus erectis aut erigendis, dummodo eidem sint canonice aggregatae.*

Indulgentiae plenariae pro solis confratribus. 1°. In die vestitionis, praemissa Confessione et Communione eadem die, sive in oratorio Archiconfraternitatis, sive ubicumque fieri poterit.

2°. In articulo mortis.

3°. In die, qua celebratur festum sanctissimi Cordis Jesu, praemissis supradictis dispositionibus.

4°. In festo S. Hyacinthae Mariscotti, Protectricis Archiconfraternitatis.

5°. In altero S. Ranieri, alterius Protectoris, assignato Dominicae primae Julii cujusque anni.

6°. Die prima Novembris, festo Omnium Sanctorum.

7°. In festo immaculatae Conceptionis B. M. V.

8°. Semel in mense ad electionem illorum confratrum, qui quaestuantur per civitatem.

9°. Dominica prima cujusque mensis cuilibet fratri, qui communicabit in oratorio Archiconfraternitatis.

10°. Una die uniuscujusque mensis ad electionem confratrum, qui visitant ecclesiam aut oratorium Archiconfraternitatis.

11°. Una die in anno ad electionem eorum confratrum, qui cum pagella ipsis data a Superioribus sunt designati ad faciendam unam horam orationis mentalis aut vocalis in quacumque ecclesia aut oratorio, ubi asservatur sanctissimum Sacramentum, sive solemniter expositum, sive reconditum in tabernaculo, dummodo cum hac intentione confiteantur et sacram Communionem sumant.

Indulgentiae partiales, quas toties quoties lucrantur soli confratres. 12°. Septem annorum et totidem quadragenarum, quoties quaestuatum aliquis vadit per vias civitatis, aut pergit ad corripiendos blasphematores.

13°. Septem annorum et totidem quadragenarum, quotiescumque auscultat explicationem Evangelii, quae Dominicis diebus in oratorio fieri solet, et quotiescumque quis interest exercitio disciplinae feriis sextis.

14°. Trecentorum dierum lucranda in visitatione fratrum infirmorum tam a fratre visitante, quam a fratre aegrotante, recitando simul tria *Pater, Ave* et *Gloria,* et si infirmus ea ore recitare non potest, saltem hoc faciat corde.

15°. Trecentorum dierum lucranda ab illis confratribus, qui prima feria V. cujusque mensis se conferunt ad nosocomium S. Mariae de Consolatione ad serviendum pauperibus illis infirmis, eosque confortandos.

16°. Sexaginta dierum, quotiescumque aliquis comitatur cadaver alicujus fratris ad sepulturam; aut intererit divinis officiis aut Missae in ecclesia, capella aut oratorio, et congregationibus secretis et generalibus: aut interveniet processionibus a regula ordinatis, aut ab Eminentissimo Vicario praescriptis; aut comitabitur sanctissimum Sacramentum, sive in processionibus, sive dum defertur ad infirmos pro Viatico. Quas indulgentias sexaginta dierum lucrabuntur etiam illi fratres, qui, impediti, quominus intersint praedictis piis operibus, recitabunt eo tempore, quo illa exercentur, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam, sicut etiam, quoties recitabunt quinque *Pater* et *Ave* in suffragium alicujus fratris defuncti.

17°. Pariter sexaginta dierum, quotiescumque fratres nostri exhortabuntur peccatores ad poenitentiam, aut ignorantes docebunt praecepta Dei.

Indulgentiae pro omnibus fidelibus. Indulgentia plenaria lucranda a quocumque, qui confessus et sacra Communione refectus visitabit nostram ecclesiam diebus sequentibus, id est:

18°. Die 9 Novembris, festo Titularis ecclesiae.

19°. Feria sexta immediate post octavam Corporis Christi, qua celebratur festum sanctissimi Cordis Jesu.

20°. Die 6 Februarii, festo S. Hyacinthae Mariscotti.

21°. Dominica tertia post Pascha Resurrectionis, in qua recurrit anniversarium Dedicationis ecclesiae.

Omnes suprascriptae indulgentiae per modum suffragii applicari possunt animabus purgatorii, et sunt perpetuae.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita indulgentias in hoc Summario praefatae Archisodalitatis cum originalibus eidem Sacrae Congregationi exhibitis collatas uti authenticas recognovit, proindeque idem Summarium typis imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 31 Januarii 1846.

G. Card. **Ferretti**, Praef.
A. Archip. **Prinzivalli**, Substit.

31.

Summarium indulgentiarum a fel. rec. Papa Benedicto XIV. concessarum venerabili Archiconfraternitati existenti in venerabili ecclesia SS. Martyrum Tryphonis, Respicii et Nymphae sub invocatione SSmi Sacramenti, Conceptionis B. M. V. de Cinctura, dictorum SS. Martyrum et S. Camilli de Lellis.

1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere contritis, confessis et sacra Communione refectis in die, qua adscribentur aut ingredientur nostram venerabilem Archiconfraternitatem, indulgentia plenaria. (Benedictus XIV. in Bulla 21 Maji 1747 *Universis.)*

2°. Fratribus et sororibus nostrae venerabilis Archiconfraternitatis indulgentia plenaria in articulo mortis, si vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, aut si hoc non potuerint, saltem contriti invocabunt, si ore non possint, saltem corde, sanctissimum nomen Jesu, aut dabunt aliquod signum poenitentiae.

3°. Iisdem fratribus et sororibus indulgentia plenaria et remissio omnium peccatorum, si vere contriti, confessi et sacra Communione refecti devote visitaverint ecclesiam nostrae Archiconfraternitatis in die festi solemnis S. Camilli de Lellis, celebrari soliti Dominica infra octavam, a primis Vesperis usque ad totum diem dicti festi, et orabunt secundum intentionem Summi Pontificis. (Breve supra citatum Benedicti XIV.) Quae indulgentia plenaria, applicabilis etiam

sanctis animabus purgatorii, extensa est ad omnes Christifideles cum iisdem indicatis conditionibus, sicut etiam omnibus fidelibus christianis concessa est indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum, applicabilis ut supra, singulis diebus tridui, quod peragitur ante dictum festum, si corde vere contrito visitaverint ecclesiam Archiconfraternitatis aut devote interfuerint praedicto triduo. (Pius VII. per rescriptum Sacrae Congregationis de die 31 Augusti 1819.)

4°. Iisdem fratribus et sororibus indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, qui contriti, confessi et sacra Communione refecti visitabunt ecclesiam nostrae Archiconfraternitatis quatuor diebus sequentibus, id est 26 Maji, festo S. Philippi Nerii, qua die inchoata fuerunt opera pia nostrae Archiconfraternitatis; festo Corporis Christi; die 8 Decembris, festo Conceptionis B. M. V. et 15 Julii, quae est dies obitus S. Camilli de Lellis.

5°. Indulgentia 60 dierum iisdem fratribus et sororibus, quotiescumque devote intererunt Missis aliisve divinis Officiis, quae celebrantur in nostra ecclesia secundum praescriptum Statuti nostrae Archiconfraternitatis, aut intervenient processionibus tam ordinariis, quam extraordinariis, aut cuicumque alteri de licentia Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinalis Vicarii institutae, aut intervenient congregationibus tam generalibus, quam particularibus nostrae Archiconfraternitatis, aut comitabuntur sanctissimum Sacramentum ad infirmos, aut, si impediti fuerint, tunc genuflexi recitabunt unum *Pater* et *Ave* pro infirmo, ad quem portatur sanctissimum Viaticum. Indulgentia pariter sexaginta dierum, quotiescumque hospitio excipient pauperes peregrinos aut ipsis dabunt aliud aliquod caritatis auxilium; si visitaverint infirmos aut carceratos, consolando ipsos in suis infirmitatibus aut tribulationibus; si pacem fecerint cum inimicis propriis, aut eam fieri procurabunt ab aliis; si animam aliquam aberrantem reduxerint ad viam aeternae salutis; si ignorantes docuerint mysteria nostrae sanctae fidei, praecepta Dei, aliaque ad salutem necessaria; si recitaverint quinque *Pater* et *Ave* pro animabus fratrum et sororum defunctorum nostrae Archiconfraternitatis; et tandem si per-

egerint quodcumque aliud opus pium aut misericordiae spiritualis et corporalis in favorem proximi. (Benedictus XIV. Bulla citata.)

6°. Indulgentia plenaria, applicabilis etiam animabus sanctis purgatorii, omnibus utriusque sexus fidelibus christianis, qui vere contriti, confessi et sacra Communione refecti visitabunt ecclesiam nostrae Archiconfraternitatis in festo solemni B. M. V. de Cinctura a primis Vesperis usque ad occasum solis dictae diei festivae, quae celebratur in Dominica infra octavam, prout etiam indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum iisdem fidelibus, qui vere contriti in triduo ante dictam festivitatem visitabunt ecclesiam nostrae Archiconfraternitatis in singulis diebus dicti tridui, aut illi devote intererunt.

7°. Fratribus et sororibus nostrae Archiconfraternitatis SSmus D. N. PP. Pius VII. dignatus est insuper concedere in perpetuum, ut possint lucrari sacras indulgentias Stationum secundum decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum de die 9 Julii 1777, dummodo in diebus Stationum in Missali Romano annotatarum devote visitent ecclesiam nostrae Archiconfraternitatis aut propriam suam ecclesiam parochialem, orando juxta intentionem Summi Pontificis. (Decretum supra citatum 31 Augusti 1819.)

8°. Tandem fratres et sorores nostrae Archiconfraternitatis, utpote quae a prima sua origine erecta fuit in ecclesia S. Augustini sub invocatione B. M. V. de Cinctura, participes sunt omnium indulgentiarum, omnium bonorum operum, quae fiunt, et omnium meritorum, quae acquiruntur a Fratribus et Monialibus Ordinis S. Augustini, et cum eadem Archiconfraternitas 20 Septembris 1762 aggregata fuerit Ordini religioso PP. infirmis ministrantium, pariter fratres et sorores nostri gaudent omnibus indulgentiis dicti Ordinis religiosi, et participes sunt omnis boni et meriti, quod acquiritur ab individuis dictae Religionis, omniumque bonorum operum, quae fiunt in eadem et per exercitium sancti sui Instituti et ministerium erga infirmos et moribundos, necnon per suas orationes, sacra Missae sacrificia, administrationem et usum sanctorum Sacramentorum, jejunia, poeni-

tentias, eleemosynas, bona consilia, monita caritatis, intentiones, et directionem animarum in via salutis, et omne aliud exercitium virtutis et christianae pietatis, ac devotionis, quod locum habet in illa Religione et in ejus ecclesiis.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. VII. omnes supraenuntiatas indulgentias in praedicto Summario recensitas a Praedecessoribus Suis Pio V., Benedicto XIV., Clemente XIII. praefatae Archiconfraternitati alias concessas benigne confirmavit, et alias de novo ut in enuntiatis decretis sub die 31 Augusti 1819 clementer elargitus est. Voluitque Sanctitas Sua has omnes et singulas indulgentias perpetuis futuris temporibus fore valituras absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die Audientiae 31 Augusti 1819.

B. Card. Naro, Praef.
Pro R. P. D. Angelo Costaguti, Secret.
Petrus Canonicus Torraca, Substit.

32.

Summarium indulgentiarum a fel. rec. Paulo V. concessarum Archiconfraternitati sanctissimae Conceptionis B. M. V. in ecclesia SS. Laurentii et Damasi, Romae.

Cum fel. rec. Paulus V. statuisset Archiconfraternitati ejusdem Conceptionis concedere certas et peculiares indulgentias, quibus in futurum possit gaudere, ea de causa revocavit et annullavit indulgentias et dona spiritualia a quocumque Pontifice praeteritis temporibus dictae Archiconfraternitati concessa; et de novo Sanctitas Sua concessit omnibus utriusque sexus fidelibus, qui deinceps ingredientur dictam Archiconfraternitatem, prima die eorum ingressus, si sint vere contriti, confessi et sacra Communione refecti, indulgentiam plenariam.

Et tam fratribus et sororibus, qui in praesenti, et deinceps decurrente tempore se adscribi facient dictae Archiconfraternitati, quam iis, qui jam sunt inscripti, qui in articulo mortis contriti, confessi et sacra Communione refecti, et si non possint, saltem contriti, devote invocabunt nomen

Jesu et Mariae, ore, si possint, si non possint, corde, pariter concedit indulgentiam plenariam, ut supra.

Iisdem quoque fratribus et sororibus, qui contriti, confessi et sacra Communione refecti in die festi Conceptionis B. V. M. Dominum orabunt pro concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, concedit pariter indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum.

Insuper fratribus et sororibus, qui in festis Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. contriti et confessi ad sacram Synaxim accedent, et orabunt ut supra, in unoquoque ex supradictis festis concedit indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum.

Et iis, qui intererunt processioni fieri solitae singulis annis a dicta Archiconfraternitate in die festi Conceptionis ejusdem B. M. V., quo die dicta Archiconfraternitas solet dotare et vestire pauperes virgines, concedit tres annos et totidem quadragenas.

Et pariter iis, qui aderunt congregationibus tam publicis quam privatis ejusdem Archiconfraternitatis, ubi tractantur ejusdem negotia, relaxat pro singulis vicibus centum dies.

Praeterea tam dictis fratribus et sororibus, quam aliis utriusque sexus Christifidelibus, qui quolibet die festorum, vigiliarum, et sabbatorum ejusdem B. M. V. totius anni intererunt in capella Conceptionis ejusdem Archiconfraternitatis sita in praedicta ecclesia SS. Laurentii et Damasi, ibique audient Litanias, et Antiphonam *Salve Regina*, aut ipsimet ea recitabunt, singulis vicibus relaxat centum dies.

Et etiam dictis fratribus et sororibus tantum, qui comitabuntur ad sepulturam ecclesiasticam cadavera defunctorum fratrum et sororum dictae Archiconfraternitatis, Dominumque orabunt pro anima istius defuncti, relaxat pro singulis vicibus ducentos dies.

Et singulis vicibus, quibus vespere facient examen conscientiae, et ejusdem B. M. V. et Angeli Custodis protectioni se commendabunt, relaxat centum dies.

Et iis, qui in honorem ejusdem immaculatae Virginis subvenient pauperibus virginibus, ut non incidant in pote-

statem diaboli, easque juvabunt, aut quocumque modo iisdem ad conservandam pudicitiam occasionem invenient, singulis vicibus, quibus hoc fecerint, concedit indulgentiam unius anni.

Et iis, qui operam dabunt, ut fiat pax et concordia inter fideles, aut ut peccatum deserant: aut visitabunt hospitalia et carceres, et ignorantes docebunt doctrinam christianam. pro singulis vicibus relaxat sexaginta dies.

Et iis, qui devote recitabunt Officium B. M. V., pro singulis vicibus concedit quinquaginta dies.

Et iis, qui per mensem integrum quotidie recitabunt dictum Officium, et deinde confessi ad sacram Sxnaxim accedent semel in singulis mensibus, concedit septem annos et totidem quadragenas de injunctis aut alias debitis poenitentiis juxta formam consuetam sanctae Matris Ecclesiae, in singulis mensibus, quibus hoc facturi sunt.

Insuper concedit dictae Archiconfraternitati, ejusque officialibus praesentibus et futuris, ut possint communicare omnes et singulas supradictas gratias spirituales et indulgentias aliis Confraternitatibus, quae sub invocatione Conceptionis B. M. V. jam erectae sunt, aut pro futuro erigentur in quocumque loco, observata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis VIII., et hoc non obstante quacumque Constitutione et Ordinatione Apostolica, aut quocumque alio in contrarium.

Et has indulgentias Sanctitas Sua vult durare in perpetuum, ut clarius patet ex Brevi Sanctitatis Suae. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris 5 Julii 1607, anno tertio Sui Pontificatus.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita die 12 Decembris 1744 supradictum Summarium imprimi posse censuit. De quibus facta die 16 ejusdem mensis per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino relatione, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit.

C. Card. de **Hieronymis**, Praef.
A. M. Erba, Prot. Apost. Secret.

33.

Summarium indulg. Confrat. SS. Nominis Dei.

(Pauli V. Constit. *Cum certas* d. 31 Octobris 1606.)

Cum certas unicuique Confraternitati indulgentias et gratias spirituales, quibus de cetero fruantur, duxerimus praescribendas, idcirco Nos omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes Confraternitati Sanctissimi Nominis Dei in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe, Ordinis Fratrum Praedicatorum, canonice institutae, et illius confratribus et consororibus hactenus per quoscumque Romanos Pontifices, Praedecessores Nostros, concessas revocantes et annullantes, ac nullius roboris et momenti in posterum fore declarantes: eamdemque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem de cetero ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam: ac tam ipsis pro tempore describendis, quam jam descriptis in dicta Confraternitate confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui in die festo Circumcisionis Domini divinis Officiis in ecclesia seu capella, vel oratorio dictae Confraternitatis singulis annis celebrandis in toto vel in parte devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam plenariam: in mortis quoque articulo omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictae Confraternitati adscriptis, qui poenitentes et confessi, ac sanctissima Communione refecti, et si id facere nequiverint, nomen Jesu ore, si potuerint, sin autem, corde devote invocaverint, et animam suam Deo commendaverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Qui vero poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, altare Nominis Dei in praedicta ecclesia

situm, secunda Dominica cujuslibet mensis visitaverint et oraverint, ut praefertur, septem annos et totidem quadragenas. Ac eisdem confratribus et consororibus ejusdem Confraternitatis Nominis Dei, qui Missae in dicta secunda Dominica mensis in praedicto altari celebrari solitae, quive processionibus per dictam Confraternitatem pro tempore faciendis interfuerint et oraverint, ducentos dies; qui vero aliquos blasphemantes, aut inconsiderate et temere objurantes cum caritate monuerint, centum dies. Quoties vero Missis et aliis divinis Officiis in ecclesia, vel altari seu oratorio dictae Confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis, seu congregationibus publicis vel privatis ejusdem Confraternitatis ubivis faciendis interfuerint; dictumque sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, tam in processionibus, quam ad infirmos aut alias quocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam pro infirmo dixerint: aut processionibus extraordinariis dictae Confraternitatis, aut quarumvis aliarum de licentia Vicarii Nostri, seu loci Ordinarii faciendis, vel defunctorum exsequiis interfuerint: aut infirmos visitaverint eisque in eorum necessitatibus auxiliati fuerint: vel pauperes hospitio susceperint, aut eleemosynas illis dederint et opem tulerint: vel pacem cum inimicis propriis vel alterius composuerint, vel componi fecerint seu procuraverint: aut quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam pro animabus confratrum et consororum dictae Confraternitatis recitaverint: aut impoenitentes ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei et ea, quae ad salutem sunt necessaria, docuerint: aut quodcumque aliud pietatis et caritatis opus exercuerint, quoties praedictorum operum aliquod egerint, centum dies de injunctis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Necnon dilecto filio Magistro Generali dicti Ordinis Praedicatorum, et illo absente, Vicario in Urbe commoranti, ut Confraternitates extra Urbem praedictam ubique locorum erigere et instituere, illisque omnes supradictas indulgentias et gratias spirituales communicare similiter libere et licite possit et valeat, auctoritate Apo-

stolica tenore praesentium facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 31 Octobris 1606 Pontificatus Nostri anno secundo.

34.

Summarium indulgentiarum et gratiarum confratribus Beatae Virg. Mariae de Monte Carmelo a Summis Pontificibus concessarum.

Indulgentia plenaria sub conditione sacramentaliter confitendi, SS. Eucharistiam sumendi, et preces fundendi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, sanctaeque Matris Ecclesiae exaltatione:

1. Die illa, qua quis recipiendo habitum, Confraternitatem ingreditur. (Paul. V. *Cum certas,* 30 Oct. 1606.)

2. In festo principali Commemorationis B. V. Mariae de Monte Carmelo die 16 Julii, vel Dominica immediate sequenti, aut alia ejusdem mensis juxta locorum consuetudinem. (Ibid.)

3. In mortis articulo, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis susceptis, ad devotam SS. nominis Jesu invocationem ore, si fieri potest, sin autem corde. (Ibid.)

4. In una Dominica cujusvis mensis, interessendo processioni per Confraternitatem de Ordinarii loci licentia faciendae. (Idem *Piorum hominum,* 3 Aug. 1609, et *Alias volentes,* 19 Jul. 1614.)

5. Iis, qui praedictae processioni commode assistere non valent, si capellam respectivae Confraternitatis devote visitaverint. (Clem. X. *Commissae Nobis* 8 Maji 1673.)

6. Infirmis, captivis et peregrinis, qui hujusmodi capellam dicta Dominica visitare nequiverint, si Officium parvum B. M. V. aut quinquagies *Pater* et *Ave* recitaverint, et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi, et sacram Communionem recipiendi quamprimum potuerint, quod adimplere omnino tenentur. (Clem. X. Bulla nuper citata.)

Indulgentiae partiales. 1. *Indulgentia 5 annorum et totidem quadragenarum.* Semel in mense, si poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint. (Paul. V. *Cum certas* supra cit.)

2. *Item comitando SS. Sacramentum,* dum ad infirmos defertur, cum candela accensa, et pro iisdem pias ad Deum preces fundendo. (Ibid.)

3. *Indulgentia 3 annorum et 3 quadragenarum.* In qualibet ex festivitatibus B. M. V., quae celebrantur ab universa Ecclesia, confitendo, et SS. Eucharistiam sumendo in ecclesia vel capella Confraternitatis, et ut supra orando. (Ibid.)

4. *Indulgentia 100 dierum.* Corpora defunctorum tam confratrum et consororum, quam aliorum ad sepulturam associando, ac pro eorum animabus Deum exorando. Officium parvum B. M. V. devote recitando. Assistendo Missis aliisque divinis Officiis in ecclesia vel capella Confraternitatis. Pauperes hospitio recipiendo, aut eis in eorum necessitatibus vel periculo peccandi existentibus auxilium ferendo. Pacem cum inimicis propriis, vel alienis componendo. Devium aliquem ad viam salutis reducendo. Ignorantes Dei praecepta et ea, quae sunt ad salutem, edocendo, aut aliud quodcumque pietatis vel caritatis opus exercendo. (Ibid.)

Omnes et singulae indulgentiae praedictae per Paulum V. concessae animabus purgatorii per modum suffragii possunt applicari. (Clem. X. *Cum sicut accepimus,* 2 Jan. 1672.)

Gratiae nuper concessae. [1]) 1. Omnes confratres et consorores, si in locis versantur, ubi nulla Carmelitani Ordinis reperiatur ecclesia, omnes indulgentias ab Apostolica Sede ejusdem Ordinis ecclesiis concessas lucrari possunt, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, respectivam parochialem ecclesiam statis diebus devote visi-

[1]) Gratiae olim concessae, praeter promissiones B. Simoni Stock a SS. Virgine factas, sunt: 1. Indulgentiae personales praedictae; 2. Participatio omnium bonorum spiritualium N. Ordinis ex Bulla Clem. VII., *Ex Clementi,* 12 Augusti 1530; 3. Facultas in articulo mortis recipiendi absolutionem generalem cum plenaria indulgentia, etc. ut supra.

taverint, ac reliqua injuncta pietatis opera rite in Domino praestiterint. (Pii IX. Brev. 15 Jan. 1855.)

2. Omnes et singulae Missae, quae in suffragium celebrantur confratrum et consororum, eodem gaudent privilegio, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. (S. C. Indulg. 22 Jun. 1865.)

Aliae gratiae. Privilegium vulgo dictum *Sabbatinum*, a Summis Pontificibus Joan. XXII. Bulla *Sic mihi*, 3 Mart. 1322; Clemente VII., *Ex Clementi*, 12 Aug. 1530; S. Pio V. *Superna dispositione*, 18 Febr. 1566, Greg. XIII., *Ut laudes*, 18 Septembr. 1577, aliisque approbatum et confirmatum, necnon a S. Romana et Universali Inquisitione sub Paulo V., die 20 Jan. 1613, decreto tenoris sequentis:

„Patribus Carmelitanis permittitur praedicare, quod populus christianus possit pie credere de adjutorio animarum fratrum et confratrum Sodalitatis Beatissimae Virginis de Monte Carmelo, videlicet Beatissimam Virginem animas fratrum et confratrum in caritate decedentium, *qui in vita habitum gestaverint et castitatem pro suo statu coluerint, Officiumque parvum recitaverint, vel si recitare nesciant, Ecclesiae jejunia observaverint, et feria quarta, et Sabbato a carnibus abstinuerint (nisi in iis diebus Nativitatis Domini festum inciderit)*, suis intercessionibus continuis, piisque suffragiis et meritis ac speciali protectione, post eorum transitum, praecipue in die Sabbati, qui dies ab Ecclesia eidem Beatissimae Virgini dicatus est, adjuturam.“

Aliae multae indulgentiae, quae brevitatis causa omittuntur, in Summario indulgentiarum Bullarii Ordinis part. 2. pag. 600. continentur.[1])

---

[1]) *Obligationes confratrum ad supradicta consequenda:* 1. Ut quis s. scapulare a sacerdote deputato cum solitis caeremoniis recipiat.

2. Ut illud semper super humeros portet; et si fuerit attritum, aliud sive benedictum, sive non benedictum absque alia nova caeremonia assumendum est.

Obligationes particulares pro consequendo privilegio Bullae Sabbatinae: 1. Ut servetur castitas secundum proprium statum.

2. Ut scientes legere, quotidie recitent Officium parvum B. M. V. in Breviario Romano appositum; nescientes vero legere, Ecclesiae jejunia observent, ac diebus Mercurii et Sabbati abstineant ab esu carnium, excepto die Natalis Domini. Ob justam tamen causam confessarius, habens specialem facultatem, in aliud pium opus commutare potest.

Decretum. Hoc Summarium rite recognitum, et authenticis documentis, revisorum judicio, conforme repertum, imprimi posse, et ubique promulgari permittitur. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Decembris 1866.

Ant. M. Card. **Panebianco**, Praef.
Philippus Can. **Cossa**, Substit.

35.

Summarium omnium indulgentiarum [1]) *a Summis Pontificibus concessarum Confraternitatibus erectis et institutis ab Ordine Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum divina revelatione fundato a Sanctis Joanne de Matha et Felice Valesio.*

I. A Paulo V. Brevi *Coelestes Ecclesiae Thesauros* diei 6 Augusti 1608:

1. Indulgentia plenaria, et omnium peccatorum remissio omnibus Christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis prima die, qua induti fuerint sacro scapulario Ordinis, et adscripti sint Confraternitati SSmae Trinitatis, absque alicujus voti emissione.

2. Indulgentia plenaria, ut supra, eisdem confratribus et consororibus in mortis articulo, dummodo s. scapulario

[1]) *Monitum ad fratres et sorores.* Dum eximiae pietati vestrae offertur Summarium indulgentiarum, quas Summi Pontifices Ordini SSmae Trinitatis pro Redemptione Captivorum, ejusque Confraternitatibus concessere, supervacanea est commemoratio gratiarum, praecipuorumque beneficiorum, quae a Deo Trino et Uno impertiuntur omnibus sub tam praeclaro vexillo militantibus; sufficit scire maximum praestantissimumque SSmae Triadis arcanum a Christo Domino Nostro discipulis suis revelatum fuisse, ut illius fide, tamquam in firmissimo fundamento, stabiliantur et supernaturalis fides ceterarum veritatum divinitus detectarum, et bonorum aeternorum spes, et amor Dei et proximi, omniumque aliarum virtutum supernaturalium. Hinc Romanorum Pontificum paterna sollicitudo erga Confraternitates SSmae Trinitatis, quibus ab exordio suae institutionis usque nunc adscripti sunt reges, principes, dynastae, aliique innumeri utriusque sexus fideles, qui in toto orbe terrarum specialem cultum praestantes augustissimo mysterio cum Angelorum choro canunt Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Ad lucrandas vero indulgentias concessas requiritur: 1. ut fratres et sorores accipiant et secum ferant parvulum scapularium SSmae Trinitatis ex lana alba, rubri caeruleique colorum cruce signatum, ab aliquo Superiore praedicti Ordinis benedictum, vel de ipsius licentia a quocumque alio sacerdote; 2. adimplere debent opera pietatis a Summis Pontificibus injuncta, et suis locis adnotata. Qui autem haec omittat, non peccat, sed indulgentiis non fruitur. Denique quando scapularium sit ita laceratum, ut formam amittat, benedictionem etiam amittit, et, si renovetur, debet iterum benedici, similiter si aliud non benedictum assumatur.

induti, ac vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti fuerint, SSmumque Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

3. Indulgentia plenaria, ut supra, vere poenitentibus, confessis, et sacra Communione refectis, in festo SSmae Trinitatis devote visitantibus ecclesiam aliquam, aut capellam sive oratorium Ordinis, vel Confraternitatis ejusdem, si ibi deprecati fuerint pro pace et concordia inter principes christianos, pro haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

4. Indulgentia plenaria, ut supra, eisdem confratribus et sororibus, qui in partibus infidelium ad redemptionem captivorum profecti fuerint, si, antequam pergant, vere poenitentes, confessi, sacraque fuerint Communione refecti.

5. Indulgentia plenaria, ut supra, ipsis captivis redemptis, si post redemptionem infra mensem vere poeniteant, et rite confessi, ad sacram eucharisticam mensam accedant.

6. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui gestantes pro affectu sacrum scapulare benedictum atque signo nostrae redemptionis munitum, quotidie recitaverint sexies Orationem Dominicam cum versiculo *Gloria Patri* etc., ac etiam sexies Angelicam Salutationem cum eodem versiculo *Gloria Patri* etc. pro pace christianorum principum, haeresum exstirpatione et sanctae Ecclesiae exaltatione.

7. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum eisdem, qui devote visitaverint ecclesiam, aut oratorium Ordinis sive Confraternitatis diebus Nativitatis et Resurrectionis D. N. J. Ch., Assumptionis B. M. V., ac in festo S. Agnetis secundo (qua die divina revelatione Ordo SSmae Trinitatis institutus fuit), et deprecati fuerint pro pace inter christianos principes, necnon haeresum exstirpatione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione.

8. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum eisdem, si vere poenitentes et confessi intervenerint ad sacri scapularis processionem in una cujuslibet mensis Dominica a Superioribus Ordinis determinanda, de licentia tamen Ordinarii loci.

9. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum eisdem, qui piis operibus tam spiritualibus, quam corporalibus vacaverint pro suorum peccatorum remissione, ac pro captivorum a servitute Turcarum et aliorum infidelium redemptione.

10. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum eisdem, si rite confessi, aut saltem cum proposito confitendi intervenerint processioni, quae fit, quando peracta redemptione in aliqua ecclesia, capella, aut oratorio Ordinis, vel Confraternitatis recipiuntur captivi redempti.

11. Indulgentia septem annorum eisdem semel in anno, die ad libitum eligenda, si vere poenitentes, riteque confessi, ac sacra Communione refecti, quotidie per annum dixerint ter *Pater, Ave* et *Gloria* etc., et semel *Salve Regina* etc., orantes pro captivis christianis, ut nomen Salvatoris nostri non abnegent, sed cum fortitudine in sancta fide permaneant, et quantocius a barbarorum servitute sint liberati.

12. Indulgentia quinque annorum, et totidem quadragenarum eisdem comitantibus cum lumine, vel sine lumine, si non possint, SSmum Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos defertur, et pro ipsis orantibus.

13. Indulgentia centum dierum, quoties comitantur ad sepeliendum corpora defunctorum tam sodalium quam aliorum, orantes pro ipsis defunctis.

14. Indulgentia centum dierum, quoties interveniant Missis, aliisque divinis Officiis, quae in ecclesiis, capellis, aut oratoriis Confraternitatis celebrantur, ac insuper interventibus ad publicas seu privatas ejusdem Confraternitatis congregationes; et quando pauperibus hospitalitatem praestent operibusque pietatis et caritatis dent operam.

II. A Paulo V. Brevi *Pias Christifidelium* diei 11 Novembris 1620:

15. Indulgentia plenaria, et remissio omnium peccatorum confratribus et consororibus Confraternitatis SSmae Trinitatis, et Beatae Mariae Virginis de Remedio ejusdem Ordinis, si vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti interfuerint processioni, quae, ut mos est, fit in

ecclesiis Ordinis et Confraternitatis una ex Dominicis cujuslibet mensis, et ibi oraverint pro pace et concordia inter christianos principes, pro exstirpatione haeresum, et exaltatione sanctae Matris Ecclesiae.

III. A Clemente X. Brevibus dierum 11 Februarii, et 3 Junii 1673:

16. Indulgentia plenaria, ut supra, confratribus et consororibus, qui in festo Nativitatis B. M. V. vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti visitaverint ecclesiam aut capellam Ordinis seu Confraternitatis, et ibi pro pace et concordia christianorum principum, pro haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, ac pro captivorum redemptione eorumque in sancta fide perseverantia oraverint.

17. Indulgentia plenaria, ut supra, eisdem, et cum singulis supraenuntiatis conditionibus, in sequentibus diebus, scilicet, in festo Purificationis B. M. V.

18. In Dedicatione S. Michaelis Archangeli.

19. In festo S. Clementis Papae et Martyris.

20. In festo Inventionis S. Crucis.

21. In Nativitate S. Joannis Baptistae.

22. In festo S. P. N. Joannis de Matha.

23. In festo S. P. N. Felicis Valesii.

IV. Ab Innocentio XI. Brevi diei 14 Decembris 1678:

24. Indulgentia plenaria recensita sub numeris 18, 19, 20, 21 translata fuit ad dies 28 Januarii (festum Apparitionis S. Agnetis Virginis et Martyris, Ordinis Patronae), ad feriam IV Cinerum, ad Dominicam secundam Octobris, et ad festum S. Catharinae Virginis et Martyris (25 Novembris).

25. Supraenuntiatus Pontifex Clemens X. citato Brevi diei 11 Februarii 1673 eisdem confratribus et consororibus concessit indulgentias quoque sacrarum Urbis Stationum, visitantibus aut Ordinis, aut Confraternitatis ecclesias. Indulgentiae vero praefatarum Stationum a Sacra Indulgentiarum Congregatione ex decreto diei 9 Julii 1777 postea declaratae fuerunt, scilicet: (Vide supra pag. 239 num. 313.)

V. A Benedicto XIV. ex S. Congregationis Indulgentiarum decreto diei 16 Decembris 1752:

26. Benedictio et absolutio generalis omnibus confratribus et consororibus diebus ut infra:

1. In festo SSmae Trinitatis.
2. In festo S. Agnetis secundo. (28 Jan.)
3. In festo S. Catharinae V. et M. (25 Nov.)
4. In feria Cinerum.
5. Feria V in Coena Domini.
6. In festo S. P. N. Joannis de Matha. (8 Febr.)
7. In festo S. P. N. Felicis Valesii. (20 Nov.)

Animadvertendum vero est, quod diebus, quibus datur praefata benedictio et absolutio generalis, proprie non absolvitur a culpa, ut declaravit Clemens VIII. Brevi *Decet Romanum Pontificem* diei 9 Maji 1612, sed fit communicatio indulgentiarum, bonorum et suffragiorum Religionis omnibus vere poenitentibus, confessis, et sacra Communione refectis, qui huic sacrae interfuerint functioni in ecclesiis Ordinis peragendae.

VI. A Clemente XIII. decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 29 Novembris 1768:

27. Si festum S. P. N. Joannis de Matha (8 Februar.) incidit in feriam IV Cinerum, aut in Dominicam primam Quadragesimae, tunc transfertur in diem sequentem una cum generali absolutione.

VII. A Pio IX. ex rescripto Sacrae Congregationis Indulgentiarum diei 22 Martii 1847:

28. Omnibus confratribus et consororibus sacrum scapulare SSmae Trinitatis gestantibus, ac recitantibus singulis anni diebus ter *Pater*, *Ave* et *Gloria* in honorem ejusdem SSmae Trinitatis, indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum pro qualibet die; iis vero sodalibus, qui praefatas preces per integrum mensem recitare pro more habuerint, indulgentia plenaria semel in quolibet mense, die uniuscujusque arbitrio eligenda, in qua vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam publicam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

NB. SSmus Dnus Noster PP. Pius IX. Brevi diei 30 Januarii anni 1872 dignatus est declarare, et, quatenus opus

fuerit, denuo concedere Ordini primitivo SSmae Trinitatis et Redemptionis Captivorum, ut quotidianum privilegium altaris cujusque praefati Ordinis ecclesiae pro Missis, quae in ipso in suffragium Fratrum defunctorum celebrantur, se extendat ad altare etiam singularum ecclesiarum confraternitatum, quae eidem Ordini aggregatae sunt, quaeque in posterum aggregabuntur; insuper altaria omnia cujuscumque pariter ecclesiae Ordinis, tum Confraternitatis Ordini adscriptae, die obitus seu depositionis cujuscumque Religiosi aut confratris, seu etiam die, qua eorum mortis notitia pervenerit, privilegiata pro illis similiter declarare; ac ne animabus illis defraudentur suffragia, casu, quo dies praedicti ratione ritus ecclesiae impediti fuerint, benigne concessit dictum privilegium pro prima die non impedita, in qua fiunt funeralia.

Pro universis Christifidelibus.

I. Ab Innocentio XII. Brevi *Salvatoris et Domini* diei 27 Junii 1693, confirmato a Gregorio XVI. Brevi *Paterna, qua nitimur* diei 11 Septembris 1832:

29. Visitantibus ecclesias aut capellas Ordinis SSmae Trinitatis participatio omnium indulgentiarum, privilegiorum, praerogativarum et gratiarum, quae concessa sunt cuilibet domui, conventui, aut loco pio tam canonicorum quam clericorum regularium, mendicantium, et non mendicantium, monasticorum cujusvis Ordinis sint.

II. A Clemente X. Brevi *Redemptoris* diei 20 Dec. 1670:

30. Indulgentia plenaria in festis SS. Fundatorum Ordinis, scilicet S. Joannis de Matha (8 Febr.) et S. Felicis Valesii (20 Nov.) iis omnibus, qui vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti aliquam Ordinis ecclesiam, seu oratorium visitaverint, et ibi juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

III. A Clemente XI. Brevi diei 12 Octobris 1706:

31. Indulgentia plenaria in festo SSmae Trinitatis iis omnibus (ut supra).

IV. A Clemente XIII. ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 1 Septembris 1767:

32. Indulgentia plenaria etiam a primis Vesperis diei

28 Septembris visitantibus cum iisdem conditionibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium Ordinis (exceptis tamen ecclesiis Monialium dicti Ordinis, in quibus acquiritur dumtaxat a Monialibus et commorantibus).

V. A Pio IX. duobus Brevibus dierum 18 Decembris 1857, et 26 Januarii 1858:

33. Indulgentia plenaria a primis Vesperis cum iisdem conditionibus tam die, quo in ecclesiis Ordinis festum SSmi Redemptoris de licentia Ordinarii celebratur, quam diebus 14 mensis Februarii, et 5 Julii.

VI. Ex concessione generali a Clemente XIV. ex decreto S. Congregationis Indulgentiarum diei 26 Junii 1770:

34. Indulgentia centum dierum iis Christifidelibus, qui corde contrito adorantes SSmam Trinitatem devote recitaverint Trisagium: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum: plena est terra gloria tua: Gloria Patri, Gloria Filio, Gloria Spiritui Sancto,* semel tantum in die acquirenda; ter vero lucrifacienda in singulis anni Dominicis, in festo et octiduo SSmae Trinitatis; iis demum fidelibus, qui praefatum Trisagium semel saltem in die per integrum mensem recitare pro more habuerint, indulgentia plenaria, una cujuslibet mensis die arbitrio uniuscujusque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi, et sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

VII. A Pio IX. ex decreto ejusdem S. Congregationis diei 8 Augusti 1847:

35. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum semel in quolibet die tridui, aut novemdialis, quod sive publice, sive privatim in honorem SSmae Trinitatis tam ante festivitatem ejusdem, quam quocumque anni tempore corde contrito peragetur; iis vero, qui praefatum triduum vel novemdiale integre persolverint, indulgentia plenaria ea die, in qua vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti aliquam ecclesiam publicam visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis oraverint.

VIII. A Pio IX. ex decretis dictae S. Congregationis dierum 17 Junii 1847, et 30 Septembris 1852; ac duobus Brevibus dierum 18 Decembris 1857, et 26 Januarii 1858:

36. Omnes et singulae supraenuntiatae indulgentiae animabus quoque in purgatorio detentis sunt applicabiles.

IX. A Pio IX. Brevi diei 30 Januarii 1872:

Declaravit seu denuo concessit, ut omnes Christifideles in partibus infidelium, confratres, quaestores aut procuratores Ordinis SSmae Trinitatis in locis, quibus non est ecclesia praedicti Ordinis, possint lucrari, servatis servandis, supradictas indulgentias propriam ecclesiam visitando.

Decretum. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefatum indulgentiarum Summarium pluries recognitum, ac praesertim die 5 Maji 1791 et die 14 Augusti 1857, nunc in praesens iterum revisum, et cum suis Originalibus plene collatum, uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria ipsius Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 14 Aprilis 1858.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. Prinzivalli, Substitutus.

36.

Summarium indulgentiarum et gratiarum Confraternitatibus Ordinis B. M. V. de Mercede canonice erectis a S. Sede in perpetuum concessarum.

Indulgentia plenaria, semper sub conditione sacramentaliter confitendi, SS. Eucharistiam sumendi, et preces fundendi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, sanctae Matris Ecclesiae et fidei exaltatione, captivorum redemptione etc. lucranda conceditur:

1. Die illa, qua quis recipiendo habitum seu sacrum scapulare Confraternitatem ingreditur.

2. In mortis articulo ad devotam sanctissimi nominis Jesu invocationem ore aut saltem corde, etiam sola contritione, si Sacramenta suscipere non potuissent.

3. In Dominica proximiori kalendis Augusti a primis Vesperis usque ad occasum solis Dominicae hujusmodi, dummodo ecclesiam Ordinis vel Confraternitatis aut oratorium eorum devote visitent.

4. Confratribus intervenientibus primae processioni tempore publicationis Missionis Religiosorum dicti Ordinis ad redemptionem captivorum fieri solitae.

5. Confratribus intervenientibus processioni scapularii semel quolibet mense faciendae.

6. Confratribus intervenientibus secundae processioni in gratiarum actionem fieri solitae post captivorum redemptionem.

7. Confratribus, qui ad partes infidelium captivos redimendi gratia se transtulerint.

8. Iisdem confratribus, qui de dictis partibus infidelium post captivorum redemptionem reversi fuerint.

9. Tandem ipsis captivis intra mensem a die eorum redemptionis inchoandum.

Indulgentia VII annorum et VII quadragenarum: I. Confratribus suscipientibus devote sancta Sacramenta 1. Semel in mense. 2. In omnibus festis Jesu Christi, quae celebrantur ab universa Ecclesia. 3. In omnibus festivitatibus B. Mariae Virginis pariter, quae celebrantur ab universa Ecclesia. 4. In omnibus diebus festis Sanctorum Ordinis. 5. Item confratribus, qui singulis diebus per annum integrum ter Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam, vel Symbolum Apostolorum ad captivis christianis patientiam et fortitudinem impetrandam, ne nomen Domini Jesu Christi negent, sed constanter in fide persistant, et quam citius liberentur, recitaverint.

II. Confratribus confessis vel saltem vere poenitentibus cum proposito confitendi 1. recitantibus singulis diebus septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ad gloriam et honorem B. Mariae Virginis Dei Matris: 2. comitantibus SS. Eucharistiae Sacramentum ad infirmos deferendum, vel si non possunt, saltem septies flexis genibus ad signum campanae ad hoc, Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitantibus; 3. suscipientibus ho-

spitio pauperes captivos redemptos; 4. comitantibus supradictos captivos ad ecclesiam Ordinis, vel oratoria Confraternitatum locorum habitationis dictorum captivorum.

Indulgentia III annorum et III quadragenarum: 1. Jejunantibus in vigiliis festorum D. N. Jesu Christi, festorum B. Mariae Virginis Dei Matris, et festorum Sanctorum Ordinis praedicti. 2. Jejunantibus singulis sextis feriis et sabbatis cujuslibet hebdomadae ad gloriam et honorem Dei ac B. Mariae Virginis. 3. Intervenientibus officiose ad sepeliendum mortuos. 4. Intervenientibus devote Missis et aliis divinis Officiis in ecclesiis seu capellis dicti Ordinis vel ejusdem Confraternitatis more confratrum celebrandis. 5. Intervenientibus congregationibus publicis vel privatis pro quocumque opere pio faciendo. 6. Suscipientibus hospitio pauperes peregrinos, vel Fratres dicti Ordinis. 7. Procurantibus pacem inter inimicos proprios vel alienos. 8. Reducentibus devium aliquem ad viam salutis. 9. Docentibus ignorantes praecepta Dei et ea, quae ad salutem sunt. 10. Recitantibus quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam pro animabus confratrum defunctorum. 11. Collocantibus pauperes virgines de proprio in matrimonio, et non de aliquo legato pio ad id relicto vel relinquendo. 12. Supradictae indulgentiae et peccatorum remissiones per modum suffragii pro animabus defunctorum applicari possunt.[1])

Obligationes confratrum ad supradicta consequenda: 1. Ut quis sacrum scapulare (quod laneum albi coloris sit oportet) a sacerdote deputato cum solitis caeremoniis recipiat.

2. Ut illud semper super humeros portet (supra an subtus vestes, non refert); et ubi fuerit attritum, aliud, sive benedictum sive non, absque alia nova caeremonia assumendum est.

3. Ut nomen confratris Confraternitatis albo sit insertum.

Indulgentia plenaria. Adnotatio dierum, in quibus specialiter omnibus fidelibus visitantibus ecclesias Ordinis

[1]) Ita constat ex Brevi Innoc. XI. *Exponi Nobis*, dat. Rom. apud S. Petrum 23 Decembris 1678.

B. V. Mariae de Mercede a primis Vesperis festi usque ad occasum solis indulgentia plenaria a Summis Pontificibus conceditur, dummodo Sacramenta susceperint, ibique oraverint pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione etc.: 1. Dominica II. post Epiphaniam pro festo SSmi Nominis Jesu. 2. Die 23 Januarii pro festo S. Raymundi de Pennafort Confessoris. 3. Die 31 Januarii pro festo S. Petri Nolasci, Fundatoris Ordinis, aut in una die ejus octavae. 4. Die 19 Martii pro festo S. Joseph, Sponsi B. Mariae Virginis. 5. Die 8 Maji, in quo festum Apparitionis S. Michaëlis Archangeli, et incepit Reforma Excalceatorum. 6. Dominica III. post Pascha pro festo Patrocinii S. Joseph. 7. Die 31 Augusti pro festo S. Raymundi Cardinalis Ordinis, et in una die illius novenarii, si in illo intervenerint. 8. Die 24 Sept. pro festo SSmae Virginis Mariae de Mercede Institutricis Ordinis, aut in una die novenarii praecedentis vel subsequentis, dummodo in ipsa die Sacramenta recipiant atque ecclesiam dicti Ordinis visitent illis novem diebus. 9. In aliis festis Sanctorum Ordinis, scilicet S. Petri Armengaudii, S. Mariae Socos, S. Petri Paschasii, et S. Serapionis M. 10. Tandem in quarto sabbato cujuscumque mensis omnibus Christifidelibus interessentibus Missae propriae B. V. Mariae de Mercede cantari solitae in ecclesiis dicti Ordinis ubique existentibus. In aliis vero sabbatis indulgentia 7 annorum et totidem quadragenarum Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis ac praemissa peragentibus.

Constat ex Brevi Clementis XIII. *Meritis licet imparibus* dat. die 4 Decembris 1758. Et ex ejusdem Pontificis Brevi *Ad augendam* dat. die 5 Martii 1759; ex rescript. dat. die 29 Augusti 1767; et Benedict. XIII. die 14 Augusti 1728, et ex Brevi Bened. XIV. dat. die 16 Nov. 1757.

Aliae gratiae confratribus et consororibus Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede a Sancta Sede in perpetuum concessae.

1. Alexander VIII. in Brevi, quod incipit *Alias per felic. rec.* dat. Romae apud S. Mariam Majorem 15 Aprilis 1690, in perpetuum concessit omnibus utriusque sexus confratri-

bus, qui aliquam ex ecclesiis Ordinis aut suarum respective Confraternitatum ecclesias seu oratoria diebus Stationum ecclesiarum almae Urbis, prout in Missali Romano exprimuntur, devote visitaverint, et ibidem pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon captivorum liberatione, eorumque perpetua perseverantia in christianae religionis catholicaeque fidei professione pias apud Deum preces effuderint, omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequi, quas consequuti fuissent, si easdem ecclesias Urbis ad id deputatas in diebus Stationum hujusmodi personaliter et devote visitassent.

2. Idem Pontifex Alexander VIII. in Brevi, quod incipit *Inscrutabili sapientiae arcano* dat. Romae apud S. Mariam Majorem die 26 Julii 1690 omnibus fratribus et sororibus Ordinis Beatae Mariae de Mercede, necnon eorum servis et famulis, atque etiam omnibus Christifidelibus ecclesias dicti Ordinis visitantibus, omnes indulgentias et gratias omnibus aliis totius Ecclesiae Religionibus, Institutis, Congregationibus, Societatibus, Domibus, piis locis eorumque ecclesiis concessas in perpetuum concessit; non per communicationem, sed expresse, motu proprio, de certa scientia, ac si non essent concessae. Et Benedictus XIII. in Brevi, quod incipit *Aeternus aeterni Patris Filius,* dat. Romae apud S. Mariam Majorem die 9 Julii 1725, istam Alexandri VIII. amplissimam concessionem et gratiam confirmavit.

3. Pius PP. IX. feliciter regnans in Brevi, quod incipit *Exponendum nuper Nobis curavit,* dat. Romae apud S. Petrum die 15 Februarii 1861, omnibus confratribus et consororibus B. Mariae Virginis de Mercede, qui vel in claustris degunt, vel procul ab ecclesiis dicti Ordinis distant, et ideo impediti sunt, concedit, ut vel propriam, vel quamcumque aliam ecclesiam visitantes, omnes et singulas indulgentias consequantur, quas consequerentur, si ecclesiam hujusmodi Ordinis vel Confraternitatis personaliter statutis diebus ac devote visitarent, dummodo, quae pro indulgentiis consequendis injuncta sunt pietatis opera, rite praestiterint.

4. Idem Pontifex Pius IX. in Brevi, quod incipit *Omnium saluti,* dat. Romae apud S. Petrum die 25 Aprilis 1861 auctoritate Apostolica istam gratiam Ordini B. Mariae Virgini de Mercede tribuit et elargitus est, ut hi ex Christifidelibus, quorum interest, omnes et singulas indulgentias tam plenarias quam partiales dicto Ordini B. Mariae Virginis de Mercede, atque etiam Confraternitatibus sub eodem titulo canonice erectis a S. Sede jam alias concessas, animabus Christifidelibus, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii semper applicare possint.

5. Die 8 Decembris pro festo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis datur etiam absolutio generalis ex concessione Nostri SSmi Domini Papae Pii IX. fel. reg. sub die 11 Januarii 1856. Haec autem absolutio hujus diei solummodo in ecclesiis Ordinis dari potest, sicut in Brevi supradicto die emanato legitur.

6. Tertiarii Ordinis utriusque sexus claustraliter viventes cum votis simplicibus, et Superioribus Ordinis subjecti easdem indulgentias lucrari possunt, quas lucrantur Religiosi Ordinis. Constat ex Brevi fel. rec. Innocentii XI. dat. 8 Augusti 1681.

7. Tertiarii utriusque sexus non claustraliter viventes, tamen vota simplicia facientes, easdem lucrari possunt indulgentias, quas lucrantur confratres et consorores Ordinis. Constat ex Brevi ejusdem Pontificis dat. 22 Augusti 1681.

8. Tandem Pius PP. IX. alias gratias Tertiariis et confratribus nostris die 7 Julii 1868 concessit, ut in Brevi tenoris sequentis: Pius PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam. Exponi Nobis curavit dilectus filius hodiernus Vicarius Generalis Ordinis de Mercede, confratres ejus Ordini adscriptos aliis jam ab hac Sede Apostolica spiritualibus donis fuisse ditatos, sibique nunc esse in votis, ut illis concessis alias Nos indulgentias adjicere dignaremur, praesertim cum Tertius Ordo et Sodalitia Beatae Virginis de Mercede longe lateque in dies augeantur et propagentur. Nos Apostolicam Praedecessorum Nostrorum benignitatem sequuti, et ad fidelium religionem animarumque salutem procurandam intenti, piis Nobis porrectis precibus obsecundare sta-

tuimus. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui tum Tertio Ordini, tum alicui ex Sodalitatibus B. Mariae Virginis de Mercede ubique locorum canonice erectis nomen dederint suum, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti respectivam vel Tertii Ordinis vel Sodalitatis hujusmodi, cui adscripti sint, ecclesiam festivitatibus Nativitatis et Ascensionis D. N. J. Ch., Dominicis Pentecostes et SSmae Trinitatis, itemque festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis Deiparae Virginis Immaculatae, ac diebus festis S. Josephi ejusdem Sponsi, et Sanctorum Ordinis de Mercede a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum horum singulis annis devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris . . . . . Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 7 Julii 1868 Pontificatus Nostri anno vigesimo tertio. Pro D. Card. Paracciani Clarelli, J. B. Brancaleoni-Castellani Substitutus.

Decretum. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium indulgentiarum et gratiarum Confraternitatibus Ordinis B. M. V. de Mercede canonice erectis a Sancta Sede in perpetuum concessarum uti authenticum recognovit, typis imprimi ac publicari posse permisit, salva auctoritate Ordinarii. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 30 Julii 1868.

A. Card. Bizzarri, Praef.
A. Colombo, Secret.

37.

Summarium indulgentiarum concessarum universis et singulis confratribus Oratorii Nocturni canonice erecti in ecclesia S. Mariae de Pace de Urbe a s. m. Leone XII. speciali Suo Brevi sub die 14 Februarii 1826, quarum nonnullae lucrari etiam possunt ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus infrascripta opera peragentibus.

Indulgentiae plenariae. 1°. Quo die in Sodalitatem quispiam recipitur, si vere poenitens confessus fuerit, eodemque die SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserit vel in praefato oratorio, vel in alia ecclesia, ubi poterit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequitur.

2°. Item in articulo mortis, si saltem corde contrito sanctissimum Jesu nomen corde, si ore non potuerit, devote invocaverit.

3°. Item diebus festis Nativitatis et Ascensionis D. N. J. Ch. necnon Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis et Nativitatis B. M. V.

4°. Pariter in festivitate sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ipsius oratorii Patronorum, dummodo iidem sodales, ut supra, dispositi, juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, ut ex rescripto Pii PP. VIII. sub die 12 Jan. 1830.

5°. Similiter semel in hebdomada iis diebus, in quibus juxta praefati oratorii regulas seu consuetudines ad eorum spiritualia exercitia peragenda sodalium conventus haberi solent, et vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti in quacumque ecclesia, supradictum oratorium visitaverint, et ut supra oraverint; et quoniam saepe contingit, ut pluries in hebdomada sodales conveniant, dies pro indulgentia plenaria consequenda erit ad singulorum arbitrium. Monetur tamen a Moderatorum directione in his et in omnibus dependere.

6°. Moderatores vero presbyteri, quoties Congregationis confratres seu consorores infirmitate detentos spiritualibus monitis sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Dei libenter acceptandam adju-

verint, et coram aliqua crucifixi Reparatoris nostri imagine ter saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam juxta Pontificis et sanctae Matris Ecclesiae mentem ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem infirmi sanctissimum Sacramentum Eucharistiae sumpserint, indulgentiam plenariam ipsis applicare possunt.

7°. Indulgentiam plenariam semel in hebdomada concessam bis in anno lucrari possunt sodales, etiamsi locum ipsum Sodalitii non visitaverint, dummodo aliud templum visitent, in quo sanctissimum Sacramentum sumant, et generalis Confessio vel totius anteactae vitae vel ab ultima generali praecedat.

Indulgentiae perpetuae septem annorum totidemque quadragenarum. 8°. Qui corpora sodalium vel aliorum Christifidelium ad ecclesiasticam sepulturam associaverint.

9°. Qui per campanae signum de extremo alicujus fidelis agone aut transitu admoniti Deum pro infirmi salute, aut ejus felici transitu, vel pro felici requie fuerint deprecati.

10°. Qui coetibus tum publicis, tum privatis, vel divinis Officiis vel spiritualibus et exhortationibus;

11°. Aut piis officiis etiam in sodalium vel aliorum Christifidelium defunctorum suffragium per ipsius Congregationis Moderatores ordinandis;

12°. Qui Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint.

13°. Qui conscientiam suam diligenter examinaverint vespere, antequam cubitum eant.

14°. Qui pauperes infirmos tam sodales, quam alios in hospitalibus privatis, et

15°. Carcere detentos visitaverint.

Has omnes indulgentias consequi poterunt confratres et consorores ubivis locorum commorantes, dummodo tamen aliquam ecclesiam pro arbitrio visitent, et, prout poterunt, injuncta pia opera pro earumdem acquisitione fideliter adimpleant, excepta tamen indulgentia plenaria sub N° 4° posita.

Indulgentiae perpetuae 300 dierum. 16°. Si Missis ac divinis Officiis, quae in oratorio solent celebrari,

interfuerint, aut bis in mense Confessionem et Communionem sacramentalem peregerint.

17°. Si pauperes hospitio susceperint;

18°. Vel pacem inter inimicos aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint;

19°. Vel blasphemantes aut in vanum sanctissimum Dei nomen accipientes, aut obscoena verba proferentes tunc redarguerint, et devium aliquem in viam salutis reduxerint.

20°. Si in iis locis adfuerint, in quibus de more, quod ad catholicam fidem pertinet, edocetur.

21°. Si morti proximos ad felicem transitum pie ac christiane disposuerint, aut ignorantes Dei praecepta et ea, quae ad salutem sunt, docuerint.

22°. Si abstinentiis, et aliis rationalibus afflictationibus suum corpus castigaverint.

Indulgentiae perpetuae 200 dierum. 23°. Confratres et consorores ejusdem Congregationis biscentum dierum indulgentiam consequentur, si aliquem ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae fideliter suscipienda, vel ad verbum Dei audiendum induxerint.

24°. Si processionibus de Superiorum licentia peragendis interfuerint.

25°. Si sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos vel alio defertur, orantes comitati fuerint.

26°. Si Officium B. M. V. vel ejusdem coronam aut rosarium, vel pro conversione peccatorum coronam quinque Plagarum Jesu Christi, vel septem Psalmos poenitentiales devote recitaverint.

27°. Quotiescumque oratorium supradictum visitaverint, vel aliquod pietatis, vel devotionis, vel caritatis opus peregerint.

Indulgentiae Stationum. 28°. Lucrari etiam possunt praedicti confratres et consorores omnes et singulas indulgentias Stationum, prout in decreto hujus Sacrae Congregationis 9 Julii 1777, diebus in Missali Romano descriptis, dummodo idem oratorium rite dispositi visitaverint.

Ministri et inservientes oratorio, licet non adscripti, quo tempore suum servitium fideliter praestabunt, omnes supra-

dictas indulgentias tum plenarias tum partiales jam concessas et in posterum concedendas lucrari possunt, dummodo supradicta opera injuncta fideliter adimpleant.

Insuper Pius PP. VIII. sub die 12 Januarii 1830 clementer indulsit, ut omnes et singulae Missae a quocumque sacerdote sive saeculari sive regulari ad quodcumque ipsius oratorii seu ecclesiae altare pro anima cujuscumque adscripti celebratae animabus hujusmodi suffragentur, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent.

Indulgentiae plenariae perpetuae tam pro confratribus et consororibus, quam pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus. 29°. In Dominica infra octavam SS. Corporis Christi, et in Dominica Passionis, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint et devote visitaverint oratorium praefatum.

30°. Similiter plenariam indulgentiam lucrari possunt in diebus, in quibus vere poenitentes et confessi sacram Communionem sumpserint in iis ecclesiis, in quibus de more semel in mense peragitur generalis Communio.

31°. Omnes supradictae indulgentiae tam plenariae, quam partiales, vel confratribus et consororibus concessae, vel omnibus utriusque sexus Christifidelibus extensae, animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari possunt.

32°. Et tandem idem Summus Pontifex Pius PP. VIII. ex decreto sub dato diei 10 Maji 1830 praefati oratorii pro tempore Praefecto omnia et singula privilegia, indulta, indulgentias et gratias spirituales in hoc Summario contentas aliis oratoriis ejusdem nominis et instituti tam intra, quam extra Urbem canonice erectis, et in enuntiatum primarium oratorium juxta Litteras Apostolicas Leonis XII. s. m. cooptatis communicandi facultatem tribuit et impertitus est.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognitum, non modo approbavit, verum etiam typis imprimi et publicari posse censuit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Maji 1830.

A. Archiepiscopus Trapezuntinus, Secret.

38.

Summarium indulgentiarum, quae a SSmo D. N. Pio PP. VII. regiae Confraternitati sub titulo Beatae Mariae Virginis nuncupatae Notre Dame de Moutuset *civitatis Burdigalensis concessae sunt.*

Burdigalen. *SSmus D. N. Pius PP. VII. cupiens ex pastorali officio et caritate animarum saluti, quantum cum Deo potest, paterne consulere, et Christifideles libentius ac ferventius in bonis ac piis operibus exercendis insistere, quo uberius spiritualibus muneribus, indulgentiis videlicet, et peccatorum remissionibus noverint esse refectos: de omnipotentis Dei misericordia confisus, enixis precibus regiae Confraternitatis sub titulo B. M. V. nuncupatae* Notre Dame de Moutuset *multis abhinc annis institutae, et nuper in ecclesia S. Michaelis civitatis et dioecesis Burdigalen. canonice erectae benigne inclinatus, omnibus confratribus praedictae Confraternitatis vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, supradictam ecclesiam visitantibus et juxta mentem Sanctitatis Suae pie orantibus sequentes indulgentias clementer impertitus est:*

1°. Quo die in Sodalitatem quispiam recipitur, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequitur.

2°. Indulgentia plenaria in festo principali Confraternitatis, videlicet tam in festo B. M. Virginis, in Dominica infra festum Ascensionis Domini et diem Pentecosten incidenti, quam in festo S. Ludovici Regis, secundarii Confraternitatis ejusdem Patroni, die nempe 25 Augusti celebrando, incipienda a primis Vesperis usque ad occasum solis praedictorum duorum dierum.

3°. Indulgentia plenaria in quatuor aliis infra annum diebus ab Ordinario quotannis designandis, incipienda pariter a primis Vesperis usque ad praefatorum dierum solis occasum.

4°. Indulgentia plenaria in fine annualis secessus confratrum, a Dominica Ascensionis Domini ad Pentecosten diem inclusive decurrentis, semel tantum spatio praedictorum dierum ab unoquoque confratre lucranda, die scilicet uniuscujusque arbitrio eligenda.

5°. Indulgentia plenaria in die Officii generalis pro confratribus defunctis die vigesimaquinta Augusti celebrandi singulis praedictis confratribus interessentibus, et ut supra dispositis et orantibus.

6°. Indulgentia plenaria eisdem confratribus in mortis articulo constitutis, dummodo rite dispositi fuerint, vel saltem corde contrito sanctissimum Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

7°. Indulgentia sexaginta dierum pro quolibet opere pio, quod a supradictis confratribus corde saltem contrito ac devote peragetur.

8°. Ne autem confratres absentes, qui honorarii ibi vocantur, legitime impediti, insuper spiritualibus hisce donis priventur, quoties ecclesiam antenuntiatam visitare nequiverint, indulgentias easdem consequi possunt et valent, dummodo omissa visitatione ecclesiae S. Michaelis alia pia opera a confessario injungenda devote ac fideliter exsequantur.

9°. Omnes supraenuntiatae indulgentiae sive plenariae sive partiales possunt animabus fidelium defunctorum etiam applicari.

Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Novembris 1819.

Angelus **Costaguti**, Secret.

Sequitur Summarium indulgentiarum numismatibus B. M. V. de Notre Dame de Montuset *nuncupatis concessarum.*

SSmus D. N. Pius PP. VII. ad humillimas preces regalis Confraternitatis sub titulo B. M. V. de Notre Dame de Moutuset *nuncupatae in ecclesia S. Michaelis civitatis et dioecesis Burdigalen. canonice erectae, et ex voto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, numismatibus B. M. V.* de Notre Dame de Moutuset *nuncupatis et per sacerdotem ejusdem Confraternitatis Rectorem pro tempore benedictis in audientia per me infrascriptum Secretarium dictae Sacrae Congregationis habita sub die 23 Novembris sequentes concessit indulgentias, prout infra, sine praejudicio illarum jam antea omnibus Christifidelibus generaliter concessarum.*

Indulgentia tercentum dierum omnibus utriusque sexus Christifidelibus concessa toties, quoties in sequentibus piis operibus sese exercuerint:

1°. Qui Deum deprecabuntur pro Christifidelibus in extremo agone constitutis, ac pro ipsis ter Orationem Dominicam et ter Salutationem Angelicam dixerint.

2°. Qui detentos in carcere aut aegrotos in nosocomiis aliquo pio opere adjuvando visitaverint.

3°. Qui doctrinam christianam in ecclesia, aut domi filios vel propinquos aut famulos docuerint.

4°. Qui sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos aut alio defertur, devote associaverint.

5°. Qui probo suo exemplo aut consilio aliquem peccatorem ad poenitentiam reduxerint, vel ad audiendum verbum Dei, aut aliquod pietatis opus peragendum conduxerint.

6°. Qui conscientiam suam excusserint, ac vere poenitentes peccata commissa emendare ac confiteri firmiter proposuerint, quinquies Oratione Dominica et Salutatione Angelica devote repetita.

7°. Qui sacram B. M. V. imaginem in numismatibus sculptam osculaverint, actum contritionis ferventer recitando.

8°. Supradictas indulgentias quilibet Christifidelis tam sibi, quam per modum etiam suffragii animabus fidelium defunctorum applicare poterit.

Sanctitas Sua declaravit, quod praedicta numismata, vulgo medaglie, *quae non fuerint benedicta a sacerdote Rectore pro tempore supradictae Confraternitatis, omni penitus careant indulgentia. — Item vetuit benedici ejusmodi numismata, quae ex fragili materia facilisve consumptionis conficiuntur, sed tantum ex auro, argento, aere, aurichalco aliove solido metallo confecta; aliter nulla prorsus gaudeant indulgentia. In distribuendis hujusmodi numismatibus eorumque usu Eadem Sanctitas Sua servari jubet decretum fel. rec. Alexandri VII. editum sub die 6 Februarii 1657, nimirum, ut numismata, quae vulgo* medaglie *nuncupantur, cum praedictis indulgentiis benedicta non transeant personam illorum, quibus a praefato sacerdote Rectore conceduntur, aut quibus ab eodem prima vice distribuuntur, nec commodari aut concedi, seu precario dari valeant,*

alioquin careant indulgentiis jam concessis, et aliqua deperdita, altera pro ea subrogari nullo modo possit, nisi a quo supra benedicta fuerit. Insuper voluit Sanctitas Sua, quod ad lucrifaciendas omnes et singulas praefatas indulgentias unusquisque fidelis unum ex dictis numismatibus in actu opera ut supra injuncta exercendo apud se deferre debeat. — Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Novembris 1819.

Angelus Costaguti, Secret.

39.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum, quibus gaudet venerabilis Confraternitas Devotorum Jesu Christi ad Calvarium (vulgo „Sacconi rossi").

1°. Indulgentia plenaria in die vestitionis, dummodo novus frater confessus et sacra Communione refectus visitet nostrum oratorium, et ibidem per aliquod temporis spatium oret juxta mentem Summi Pontificis.

2°. Indulgentia plenaria in die oblationis, dummodo adimpleat conditiones supra praescriptas.

3°. Indulgentia plenaria singulis feriis sextis Martii sub iisdem conditionibus.

4°. Indulgentia plenaria in festis Conceptionis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V., incipiendo a primis Vesperis cujusque festi, et sub iisdem praescriptis conditionibus.

5°. Indulgentia plenaria in festo Exaltationis sanctae Crucis a primis Vesperis, omnino ut supra.

6°. Indulgentia plenaria in festo S. Bartholomaei Apostoli, incipiendo a primis Vesperis et sub indicatis conditionibus.

7°. Indulgentia plenaria in articulo mortis, dummodo rite dispositi invocent sanctissimum nomen Jesu corde, si ore non possint.

8°. Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum pro unaquaque hora orationis, quam facient sacco vestiti ante sanctissimum Sacramentum expositum in diebus

quadraginta horarum in Basilica S. Bartholomaei in Insula, dummodo saltem corde sint contriti, ultra indulgentiam decem annorum generaliter concessam visitanti semel in die sanctissimum Sacramentum tempore quadraginta horarum.

9°. Indulgentia 300 dierum lucranda ab iis, qui ad hoc designati visitabunt infirmos in nosocomio Consolationis, dummodo sint corde contriti.

10°. Indulgentia 60 dierum pro singulis processionibus (ultra indulgentias lucrandas in qualibet ecclesia, ad quam processio dirigitur), pro singulis associationibus cadaveris; ita etiam, si pacem restituant inter inimicos, si lites componant, si pauperibus succurrant, si asylum dent peregrinis, si comitentur sanctissimum Viaticum ad infirmos, si intersint consiliis secretis aut generalibus, quae habentur in nostro oratorio, aut si tandem facient quodcumque aliud opus pium, corde pariter contrito.

11°—26°. Indulgentiae Stationum Romae, visitando nostrum oratorium diebus hic infra indicatis.[1]) (Vide supra pag. 239 in Rescripto 313.)

Concessiones generales. 27°. Indulgentia quinquaginta dierum omnibus illis, qui ex devotione recitant Officium B. M. V. vel Defunctorum. Pius V. in Bulla *Superni* 5 Aprilis 1571.

28°. In visitatione septem ecclesiarum, confitendo et communicando, et orando juxta mentem Summi Pontificis acquiruntur plurimae indulgentiae, quae quotidie habentur in dictis ecclesiis, ut patet ex Bullis et Brevibus Pontificiis asservatis in archiviis cujusque ex ipsis.

29°. Quicumque curat quotidie per mediam horam aut saltem quartam horae partem devote facere meditationem seu orationem mentalem, potest lucrari indulgentiam plenariam semel in mense, ea die, qua confessus et sacra Communione refectus Deum orabit pro sancta Ecclesia. (Benedictus XIV. in Bulla *Quemadmodum* 16 Decembris 1746.)

---

[1]) Advertendum, quando indulgentia est plenaria, praeter visitationem nostri oratorii requiri etiam confessionem (quae potest esse hebdomadalis), communionem et orationem pro Summo Pontifice.

Privilegia particularia. 30°. In visitatione septem ecclesiarum, ecclesia S. Petri commutata est in illam S. Mariae in Cosmedin.

31°. In dicta visitatione, in via, quae a S. Paulo ducit ad S. Sebastianum, possunt visitari Stationes sacrae Viae Crucis, et earum indulgentiae acquiri.

32°. In dicta visitatione, in casu pluviae, visitando solummodo Basilicam S. Bartholomaei potest suppleri pro illis ecclesiis, quae visitatae non fuerint.

33°. Altare nostri oratorii est privilegiatum quotidie in perpetuum pro Missis, quae ibi celebrantur pro quocumque defuncto.

34°. Altare coemeterii, in quo quotidie S. Missa celebrari potest, privilegiatum est, pro quocumque defuncto Missa celebretur, tam per totam octavam Defunctorum, quam diebus, quibus in oratorio exponitur aliquod cadaver nostrorum fratrum.

Aggregatio et affiliatio Seraphico Ordini Minorum de Observantia. Per diploma Reverendissimi P. Fr. Paschalis a Varisio, Ministri Generalis Ordinis Minorum de Observantia, expeditum 13 Februarii 1776 omnes fratres nostrae Confraternitatis supradicto Ordini aggregati sunt, et participes facti in vita, in morte et post mortem omnium meritorum, quae die et nocte acquiruntur in toto Ordine Religiosorum de Observantia, Reformatorum excalceatorum, Recollectorum, Tertii Ordinis, sicut etiam Monialium Clarissarum, Sanctissimae Annuntiationis, Sanctissimae Conceptionis, aliorumque subjectorum jurisdictioni citati Patris Ministri Generalis, mediantibus suffragiis, Missis, jejuniis, meditationibus, praedicationibus, missionibus, aliisque piis operibus, quae ab ipsis exercentur; et per aliud diploma ejusdem diei fratres nostri affiliati sunt eidem Ordini cum plenaria participatione omnium privilegiorum, gratiarum et indulgentiarum a Summis Pontificibus ipsi concessorum, virtute facultatum concessarum Patri Ministro Generali pro tempore Minorum de Observantia in Bulla Innocentii XII. fel. rec. *Sua nobis* 15 Decembris 1695.

Sequitur elenchus illarum indulgentiarum Ordini Franciscano concessarum, quas lucrari possunt fratres nostri (extractus ex Summario authentico approbato a Sacra Congregatione Indulgentiarum 20 Julii 1841) [1]) *visitando aliquam ecclesiam Ordinis Seraphici, cum aliis conditionibus supra expressis.*

1°. Quotiescumque aliquis visitabit aliquam ecclesiam Ordinis, et ibi Deum orabit pro exaltatione sanctae Ecclesiae, pro exstirpatione haeresum, et pro pace et concordia inter principes christianos, lucrabitur omnes indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum et S. Jacobi de Galitia.

2°. Si sint infirmi vel convalescentes, nec possint commode exire domo, recitando quinque *Pater* et *Ave,* et orando, ut supra, lucrabuntur easdem indulgentias, acsi visitata fuisset ecclesia Ordinis.

3°. Visitando sanctissimum Sacramentum in ecclesiis Ordinis, recitando sex *Pater, Ave* et *Gloria* lucrantur indulgentias Stationum Romae, Hierosolymorum et S. Jacobi de Galitia et Portiunculae singulis vicibus.

4°. Singulis anni diebus visitando aliquam ecclesiam Franciscanam, aut cujuscumque alterius Ordinis mendicantis, lucrantur singulis vicibus dicendo tria *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem sanctissimae Trinitatis indulgentiam trecentorum dierum, et singulis sabbatis et Dominicis pro singulis vicibus centum nonaginta et octo annorum et totidem quadragenarum, et feriis sextis centum dierum pro singulis vicibus.

5°. In quatuor Dominicis Adventus visitando aliquam ecclesiam cujuscumque Ordinis mendicantis lucrantur illas indulgentias, quae concessae sunt pro omnibus Dominicis anni, ut exprimitur articulo quarto.

6°. Singulis diebus Quadragesimae usque ad diem Paschae visitando, ut supra, lucrantur indulgentiam ducentorum quinquaginta annorum et centum triginta duarum quadragenarum et quingentorum sexaginta sex dierum.

---

[1]) Quod habetur supra, pag. 385—401.

7°. Singulis feriis secundis, quartis et sextis Quadragesimae, praeter supradictas lucrantur indulgentiam octoginta octo annorum et octoginta quadragenarum, visitando, ut supra.

8°. Et visitando a primis Vesperis Sabbati sancti usque ad occasum solis diei Paschae aliquam ecclesiam S. Francisci de Paula, aut aliam ecclesiam Mendicantium corde contrito, et confessi aut cum proposito confitendi, dicendo tria *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem sanctissimae Trinitatis lucrari possunt indulgentiam plenariam.

9°. In die Ascensionis visitando aliquam ecclesiam Mendicantium lucrari possunt indulgentiam centum et duorum annorum et totidem quadragenarum.

10°. In die Pentecostes visitando aliquam ecclesiam Mendicantium lucrantur indulgentiam centum quadraginta et octo annorum et centum viginti quadragenarum.

11°. Et si in dicta die faciant, quod praescribitur articulo 8°, possunt lucrari indulgentiam plenariam.

12°. In festo sanctissimae Trinitatis visitando, ut supra, lucrantur indulgentiam ducentorum novemdecim annorum et totidem quadragenarum.

13°. In eodem festo ii, qui contriti et confessi, aut cum proposito confitendi a primis Vesperis usque ad totam Dominicam visitabunt unam ex supradictis ecclesiis, possunt lucrari indulgentiam plenariam.

14°. In festo Corporis Christi recitando, ut supra, lucrantur indulgentiam ducentorum annorum et totidem quadragenarum.

15°. In die Circumcisionis visitando, ut supra, possunt lucrari indulgentiam tercentorum quinquaginta annorum et centum quinquaginta quadragenarum.

16°. In Epiphania visitando, ut supra, possunt lucrari indulgentiam ducentorum quinquaginta annorum et totidem quadragenarum.

17°. In festo Purificationis visitando, ut supra, lucrabuntur indulgentiam ducentorum sexaginta annorum et centum quinquaginta duarum quadragenarum, praeter omnes illas concessas in aliis festivitatibus B. M. V.

18°. In festo Annuntiationis visitando ut supra, lucrabuntur indulgentiam ducentorum quadraginta trium annorum et centum triginta sex quadragenarum et viginti dierum.

19°. Visitando aliquam ecclesiam Mendicantium in die Sancti Titularis ejusdem possunt lucrari indulgentiam centum et octo annorum, triginta quadragenarum et unius et centum dierum.

20°. In quolibet festo alicujus Sancti vel Sanctae Ordinis Minorum, Dominicanorum, Augustinianorum, aliorumve Ordinum mendicantium visitando aliquam ex eorum ecclesiis, possunt lucrari indulgentiam ducentorum quinquaginta sex annorum et quinquaginta quadragenarum.

Sancti Ordinis Franciscani, pro quorum festis concessa est indulgentia plenaria, visitando aliquam ecclesiam Ordinis cum dispositionibus supra expressis:

21°. In Januario. Die 16 SS. MM. Berardi, Petri et Sociorum. Die 30 S. Hyacinthae de Mariscottis.

22°. In Februario. Die 6 SS. MM. Petri, Baptistae et Sociorum. Die 22 S. Margaritae de Cortona.

23°. In Martio. Die 5 S. Joannis Josephi a Cruce. Die 6 S. Coletae. Die 9 S. Catharinae de Bononia.

24°. In Aprili. Die 3 S. Benedicti a S. Philadelpho. Die 16 S. Raphaëlis Archangeli.

25°. In Majo. Die 13 S. Petri Regalati. Die 17 S. Paschalis Baylon. Die 20 S. Bernardini Senensis.

26°. In Junio. Die 13 S. Antonii a Padua. Die 19 B. Michelinae.

27°. In Julio. Die 14 S. Bonaventurae. Die 24 S. Francisci Solani.

28°. In Augusto. Die 2 indulgentia Portiunculae (et haec acquiri potest saepius eadem die, repetendo visitationes ecclesiae et orationem pro Summo Pontifice). Die 12 S. Clarae. Die 19 S. Ludovici Episcopi. Die 25 S. Ludovici Regis Francorum.

29°. In Septembri. Die 4 S. Rosae de Viterbio. Die 11 SS. MM. Nicolai et Sociorum. Die 17 Stigmatum S. Francisci. Die 24 S. Pacifici a S. Severino.

30°. In Octobri. Die 4 S. Patriarchae Francisci Assisiensis. Die 13 SS. MM. Danielis et Sociorum. Die 19 S. Petri de Alcantara. Die 23 S. Joannis a Capistrano.

31°. In Novembri. Die 12 S. Didaci. Die 19 S. Elisabeth principissae Hungaricae. Die 28 S. Jacobi a Marchia. Die 29 festum omnium Sanctorum Ordinis.

32°. In Decembri. Die 8 festum sanctissimae et immaculatae Conceptionis: ii, qui recitant aut intersunt Officio divino aut Missae solemni dicta die, in ecclesiis Ordinis Franciscani possunt lucrari indulgentiam quadringentorum dierum pro Matutino et Laudibus, similiter pro Missa, et similiter etiam pro Vesperis; et indulgentiam centum sexaginta dierum pro singulis Horis minoribus, Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorio. Diebus infra octavam indulgentiam ducentorum dierum pro Matutino, similiter pro Missa, et similiter pro Vesperis, et octoginta dierum pro singulis Horis minoribus.

33°. Hae indulgentiae enuntiatae in die sanctissimae Conceptionis, prout in articulo superiori, eodem ordine concessae sunt in festis sanctissimi Nominis Jesu, Visitationis B. M. V. et Transfigurationis D. N. J. Ch.

34°. Recitando coronam B. M. V. vulgo dictam Ordinis, quae constat septuaginta *Ave Maria* et septem *Pater noster,* addito uno *Pater* et *Ave* pro Summo Pontifice, acquiritur indulgentia plenaria, cum dispositionibus debitis, ut in principio dictum est.

35°. Tandem omnes indulgentiae, quae acquiruntur ubicumque fuerint concessae, et opera bona, quae exercentur, possunt applicari in suffragium animarum purgatorii.

Indulgentiae, quas lucrari possunt etiam fideles utriusque sexus in nostro oratorio.

1°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum singulis feriis sextis Martii.

2°. Diebus exercitiorum spiritualium, quae fiunt in Quadragesima, indulgentia septem annorum et septem quadragenarum pro singulis vicibus, et indulgentia plenaria in die, qua fiet sacra Communio, visitando nostrum oratorium, ibi-

que orando juxta mentem Summi Pontificis, dummodo quinquies interfuerint exercitiis.

3°. Indulgentia plenaria in festo Inventionis S. Crucis, incipiendo a primis Vesperis.

4°. Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum singulis diebus tridui ante festum S. Pacifici Martyris, et indulgentia plenaria in eodem festo a primis Vesperis.

5°. Indulgentia plenaria in festo Nativitatis B. M. V. incipiendo a primis Vesperis.

6°. Indulgentia plenaria in festo B. M. V. Dolorosae, Dominica tertia Septembris, incipiendo a primis Vesperis.

7°. Indulgentia plenaria in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, et septem annorum ac septem quadragenarum singulis diebus octavae.

8°. Visitando pium exercitium sanctae Viae Crucis (quod in nostro oratorio peragitur quotidie vespere, incipiendo a festo Inventionis S. Crucis usque ad festum Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, et reliquo anni tempore singulis feriis sextis et Dominicis, diebus bacchanalium, in tota hebdomada sancta, et per totam octavam Defunctorum) possunt lucrari eaedem prorsus indulgentiae, quas Summi Pontifices concesserunt fidelibus christianis, qui personaliter visitant loca sacra Hierosolymorum, et sunt etiam applicabiles sanctis animabus purgatorii.

Ad lucrandas tamen indicatas indulgentias requiritur juxta constitutiones Apostolicas: 1°. Ut visitando sanctam Viam Crucis recogitetur Passio divini nostri Redemptoris J. Ch. juxta uniuscujusque capacitatem. 2°. Ut non consistatur semper in eodem loco, sed transeatur ab una statione ad aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum, quae visitant, aut angustia loci, ubi erectae sunt stationes. 3°. Si quilibet fidelis privatim visitare voluerit, non est necessaria recitatio versiculi *Adoramus te Christe,* neque *Pater noster* et *Miserere nostri, Domine,* etc., quod est tantum pia consuetudo introducta a devotis in ejus visitatione, cum sufficiat, ut supra dictum est, consideratio Passionis Domini nostri juxta cujusque capacitatem.

Monetur insuper quilibet frater, indulgentias et privilegia hoc Summario contenta concessa esse in perpetuum; et indulgentiae possunt applicari etiam in suffragium fidelium defunctorum.

Et tandem fratres infirmi possunt lucrari supradictas indulgentias, faciendo sibi commutari a proprio suo confessario visitationem oratorii in alia opera pia, dummodo adimpleant omnes alias conditiones, et fratres Roma absentes possunt lucrari omnes easdem indulgentias adimplendo praescriptas conditiones, visitando respectivam ecclesiam parochialem loco nostri oratorii.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens indulgentiarum et privilegiorum Summarium venerabilis Sodalitii Devotorum Jesu Christi ad Calvarium, vulgo Sacconi rossi, *cum suis originalibus concessionibus collatum, uti authenticum recognovit atque probavit, necnon typis imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem, etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 8 Februarii 1854.*

A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

40.

Summarium indulgentiarum concessarum Archiconfraternitati Cincturae B. V. Mariae Matris Consolationis et S. Augustini et S. Monicae, depromptum e Summario approbatoa Summo Pontifice Clemente X. [1])

1. (§ 6.) Personae cincturatae quotidie recitantes tredecim *Pater* et *Ave* et unum *Salve Regina,* aut nescientes *Salve Regina,* quinque *Ave Maria* pro conservatione Summi Pontificis, et pro felici statu s. Matris Ecclesiae, participes fiunt omnium spiritualium bonorum, quae in Ordine Augustiniano habentur.

---

[1]) Idem Summarium insertum in Bullam laudati Pontificis continet paragraphos 55, verum nos exordium sumimus a paragrapho 6, quae est ejusdem Summarii prima, quoniam primae quinque pertinent ad Bullam, in qua sunt pro illius Constitutionis prooemio, et idcirco eas hic omittimus.

2. (§ 7.) Indulgentiae concessae Congregationibus, et aliis locis piis spectantibus ad Ordinem Augustinianum extenduntur ad eumdem totum Ordinem.

3. (§ 8.) In hac paragrapho asseritur, quod hujusmodi extensio facta fuit ab aliis Summis Pontificibus, qui nominantur et citantur.

4. (§ 9.) Summus Pontifex Gregorius XIII. abrogavit clausulam de manu adjutrice, vi cujus antiquitus praescribebatur, ut ad acquisitionem quarumdam indulgentiarum erogaretur aliqua eleemosyna pro fabricatione alicujus ecclesiae etc., substituens in ejus locum recitationem quinque *Pater* et *Ave* pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae et exstirpatione haeresum.

5. (§ 10.) In hac paragrapho confirmantur concessiones jam factae Augustiniano Ordini etc.

Referuntur indulgentiae concessae, videlicet:

6. (§ 11.) In die Nativitatis Domini conceduntur centum dies indulgentiae ab unoquoque e Cardinalibus numero vigintiquatuor (nimirum bis mille et quadringenti dies) illis Cincturatis, qui peccata sua detestati et confessi a primis ad secundas Vesperas visitant sacellum Confraternitatis, aut ecclesiam Ordinis, [1]) recitantes loco eleemosynae quinque *Pater* et *Ave*.

7. (§ 12.) A Dominica Pentecostes usque ad ejusdem octavam Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam Ordinis Augustiniani et sacellum aut altare Confraternitatis, acquirent unum annum et quadraginta dies indulgentiae.

8. (§ 13.) In festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, et Pentecostes, et in eorumdem octavis, [2]) itemque in festo Circumcisionis conceditur Cincturatis, qui peccata sua detestati et confessi recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae (ut ad § 9), et visitabunt ecclesiam Ordinis et altare aut sacellum Confraternitatis, indulgentia mille annorum et mille quadragenarum.

---

[1]) Pius IX. 18 Sept. 1862.

[2]) Haec indulgentia acquiri potest semel tantum a die festi usque ad totam octavam. (Pius IX. ut supra.)

9. (§ 14.) In omnibus festivitatibus D. N. Jesu Christi,[1]) et earumdem octavis conceduntur septuaginta anni et septuaginta quadragenae indulgentiae iis Cincturatis, qui sua peccata detestati et confessi[2]) visitabunt ecclesiam et altare aut sacellum Confraternitatis. Si autem praeter visitationem praedictam in eisdem festivitatibus recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirent centum annos et centum quadragenas indulgentiae.

10. (§ 15.) In festo Nativitatis B. Mariae Virginis Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi a primis ad secundas Vesperas visitabunt ecclesiam et altare aut sacellum Confraternitatis, et recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirent eamdem indulgentiam, quae conceditur illis fidelibus, qui prima et secunda die Augusti visitant Angelorum ecclesiam Portiunculae extra Assisium sitam.[3])

11. (§ 16.) In eodem supradicto festo Nativitatis B. Mariae Virginis Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi, aut propositum habentes praescripto tempore confitendi a primis ad secundas Vesperas visitabunt ecclesiam et altare aut sacellum supradictum, ibidem orantes pro exaltatione

---

[1]) Intelliguntur illae festivitates, quae celebrantur ab universa Ecclesia. (Ex decreto S. Congr. Indulg. 18 Sept. 1862.)

[2]) Confessio praescripta ad lucrandas indulgentias non requiritur toties quoties, sed sufficit, si fiat semel in qualibet hebdomada. (Decretum S. Congr. Indulg. 9 Decemb. 1763.)

[3]) In Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 20 Junii 1879 propositum fuit sequens dubium:

An indulgentia, uti illa Portiunculae, concessa Cincturatis S. Augustini et S. Monicae, qui cum injunctis conditionibus visitaverint Ordinis ecclesiam et altare vel capellam Confraternitatis in festivitate Nativitatis B. M. V. a primis usque ad secundas Vesperas, et alia concessa item praedictis, qui in die Dominica festum S. Nicolai a Tolentino immediate sequenti a primis Vesperis usque ad totam illam diem cum conditionibus injunctis visitaverint capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis, possit toties quoties acquiri, vel semel tantum in unoquoque ex dictis diebus festis?

Eminentissimi Patres, auditis Consultorum votis, rescripserunt: Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam. Et facta per me infrascriptum Secretarium relatione SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII. in Audientia diei 21 dicti mensis et anni, Sanctitas Sua votum S. Congregationis benigne adprobavit.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 21 Junii 1879.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano, Praef.
A. Panici, Secret.

sanctae Ecclesiae, pro exstirpatione haeresum et pro christianorum principum concordia, acquirent indulgentiam plenariam.

12. (§ 17.) In eodem festo Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi, atque sacra Communione refecti visitabunt a primis ad secundas Vesperas ecclesiam et altare supradicta, ibidem orantes, prout supra, et pro conversione infidelium, aut pro aliis juxta suam peculiarem devotionem, aequirent indulgentiam plenariam.

Item in eodem festo, et in illo Annuntiationis Beatae Mariae Virginis, exsequentes omnia, prout supra, acquirunt centum dies indulgentiae.

13. (§ 18.) In Dominica infra octavam Assumptionis B. Mariae Virginis Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt a primis Vesperis usque ad solis occasum ejusdem Dominicae ecclesiam et sacellum supradicta, ibidem recitantes quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirunt omnes indulgentias etiam plenarias [1]) concessas ab Innocentio IV. suisque Praedecessoribus iis, qui visitant ecclesias Ordinis, ibique eleemosynam erogant.

14. (§ 19.) In festivitatibus Assumptionis, Nativitatis, Annuntiationis, et Purificationis B. Mariae Virginis, et in octavis duarum primarum Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam et sacellum aut altare supradicta recitantes quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirunt mille annos et mille quadragenas indulgentiae.

15. (§ 20.) In omnibus festivitatibus B. Mariae Virginis, quae celebrantur ab Ecclesia universali, et in earumdem octavis Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam et sacellum aut altare supradicta, acquirunt septuaginta annos indulgentiae et septuaginta quadragenas. Si autem in iisdem festivitatibus visitabunt, prout supra, et recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirent centum annos indulgentiae et centum quadragenas.

16. (§ 21.) In omnibus festis infra annum ejusdem B. Mariae Virginis, scilicet immaculatae Conceptionis, Nativi-

[1]) Indulgentiae plenariae ad minus sunt septem; partiales autem plurimae.

tatis, Annuntiationis, Purificationis, et Assumptionis Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt altare, prout supra, ibidem orationi vacantes, acquirent indulgentiam plenariam.

17. (§ 22.) In festo S. Jacobi majoris iisdem Cincturatis, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt, prout supra, conceditur a S. Collegio Cardinalium numero vigintiquatuor (ut ad § 11) indulgentia centum dierum.

18. (§ 23.) In natali festo SS. Apostolorum et Evangelistarum Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam Ordinis et sacellum aut altare Confraternitatis, ibidem recitantes quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirunt mille annos indulgentiae et mille quadragenas.

19. (§ 24.) In singulis festis SS. Apostolorum Cincturati visitantes et recitantes quinque *Pater* et *Ave*, prout supra, fruuntur centum annis et centum quadragenis indulgentiae.

Itemque si peccata sua detestati et confessi visitabunt, ut supra, in singulis festis SS. Apostolorum et Evangelistarum, acquirunt septuaginta annos indulgentiae et septuaginta quadragenas.

20. (§ 25.) In festo S. Doctoris Augustini et in ejusdem octava Cincturati, si peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam Ordinis et sacellum aut altare Confraternitatis, acquirunt septuaginta annos et septuaginta quadragenas indulgentiae. In eodem festo, si praedicta exequantur, lucrantur centum dierum indulgentiam. Si autem in singulis festivitatibus S. Augustini item singula praedicta exequantur, addentes quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirunt mille annos et mille quadragenas indulgentiae.

21. (§ 26.) In festo ejusdem S. Doctoris et in illo S. Monicae, peccata sua detestati, confessi, et sacra Communione refecti Cincturati visitantes ecclesiam Ordinis, sacellum Confraternitatis et proprium altare eorumdem Sanctorum a primis Vesperis usque ad solis occasum praedictorum festorum, orantes, ut supra ad § 16, acquirunt in utroque festo indulgentiam plenariam.

22. (§ 27.) In festis ejusdem S. P. Augustini, et S. Monicae, itemque S. Nicolai de Tolentino Cincturati, si peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam Ordinis et sacellum aut altare Confraternitatis a primis Vesperis usque ad integrum sequentem festum diem, recitantes quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

23. (§ 28.) Conceditur Cincturatis indulgentia plenaria, sicut illa Portiunculae de Assisio, prout etiam relatum fuit ad § 15, si in Dominica proxima post festum S. Nicolai de Tolentino peccata sua detestati et confessi visitabunt a primis Vesperis usque ad totam integram Dominicam praedictum sacellum ejusdem Sancti vel altare Confraternitatis.

24. (§ 29.) In festis S. Joannis Baptistae, et Omnium Sanctorum visitantes ecclesiam Ordinis et sacellum aut altare Confraternitatis, et recitantes quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, Cincturati acquirunt centum annos et centum quadragenas indulgentiae. Item in eodem festo S. Joannis Baptistae, et in octava, et etiam in festo Omnium Sanctorum, si Cincturati peccata sua detestati et confessi recitabunt, prout supra, acquirent mille annos et mille quadragenas indulgentiae.

25. (§ 30.) Si Cincturati a feria sexta post Dominicam III Quadragesimae usque ad octavam Paschatis peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesiam Ordinis, et recitabunt supradicta quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, lucrabuntur indulgentiam septemdecim annorum totidemque quadragenarum.

26. (§ 31.) A Dominica Septuagesima inclusive usque ad octavam Paschatis quotidie conceduntur Cincturatis mille anni cum mille quadragenis indulgentiae, si peccata sua detestati et confessi visitabunt, ut supra ad § 30, et recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae.

27. (§ 32.) Illi Cincturati, qui intersunt orationi serotinae, quae quotidie in ecclesiis Ordinis recitari solet, aut privatim recitant Orationem seu Collectam *pro Ecclesia,* aut illam *pro Papa,* vel *Salve Regina,* lucrantur indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum.

28. (§ 33.) In diebus Stationum, prout in Missali Romano describuntur, Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt in ecclesiis Ordinis tria altaria, nempe illud Confraternitatis, et alia duo a P. Priore designata, recitantes ad singula praedicta tria altaria quinque *Pater* et *Ave* genibus flexis in venerationem Passionis D. N. J. Ch. et ad honorem B. Mariae Virginis, et ultimo Orationem pro Papa *Deus omnium fidelium,* aut in ejus locum (si illam nesciunt) *Salve Regina,* orantes pro conservatione status Ecclesiae Romanae et Summi Pontificis, acquirent omnes et singulas indulgentias, quas lucrantur illi, qui interveniunt Stationibus Urbis. In iis autem Ordinis ecclesiis, in quibus tria altaria non habentur, tribus vicibus praedictae Orationes repetantur ad altare Confraternitatis. In locis vero, ubi non est ecclesia Ordinis aut altare Confraternitatis, poterunt Cincturati exsequi supradictas ternas visitationes in quacumque ecclesia aut loco, ubi vel unum tantum adsit altare.

29. (§ 34.) Si Cincturati a primis Vesperis feriae tertiae majoris hebdomadae usque ad totam integram feriam quartam ejusdem sua peccata detestati et confessi visitabunt ecclesiam Ordinis et sacellum aut altare Confraternitatis, et recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirent indulgentiam plenariam, perinde ac si visitarent ecclesiam S. Marci Venetiarum in festo Ascensionis. In eadem feria quarta, itemque feria quinta et sexta majoris hebdomadae Cincturati lucrabuntur indulgentiam plenariam, si peccata sua detestati et confessi visitabunt, et recitabunt, prout supra, quinque *Pater* et *Ave.*

30. (§ 35.) Singulis sabbatis Quadragesimae Cincturati, qui peccata sua detestati et confessi visitabunt, prout supra, acquirent indulgentiam plenariam.

31. (§ 36.) In singulis sabbatis totius anni conceditur Cincturatis indulgentia plenaria, si peccata sua detestati et confessi, atque sacra Communione refecti visitabunt, prout supra, et orabunt, ut ad § 16.

32. (§ 37.) Conceditur Cincturatis privilegium, quo valeant semel absolvi a confessario Augustiniano ab Ordinario approbato et ab ipsis quaesito, ab omnibus peccatis, ex-

ceptis casibus reservatis in *Bulla Coenae,* et reservatis ab Episcopis in suis dioecesibus, et ceteris reservatis juxta Constitut. Clementis VIII. *Quaecumque,* cum adnexa facultate acquirendi indulgentiam plenariam, quam etiam acquirere possunt in articulo mortis, peccata sua detestati et confessi.

33. (§ 38.) Eamdem plenariam indulgentiam acquirere poterunt Cincturati in articulo mortis, si peccata sua detestati et confessi invocabunt aut ore aut corde sanctissimum nomen Jesu.

34. (§ 39.) Intervenientes Corrigiati (legitime non impediti) vere poenitentes et confessi processioni, quae fit in Dominica quarta cujuslibet mensis in ecclesiis Ordinis, acquirunt indulgentiam plenariam. Si in eadem Dominica assistent Missae solemni celebratae in altari Confraternitatis, aut Missae privatae, quae celebratur in oratorio vel altari ejusdem Confraternitatis, et ibidem orabunt pro conservatione Summi Pontificis, exaltatione Sedis Apostolicae, concordia christianorum principum et haeresum exstirpatione, lucrabuntur centum dies indulgentiae. Si autem vere poenitentes, confessi, et sacra Communione refecti orabunt eodem modo in processione ejusdem quartae Dominicae, acquirent aliam indulgentiam plenariam. Tandem si vere poenitentes, confessi, et sacra Communione refecti peragent processionem semel in quolibet mense, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

35. (§ 40.) Corrigiati comitantes SS. Sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, aut, si aegritudine impediti recitabunt genibus flexis (si vires suppetunt) ter *Pater* pro supradicto infirmo, acquirent centum dies indulgentiae; et illi, qui intervenient processioni, quae fit in festo S. Monicae, lucrabuntur alios centum dies indulgentiae, et qui ceteris processionibus, quae fieri solent, dies sexaginta.

36. (§ 41.) Illis Corrigiatis, qui recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, conceditur facultas sibi eligendi confessarium approbatum saecularem sive regularem cujuscumque Ordinis, a quo post confessionem, et impositionem salutaris poenitentiae valeant absolvi, quotiescumque opus fuerit, a quocumque peccato aut censura, exceptis casibus

reservatis in Constit. *Quaecumque* Clementis VIII., cum adnexa indulgentia plenaria semel in vita, et iterum in mortis articulo,[1]) et si deficiet illis tempus confitendi, aut morte improvisa corripiantur, sufficiet, quod dederint aliquod contritionis signum. Demum si vere poenitentes et confessi recitabunt quinque *Pater* et *Ave* pro uno defuncto loco eleemosynae, acquirent indulgentiam plenariam, quae destinari potest in suffragium animarum purgatorii.

37. (§ 42.) Corrigiati benefactores Confraternitatis, tam vivi, quam defuncti, participes sunt omnis boni spiritualis, quod fit in Ordine Augustiniano, et in universa Ecclesia militanti.

38. (§ 43.) Corrigiatis actu procuratoribus Ordinis aut Confraternitatis conceduntur centum anni indulgentiae, et si recitabunt quinque *Pater* et *Ave* loco eleemosynae, acquirent indulgentiam quadraginta annorum. Praeterea Cincturati, quotiescumque interveniunt divinis Officiis, quae celebrantur in oratorio aut sacello Confraternitatis, aut congregationibus vel orationibus fieri solitis, aut alio modo praestabunt auxilium, consilium vel protectionem, lucrabuntur indulgentiam centum dierum; et dierum sexaginta, si accedunt ad recitandum Officium divinum, ad mortuos sepeliendos, aut visitabunt infirmos et in carceribus detentos.

39. (§ 44.) Corrigiati non solum fruuntur omnibus indulgentiis concessis Ordini Augustiniano, sed etiam (per communicationem) indulgentiis ceteris Ordinibus regularibus, Congregationibus, eorumdem Confraternitatibus, locis piis etc. tam concessis, quam concedendis.

40. (§ 45.) Si Cincturati vere poenitentes et confessi, aut stabile propositum confitendi habentes visitabunt in omnibus Dominicis Quadragesimae, et in Dominica Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, et in festo Nativitatis Domini sacellum aut altare Confraternitatis a primis Vesperis ad solis occasum praedictorum dierum, et ibidem

[1]) Haec absolutio in *articulo mortis* est diversa ab illa concessa a Julio II. impertiri solita a sacerdotibus Augustinianis. Praesens concessa fuit a Sixto IV., et impertiri potest a quocumque sacerdote approbato. In locum hujus inservire etiam potest formula descripta post *Modum adscribendi* fideles Sodalitio Cincturatorum, mutato nomine Julii II. in illud Sixti IV. — Quae tamen formula nunc per decret. S. R. C. 7 Maji 1882 abrogata est. Cf. Decret. authent. S. Congr. Indulg. pag. 411.

recitabunt ter *Pater* et *Ave*, acquirent indulgentiam plenariam. Si autem praefatam visitationem peragent in ceteris Dominicis anni, lucrabuntur indulgentiam triginta annorum et totidem quadragenarum.

41. (§ 46.) Si Corrigiati visitabunt septem altaria designanda in ecclesiis Ordinis Augustiniani, lucrabuntur easdem indulgentias, quas lucrarentur visitando septem ecclesias privilegiatas sitas intra et extra Urbem.

42. (§ 47.) In omnibus sequentibus diebus, quibus fieri solet Communio generalis in ecclesiis Ordinis, videlicet in prima Dominica Adventus, Nativitate Domini, Epiphania, Purificatione B. Mariae Virginis, prima et quarta Dominica Quadragesimae, Annuntiatione B. Mariae Virginis, feria quinta majoris hebdomadae, Paschate Resurrectionis, Ascensione Domini, Pentecoste, festo Corporis Domini, Nativitate S. Joannis Baptistae, festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, Doctoris S. P. Augustini, Nativitatis B. Mariae Virginis, item festo S. Michaëlis Archangeli, et Omnium Sanctorum, si Cincturati peccata sua detestati, confessi, et sacra Communione refecti recitabunt genibus flexis orationem pro Papa *Deus omnium fidelium* etc. aut, eam nescientes, semel *Pater noster* pro conservatione status sanctae Ecclesiae et Summi Pontificis, acquirent indulgentiam plenariam.

43. (§ 48.) Referuntur nomina Summorum Pontificum, qui confirmarunt supradictas indulgentias.

Indulgentiae concessae cunctis fidelibus, qui visitant ecclesias Ordinis Augustiniani, et exercent opera pia:

44. (§ 49.) Quilibet e fidelibus, qui audiet concionem Religiosi Augustiniani, acquiret indulgentiam centum octoginta dierum. Qui visitabit ecclesiam Ordinis in diebus festis Sanctorum vel Sanctarum Augustinensium,[1]) praesertim Sancti Augustini, et S. Monicae, et in ipsorum octavis ac

[1]) In praedicto indulto diei 18 Septembris 1862 intelliguntur tantummodo Beati et Beatae Ordinis usque ad praefatum tempus in Beatorum album adscripti. Ex eo tempore Beatorum coetui aggregati sunt nostrates BB. Cherubinus de Aviliana, Confessor, Petrus de Zuniga, Bartholomaeus Guttierez, Ferdinandus de Ayala et Socii, Martyres, necnon Ordini concessum Officium B. Julianae de Cornelione Virginis Augustinianae.

translationibus, et in Conversione S. Doctoris, quolibet die lucrabitur quadraginta annos indulgentiae et quadraginta quadragenas. Item quilibet fidelis visitans, prout supra, ceteris diebus anni acquiret centum dies indulgentiae. Et cuilibet e fidelibus, qui moriatur cum habitu Augustiniano, si elegerit sepeliri cum eodem habitu, remittitur quarta pars poenae temporalis illi debitae propter sua peccata. Si fideles peccata sua detestati et confessi visitabunt ecclesias Ordinis in festis Assumptionis B. Mariae Virginis, et S. P. Augustini, et octo sequentibus diebus, lucrabuntur centum dies indulgentiae. Benefactoribus Ordinis conceditur in vita et post mortem communicatio suffragiorum, orationum et boni spiritualis, quod nedum in Ordine ipso, verum etiam in tota militanti Ecclesia peragitur.

45. (§ 50.) Referuntur preces factae pro confirmatione omnium praedictarum indulgentiarum etc.

46. (§ 51.) Impertitur absolutio a censuris, et confirmantur omnes praedictae indulgentiae, et abolentur cetera Summaria.

47. (§ 52.) Singulae personae, quae vere poenitentes, confessae, et sacra Communione refectae facient se adscribi Confraternitati Cincturatorum, acquirent in die hujusmodi ingressus indulgentiam plenariam. Omnes autem et singulae supradictae indulgentiae juxta Constitutionem Clementis X. ad instar suffragii destinari possunt animabus purgatorii.

48. (§ 53.) Cincturati, qui in festo solemni hujus Confraternitatis, quod a praefato Clemente X. assignatum est Dominicae immediatae post festum S. P. Augustini, intervenient confessi et sacra Communione refecti processioni, quae fit in supradicta Dominica, et adimplebunt opera pietatis injuncta, lucrabuntur indulgentiam plenariam.

Paragraphi 54 et 55 continent clausulas et formulas poni solitas in fine cujusque Constitutionis Apostolicae cum adscripta die 27 Martii 1675, Pontificatus Clem. X. anno V, cujus Pontificis praefata Constitutio relata fuit in acta Secretariae Brevium in libro mensis Martii, parte 2, folio 250.

Sequentes indulgentiae plenariae concessae sunt a variis Summis Pontificibus cunctis fidelibus, qui vere poenitentes,

confessi, et sacra Communione refecti visitabunt quamcumque ecclesiam Ordinis Augustiniani, et ibidem orabunt pro motivis expressis in paragrapho 16 Summarii supra descripti, aut pro aliis causis, quae, ubi opus fuerit, inferius indicabuntur.

Die 17 Martii, festo S. Patritii Episcopi Augustiniani et Hiberniae Apostoli, indulgentia plenaria acquirenda in praedicto die a cunctis fidelibus, qui peccata sua detestati, confessi et sacra Communione refecti orabunt per aliquod temporis spatium juxta intentionem Summi Pontificis. *(Clemens XIII. 19 Novembris 1763.)*

19. Festo S. Josephi, Sponsi B. Virginis Mariae, indulgentia plenaria concessa etc. *(Pius Papa IX. 2 Aprilis 1851.)*

25. Festo Annuntiationis B. Mariae Virginis, indulgentia plenaria concessa etc. *(Bened. XIV. Brevi Commissae 10 Maji 1743.)*

In festo Resurrectionis D. N. Jesu Christi, indulgentia plenaria concessa etc. *(Idem Summus Pontifex, ut supra.)*

26 Aprilis. Festo B. Mariae Virginis de Bono Consilio, indulgentia plenaria concessa etc. *(Pius VI. Brevi Ad augendam 6 Martii 1792.)*

4 Maji. Festo S. Monicae matris S. P. Augustini, indulgentia plenaria concessa etc. *(Clemens X. Brevi Unigeniti Dei Filii 18 Octobris 1671.)*

Tertia Dominica post Pascha Resurrectionis, festo Patrocinii S. Josephi, Sponsi B. Mariae Virginis, indulgentia plenaria, ut in die 19 Martii. *(Pius IX., ut supra.)*

In festo Pentecostes, indulgentia plenaria concessa etc. *(Benedictus XIV., ut supra.)*

12 Junii. Festo S. Joannis a sancto Facundo Conf. August. indulgentia plenaria concessa etc. *(Alexander VIII. Brevi Redemptoris 29 Nov. 1690.)*

15 Augusti. Festo Assumptionis B. Mariae Virginis, indulgentia plenaria concessa etc. *(Benedictus XIV., ut supra.)*

28. Festo S. P. Augustini Conf. et Doctoris S. Ecclesiae, indulgentia plenaria concessa etc. *(Clemens X., ut supra.)*

Dominica prima post festum S. P. Augustini, solemnitate B. Mariae Virginis sub titulo Consolationis, indulgentia plenaria concessa etc. *(Benedictus XIV., ut supra.)*

10 Septembris. Festo S. Nicolai de Tolentino Conf. August., indulgentia plenaria concessa etc. *(Clemens X., ut supra.)*

Dominica infra octavam Nativitatis Beatae Mariae Virginis, festo SS. Nominis ejusdem Immaculatae Virginis, indulgentia plenaria concessa cunctis fidelibus, qui vere poenitentes, confessi, et sacra Communione refecti assistent Missae solemni, et orabunt, ut ad paragraphum 16. *(Clemens XI. ad preces Procur. Ordinis Brevi Exponi Nobis etc. 14 Nov. 1704.)*

18. Festo S. Thomae a Villanova Conf. Aug. et Archiepiscopi Valentini, indulgentia plenaria concessa etc. *(Clemens X., ut supra ad diem 4 Maji.)*

13 Novembris. Festo omnium Sanctorum Ordinis Augustiniani,[1]) indulgentia plenaria concessa etc. *(Clemens X. Brevi Unigeniti Dei Filii, ut supra.)*

25 Decembris. Festo Nativitatis D. N. Jesu Christi, indulgentia plenaria concessa etc. *(Benedictus XIV. in Brevi Commissae etc.)*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium iterum revisum et emendatum, necnon declarationibus locupletatum ex benigna concessione SSmi D. N. Pii PP. IX. in Audientia diei 18 Septembris 1862 uti authenticum recognovit, atque typis imprimi et publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 7 Martii 1863.

C. Card. Patrizi.
A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

---

[1]) Visitatio praescripta ad lucrandas indulgentias fieri potest a primis Vesperis usque ad solis occasum dierum, in quos incidunt praedicta festa S. Patritii Episcopi, B. Mariae Virginis de Bono Consilio, S. Monicae, Sancti Joannis a sancto Facundo, S. Augustini, S. Thomae a Villanova, S. Nicolai de Tolentino, et omnium Sanctorum Ordinis; quoad cetera autem festa in unoquoque tantum proprio die.

Cincturati non habentes commoditatem visitandi ecclesiam Ordinis aut altare Confraternitatis, quando id praescribitur ad lucrandas indulgentias, virtute Rescripti perpetui fel. rec. Pii VII. emanati sub die 3 Augusti 1819 per organum S. Congregationis Indulgentiarum, supplere possunt visitando propriam ecclesiam parochialem, et sic acquirunt easdem indulgentias, quas acquirerent, si tunc visitarent ecclesiam Ordinis etc.

41.

Summarium indulgentiarum concessarum universis et singulis confratribus et consororibus Congregationis SSmae Communionis generalis erectae in oratorio B. Mariae Virginis Pietatis et S. Francisci Xaverii Urbis, quarum nonnullae ex concessione Summorum Pontificum lucrari etiam possunt ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus.

I. *Indulgentiae plenariae perpetuae.*

1. Quo die in sodalitatem quispiam recipitur, si vere poenitens confessus fuerit, eodemque die SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserit vel in praefato oratorio vel in alia ecclesia, ubi poterit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequitur.

2. Item in articulo mortis, si saltem corde contrito SSmum Jesu nomen, corde, si ore nequiverit, devote invocaverit.

3. Item diebus festis Nativitatis et Ascensionis D. N. Jesu Christi, necnon Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis, et Nativitatis Beatae Mariae Virginis.

4. Pariter in festo Dedicationis S. Michaelis Archangeli, dummodo iidem sodales, ut supra dispositi, juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint.

5. Similiter semel in hebdomada iis diebus, in quibus juxta dictae Congregationis statuta ac regulas seu consuetudines ad eorum spiritualia exercitia peragenda sodalium conventus haberi solent, et vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti in quacumque ecclesia, supradictum oratorium visitaverint, et ut supra oraverint; et quoniam saepe contingit, ut pluries in eadem hebdomada sodales conveniant, dies pro indulgentia plenaria consequenda erit ad singulorum arbitrium: monentur tamen a moderatorum directione in his et in omnibus dependere.

6. Moderatores vero presbyteri, quoties Congregationis confratres seu consorores infirmitate detentos spiritualibus monitis sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini libenter acceptandam adjuverint, et coram aliqua Crucifixi Reparatoris nostri ima-

gine ter saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam juxta Pontificis et sanctae Matris Ecclesiae mentem ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem infirmi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam ipsis applicare possunt.

7. Indulgentiam plenariam semel in hebdomada concessam bis in anno lucrari possunt sodales, etiam si locum ipsum Sodalitii non visitaverint; dummodo aliud templum visitent, in quo SSmum Eucharistiae Sacramentum sumant, et generalis confessio, vel totius anteactae vitae, vel ab ultima generali praecedat.

II. *Indulgentiae perpetuae septem annorum totidemque quadragenarum.*

8. Qui corpora sodalium, vel aliorum Christifidelium ad ecclesiasticam sepulturam associaverint.

9. Qui per campanae signum de extremo alicujus fidelis agone aut transitu admoniti, Deum pro infirmi salute, aut ejus felici transitu, vel pro defuncti requie fuerint deprecati.

10. Qui coetibus tum publicis, tum privatis, vel divinis Officiis, vel spiritualibus colloquiis, et exhortationibus,

11. Aut piis Officiis, etiam in sodalium, vel aliorum Christifidelium defunctorum suffragium per ipsius Congregationis moderatorem ordinandis,

12. Qui Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint.

13. Qui conscientiam suam diligenter examinaverint vespere, antequam cubitum eant.

14. Qui pauperes infirmos tam sodales, quam alios in hospitalibus vel domibus privatis, et

15. Carcere detentos visitaverint.

Has omnes indulgentias consequi poterunt confratres et consorores ubivis locorum commorantes; dummodo tamen aliquam ecclesiam pro arbitrio visitent, et, prout poterunt, injuncta pia opera pro earumdem acquisitione fideliter adimpleant, excepta tamen indulgentia plenaria sub num. 4. posita.

III. *Indulgentiae perpetuae tercentum dierum.*

16. Si Missis, ac divinis Officiis, quae in oratorio solent celebrari, interfuerint, aut bis in mense Confessionem et Communionem sacramentalem peregerint.

17. Si pauperes hospitio susceperint.

18. Vel pacem inter inimicos aut dissidentes composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint.

19. Vel blasphemantes, aut in vanum SSmum Dei nomen accipientes, aut obscoena verba proferentes redarguerint, et devium aliquem in viam salutis reduxerint.

20. Si in iis locis adfuerint, in quibus de more, quod ad catholicam fidem pertinet, edocetur.

21. Si morti proximos ad felicem transitum pie ac christiane disposuerint, aut ignorantes Dei praecepta et ea, quae ad salutem sunt, docuerint.

22. Si abstinentiis et aliis rationabilibus afflictationibus suum corpus castigaverint.

IV. *Indulgentiae perpetuae biscentum dierum.*

23. Confratres et consorores ejusdem Congregationis biscentum dierum indulgentiam consequentur, si aliquem ad Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae fideliter suscipienda, vel ad verbum Dei audiendum induxerint.

24. Si processionibus de Superiorum licentia peragendis interfuerint.

25. Si SSmum Eucharistiae Sacramentum, cum ad infirmos vel alio defertur, orantes comitati fuerint.

26. Si Officium B. Mariae Virginis, vel ejusdem coronam, aut rosarium, vel pro conversione peccatorum coronam quinque Plagarum Jesu Christi, vel septem Psalmos Poenitentiales devote recitaverint.

27. Quotiescumque oratorium supradictum visitaverint, vel aliquod pietatis, vel devotionis, vel caritatis opus peregerint.

V. *Indulgentiae Stationum.*

28. Lucrari etiam possunt praedicti confratres et consorores omnes et singulas indulgentias Stationum, prout in decreto hujus Sacrae Congregationis 9 Julii 1777, diebus in Missali Romano descriptis; dummodo idem oratorium rite dispositi visitaverint.

Ministri et inservientes Congregationi et oratorio, licet eidem non adscripti, quo tempore suum servitium fideliter praestabunt, omnes supradictas indulgentias tum plenarias,

tum partiales jam concessas et imposterum concedendas lucrari possunt, dummodo supradicta opera injuncta fideliter adimpleant.

S. m. Benedictus XIV. in Brevi, quod incipit *Peculiaris Romanorum Pontificum* sub dat. 24 Aprilis 1748 alioque speciali Rescripto d. d. 18 Februarii 1754 benigne in perpetuum indulsit, ut omnes et singulae Missae, a quocumque sacerdote saeculari ad altare oratorii Congregationis pro anima cujuscumque confratris et consororis celebratae, animabus hujusmodi perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent. Insuper idem privilegium concessit pro Missis, quae a quocumque sacerdote ejusdem Congregationis confratre pro anima ipsorum confratrum in quacumque ecclesia celebrabuntur.

VI. *Indulgentiae plenariae perpetuae tam pro confratribus et consororibus, quam pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus.*

29. In Dominica infra octavam SSmi Corporis Christi, et in Dominica Passionis, dummodo vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti juxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, et devote visitaverint oratorium praefatum.

30. Eamdem indulgentiam in secunda Dominica mensis Maji consequentur, in qua festum celebratur SSmae Virginis Mariae Pietatis, et in Dominica infra octavam S. Francisci Xaverii; quae indulgentiae ex concessione Summorum Pontificum in suo robore permanent, etiam si ratione concursus vel rationabilis causae in alios dies et in aliam ecclesiam essent transferenda praedicta festa, dummodo id fiat de licentia Ordinarii.

Similiter plenariam indulgentiam lucrari possunt iis diebus, in quibus vere poenitentes et confessi sacram Communionem sumpserint in iis ecclesiis, in quibus de more semel in mense peragitur generalis Communio.

Omnes supradictae indulgentiae tam plenariae, quam partiales, vel confratribus et consororibus concessae, vel omnibus utriusque sexus Christifidelibus extensae animabus fidelium defunctorum per modum suffragii applicari possunt.

Supradictum Summarium munitum sigillo Sacrae Congregationis Indulgentiarum ac subscriptione R. P. D. Secretarii pro tempore, uti authenticum habeatur. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Julii 1794.

Th. de Marco, Secret.

42.

Indulgentiae, quas s. m. Pius PP. IX. concessit Confraternitati sub titulo Vinculorum S. Petri erectae et in Archiconfraternitatem institutae.

Pius Papa IX. ad perpetuam rei memoriam. Inter praeclara christianae religionis monumenta ac veluti trophaea, quae in hac Urbe reliquit B. Petrus Apostolorum Princeps, postquam ibi Cathedram pro se primo in terris Jesu Christi Vicario suisque successoribus divinitus constituit, ferreae catenae sunt recensendae, quibus idem Hierosolymis et Romae fuit constrictus. Siquidem magnus iis catenis vel ab Ecclesiae Romanae exordio a fidelibus honor fuit praestitus, qui major quoque evasit, cum in eadem Urbe nomine S. Petri ad Vincula ecclesia titulo Eudoxiae dedicata est in Exquiliis. Nec vero in sequenti obsequium erga ea sacra Vincula fuit diminutum, imo in pluribus fidelibus magis magisque postremis hisce annis fuit auctum, ut ii in Confraternitatem sub titulo Vinculorum S. Petri coire exoptaverint. Quae cum jam anno, ut Nobis relatum est, in dicta ecclesia canonice erecta fuerit, ab ejus sodalibus enixae humilesque preces Nobis admotae sunt, ut coelestium munerum thesauros de benignitate Apostolica reserare dignaremur. Nos, quo hujusmodi Confraternitas majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; — ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Confraternitate confratribus et consororibus in cujuslibet eorum

mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint, etiam plenariam; — necnon iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui praefatam ecclesiam Sancti Petri ad Vincula die vigesimo nono mensis Junii, qui dies festus est S. Petri Apostolorum Principis, et die festo Cathedrae, qua primum idem Romae sedit, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi; necnon die festo principali dictae Confraternitatis per eosdem confratres semel tantum eligendo, et a dilecto Filio Nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus Generali approbando, vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus cujusque confratris arbitrio sibi eligendo singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — Insuper dictis confratribus et consororibus, saltem corde contritis, memoratam ecclesiam in quatuor annis feriatis vel non feriatis seu Dominicis diebus per memoratos confratres semel tantum etiam eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint, septem annos et totidem quadragenas; — quoties vero Missis, et aliis divinis Officiis in ecclesia hujusmodi pro tempore celebrandis et recitandis interfuerint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias quocumque et quandocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint, vel, si impediti, campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum hujusmodi recitaverint, aut aliud pietatis et caritatis

opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis seu aliis quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. Cum vero omnium sodalium e dicta Confraternitate spirituali bono ac consolationi, quantum in Domino possumus, consulere velimus, eis ex confratribus et consororibus eidem Confraternitati jam descriptis vel pro tempore describendis, qui extra Urbem degentes praefatam ecclesiam pro indulgentiis consequendis adire nequeant, ut in loco, ubi morantur, aliquam ecclesiam, seu oratorium publicum sub titulo Sancti Petri Apostoli, si adsit, secus respectivam ecclesiam parochialem visitantes, omnes et singulas indulgentias supra memoratas libere ac licite consequi possint et valeant, dummodo cetera pietatis opera, quae injuncta sint, praestiterint, concedimus et impertimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua indulgentia similis perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata sit, prout per praesentes Apostolica auctoritate revocamus: atque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam sit vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae Litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso pariter nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 14 Aprilis 1866 Pontificatus Nostri anno vigesimo.[1])

N. Card. **Paracciani Clarelli.**

[1]) Alio Brevi diei 18 Junii 1867 s. m. Pius PP. IX. „Confraternitatem praefatam in Archiconfraternitatem cum omnibus et singulis privilegiis et indultis solitis et consuetis in perpetuum“ erexit et instituit. Archiconfraternitatis vero sic erectae moderatoribus et confratribus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque

43.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum, quibus gaudet Congregatio erecta in Lyceo Pontificio seminarii Romani sub titulo immaculatae Conceptionis B. M. V.

Indulgentiae plenariae. [1]) * In die, qua aliquis adscribitur Congregationi. * In articulo mortis, recipiendo SS. Sacramenta, aut si ea recipere non possit, saltem cum contritione invocando ss. nomen Jesu lingua; si lingua non possit, tunc corde. Diebus Circumcisionis; Epiphaniae; * Ascensionis; * Nativitatis Domini; Feria V Coenae Domini; Paschae Resurrectionis; Pentecostes; Purificationis; * Annuntiationis; *Assumptionis; *Nativitatis; *Immaculatae Conceptionis B. M. V.; Mortis B. Hippolyti Galantini (20 Martii); Indulgentiae Assisiensis (2 Augusti). In festis B. Hippolyti Galantini (celebratur Dominica in Albis); SS. Apostolorum Petri et Pauli; S. Francisci Assisiensis; S. Caroli; Translationis sanctae Domus (10 Decembris); S. Luciae; Dominica tertia post Pascha, festo Patrocinii S. Joseph; * secunda Julii, S. Aloysii Gonzagae; tertia Julii, S. Fascinae V. et M.; infra octavam Corporis Christi, SS. Cordis Jesu; infra octavam S. Francisci Assisiensis, SS. Rosarii; infra octavam S. Stanislai Kostka, ejusdem Sancti; diebus prima et ultima novenae sacri Natalis.

* Poterit insuper quilibet congreganista lucrari indulgentiam plenariam semel in hebdomada, die, qua habebitur congregatio, dummodo confessus et sacra Communione refectus eidem interfuerit, ibique devote Deum oret pro pace et concordia inter principes christianos, pro exstirpatione haeresum, et pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae.

* Eamdem indulgentiam bis in anno quilibet lucrari poterit visitando aliquam ecclesiam ad arbitrium, ibi communicando, Communioni tamen praemittendo Confessionem ge-

---

Confraternitates ejusdem tituli et instituti extra hanc Almam Urbem ubicumque locorum existentes eidem Archiconfraternitati, servata tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII. desuper editae aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias tum plenarias, tum partiales, aliasque communicabiles gratias communicare possint, auctoritate Apostolica concessit et indulsit.

[1]) NB. Omnes indulgentiae signatae * per modum suffragii applicari possunt animabus fidelium defunctorum.

neralem, aut a tempore ultimae generalis, deinde orando, ut supra.

Indulgentiae partiales 30 annorum et 30 quadragenarum. [1]) In Dominica Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, in die Parasceve, Sabbato sancto, quolibet die a feria secunda Paschae usque ad Dominicam in Albis inclusive; a feria secunda Pentecostes usque ad totum sabbatum octavae; qualibet die Rogationum; in festo S. Marci; S. Stephani Protomartyris; S. Joannis Evangelistae; SS. Innocentium.

25 annorum et 25 quadragenarum. In Dominica Palmarum.

15 annorum et 15 quadragenarum. In die Cinerum; Dominica quarta Quadragesimae; Dominica tertia Adventus; in vigilia sacri Natalis; in nocte, et in Missa aurorae ejusdem festivitatis.

10 annorum et 10 quadragenarum. Quolibet die Quatuor Temporum, Quadragesimae, tribus primis Dominicis et Dominica Passionis inclusive; prima, secunda et quarta Dominica Adventus; in vigilia Pentecostes.

7 annorum et 7 quadragenarum. In festis Visitationis; Praesentationis B. M. V.; S. Josephi; S. Joannis Baptistae; S. Annae; S. Joachim; Dominica tertia Octobris; in festo Omnium Sanctorum; qualibet die novenae sacri Natalis, exceptis prima et ultima die, ut supra; ultima die anni.

7 annorum. * Quotiescumque fit aliquod ex sequentibus operibus pietatis: Ferialibus diebus devote audire Missam; vespere ante cubitum diligenter examinare conscientiam; visitare pauperes infirmos in nosocomiis aut in domibus privatis; visitare carceratos; se interponere ad reconciliandos inimicos; ad sonum campanae annuntiantis alicujus agoniam

[1]) Quoad indulgentias partiales non signatas * valet sequens Rescriptum: Ex Audientia SSmi. SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. firmis remanentibus conditionibus praescriptis pro plenariis indulgentiis acquirendis, clementer indulsit, ut sodales, de quibus in precibus, partiales indulgentias, persolutis ceteris injunctis operibus, corde tantum contrito lucrari possint et valeant. Servato in reliquis, etiam quoad tempus, tenore primae concessionis. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 3 Decembris 1845.

Gabriel Card. Ferretti, Praef.

Jacobus Gallo, Secret.

aut mortem Deum orare pro salute infirmi, aut pro felici ejus transitu, aut pro requie defuncti; comitari corpora congreganistarum aliorumve fidelium defunctorum ad sepulturam; interesse cuicumque pio exercitio, quod privatim vel publice peragitur in Congregatione. [1])

In hac categoria pro dicto ultimo articulo comprehenditur quilibet dies novenae Pentecostes, tridui pro festo S. Aloysii Gonzagae, et vigilia immaculatae Conceptionis B. M. V.

* Congreganistae poterunt lucrari indulgentias stationales (quae recurrunt per annum) proprias ecclesiarum Romae intra et extra muros, devote visitando diebus Stationum capellam Congregationis, aut si sint absentes, capellam aut ecclesiam loci, ubi sunt, ibique recitando septem *Pater* et septem *Ave*.

Privilegia. I. Altare Congregationis est privilegiatum in perpetuum pro anima cujusque congreganistae defuncti; sacerdotes Congregationi adscripti gaudent personaliter eodem privilegio in favorem congreganistarum defunctorum tantum;

II. Diebus vero immaculatae Conceptionis B. M. V. et in Dominica secunda et tertia Julii pro anima cujuscumque fidelis.

III. Duo festa immaculatae Conceptionis B. M. V. et S. Aloysii Gonzagae cum licentia Ordinarii poterunt transferri ad aliam diem etiam Dominicam, et in die translationis conceduntur eaedem indulgentiae. Si haec translatio incidat in diem ritus duplicis, poterit celebrari una sola Missa votiva, quae erit solemnis, de festo.

IV. Quilibet ex sacerdotibus directoribus ejusdem Congregationis, quotiescumque visitabit congreganistas infirmos, eosque juvabit opportunis monitis spiritualibus ad patienter ferendas infirmitates, aut accipiendam cum resignatione mortem de manu Domini, et faciet, ut ante aliquam imaginem Crucifixi recitetur ab ipsis (infirmis) saltem ter *Pater noster* et *Ave Maria* juxta intentionem Summi Pontificis et

[1]) Quotiescumque congreganista in quocumque loco et tempore facturus est aliquod opus pium, lucrabitur indulgentiam 60 dierum, ad quam lucrandam sufficiet status gratiae, dirigendo dictum pium opus ad gloriam Dei juxta intentionem Summorum Pontificum.

sanctae Matris Ecclesiae. illa die. qua iidem infirmi accipient SS. Eucharistiam. poterit ipsis applicare * indulgentiam plenariam.

Monita. 1°. Quamvis ad lucrandas sacras indulgentias necesse sit Deum vocaliter orare secundum intentionem Summi Pontificis. nihilominus in duobus tantum festis nostrorum Patronorum (SS. Conceptionis B. M. V. et S. Aloysii Gonzagae. Dominica secunda Julii) sufficit Deum orare. prout unicuique suggeret propria sua devotio.

2°. Indulgentias concessas pro supradictis duobus festis possunt lucrari omnes fideles. qui dictis diebus visitabunt capellam Congregationis.

3°. Omnes indulgentias. pro quibus lucrandis requiritur actualis Confessio. possunt lucrari etiam illi. qui solent confiteri saltem singulis hebdomadibus. quamvis quandoque hoc facere non possint obstante legitimo impedimento.

4°. Ad lucrandas indulgentias plenarias supra indicatas semper necessaria est Communio. praeter Confessionem. ut no. 3.

5°. Insuper ad lucrandas omnes indulgentias semper necessarius est status gratiae. saltem dum completur opus injunctum. praeter adimpletionem omnium eorum. quae praescribuntur.

6°. Confessio et sacra Communio possunt fieri etiam in vigilia diei pro indulgentia assignati.

7°. Indulgentiae incipiunt a primis Vesperis diei praecedentis. et durant usque ad occasum solis diei pro indulgentia assignati, id est usque ad horam 24am.[1])

8°. Visitationes praescriptae possunt fieri per totum tempus ut no. 7.

9°. Oratio. quae ad lucrandas indulgentias debet esse vocalis, potest etiam alternatim recitari.

10°. Congreganistae. ubicumque morantur. possunt lucrari indulgentias plenarias signo * notatas. adimplendo opera injuncta in ecclesia loci. ubi reperiuntur. aut alibi. prout poterunt.

[1]) Antiquo Italiae more hora 24 audiitur dimidia hora post solis occasum.

11°. Ad lucrandas alias indulgentias non signatas * necesse est, ut congreganista visitet capellam Congregationis aut ecclesiam parochiae, in qua domicilium habet, cum possit ubicumque obligationi confitendi et communicandi annexae satisfacere, dummodo observet, quidquid praeterea notatum est. Si propter legitimum impedimentum congreganista non posset instituere hanc visitationem, poterit supplere per opera pia ad beneplacitum, adimplendo tamen semper alia opera injuncta. Si tandem propter infirmitatem neque posset visitare capellam Congregationis, neque ecclesiam parochialem, neque sumere diebus assignatis pro indulgentiis sacram Eucharistiam, poterit supplere, si sit in statu gratiae, per alia exercitia a confessario praescripta, et communicando, quando sacra Eucharistia secundum consuetudinem parochi defertur ad infirmos.

12°. Indulgentiae hoc signo * notatae pro festis Nativitatis et Ascensionis D. N. J. Ch., Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, Conceptionis B. M. V. et S. Aloysii Gonzagae (pro quibus necessaria foret Communio in Congregatione facienda) possunt etiam acquiri referendo eas ad num. 11.

Die 26 Julii 1845. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium cum suis originalibus eidem Sacrae Congregationi exhibitis collatum uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse censuit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretaria.

Aloysius Archipr. Prinzivalli, Substit.

44.

Summarium indulgentiarum perpetuarum a Summis Pontificibus concessarum insigni Congregationi dictae dei Virtuosi *sub invocatione S. Joseph de Terra Sancta existenti in antiqua ecclesia S. Mariae ad Martyres, vulgo* della Rotonda, *quarum aliquae etiam acquiri possunt ab omnibus Christifidelibus, quaeque fuerunt confirmatae et amplificatae a SSmo D. N. Pio PP. VII.*

Urbis. Inscrutabilis aeterni Dei altitudo nulla comprehensa limitibus, nullis circumscripta terminis, sed ineffabilis

et immensa, sic per Eos, qui hactenus in Sede B. Petri Romanae Ecclesiae gubernacula tenuerunt, populum christianum spiritualibus alimentis nutriri voluit, ut per ejus dona gratiae, intercedente praesertim B. Patriarcha Josepho, Christifideles universi, qui erga eumdem Beatum peculiarem gerunt devotionis affectum, fide et caritate muniti coelestis regni praemia consequi mereantur. Hinc cum in ecclesia S. Mariae ad Martyres de Urbe in cappella et ad altare S. Josephi de Terra Sancta nuncupati una Christifidelium utriusque sexus Deo et ipsi S. Josepho devotorum praecipue operariorum architecturae, picturae, sculpturae aliarumque diversarum artium Congregatio sub invocatione ejusdem Sancti canonice instituta reperiatur, eidem quamplures indulgentias Summi Pontifices fel. rec. Paulus III., Gregorius XIII. et Alexander VIII. sunt elargiti. Ut autem eo libentius confratres et alii Christifideles ad devotionem erga B. Josephum magis excitentur, necnon dictam Congregationem ingrediantur, quo exinde dono coelestis gratiae conspexerint se uberius esse refectos, hisce rationibus permotus SSmus D. N. Pius PP. VII. humillimis precibus hodierni regentis ac adjunctorum enuntiatae Congregationis sibi porrectis annuens, perpetuis futuris temporibus non solum omnes et singulas indulgentias ac peccatorum relaxationes a Suis Praedecessoribus, ut supra, concessas et in sequenti Summario recensitas confirmavit, et, quatenus opus sit, de novo impertitus est; verum etiam indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in septem feriis quartis ante festum B. Josephi, die 19 Martii celebrari solitum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in praedictis feriis quartis dictam capellam in honorem S. Josephi dicatam devote visitaverint, et vere poenitentes confessi, ac sacra Communione refecti fuerint, et inibi pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, semel in qualibet ex dictis feriis lucrandam clementer elargitus est. Et tandem indulgentiam plenariam in festo Patrocinii S. Joseph, in Dominica videlicet tertia post Pascha celebrando, incipiendo a primis Vesperis usque ad occasum solis praedicti diei, et ab omnibus pariter Christifidelibus supradictam capellam visitantibus,

ut supra, dispositis et orantibus lucrifaciendam peramanter concessit. Quam indulgentiam plenariam, ut et illas partiales in feriis quartis supradictis elargitas, voluit Sanctitas Sua in perpetuum etiam valituras absque ulla Brevis expeditione, et ut animabus similiter Christifidelium in purgatorio detentis ad modum suffragii applicari possint et valeant. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 29 Septembris 1818.

G. Card. ab Auria **Pamphili**, Praef.
Pro R. P. D. Angelo **Costaguti**, Secret.
Petrus Canonicus **Torraca**, Substit.

1°. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere contritis, confessis et sacra Communione refectis in die, qua ingredientur dictam Congregationem, indulgentia plenaria. (Gregorius PP. XIII. in Bulla *Aeterni Dei* 7 Martii 1580.)

2°. Indulgentia plenaria et remissio omnium peccatorum fratribus et sororibus dictae venerabilis Congregationis (sicut etiam omnibus utriusque sexus Christifidelibus), si vere contriti, confessi, et sacra Communione refecti devote visitaverint capellam S. Josephi de Terra Sancta dicti in ecclesia S. Mariae ad Martyres in die festo S. Patriarchae 19 Martii celebrari solito a primis Vesperis usque ad totum diem festi, et oraverint pro dilatatione sanctae fidei catholicae. (Gregorius XIII. supra citatus.) Et indulgentia centum annorum omnibus fratribus et sororibus (sicut omnibus Christifidelibus), si vere contriti et confessi aut cum firmo confitendi proposito visitaverint capellam supradictam S. Josephi in die ejus festi, Deumque oraverint, ut supra. (Paulus PP. III. in Bulla 5 Octobris 1542 confirmata per aliam Bullam Alexandri VIII. de die 16 Octobris 1689, quae incipit *Rationi congruit.)*

3°. Pariter indulgentia plenaria iisdem fratribus et sororibus Congregationis, si in duabus festivitatibus Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. vere contriti, confessi et sacra Communione refecti visitaverint ecclesiam S. Mariae ad Martyres, capellam S. Josephi, Deumque orabunt juxta intentionem Summi Pontificis. (Gregorius XIII. supra citatus.)

4°. Iisdem fratribus et sororibus indulgentia plenaria in articulo mortis, si vere contriti et confessi in extremis vitae momentis ter devote invocaverint corde aut ore sanctissimum nomen Jesu. (Gregorius XIII. supra citatus.)

5°. Et insuper dictis fratribus et sororibus indulgentia 60 dierum, quotiescumque devote intererunt Missis, quae celebrantur in sua capella S. Josephi, aut comitabuntur ad sepulchrum cadaver alicujus sui fratris aut sororis, aut cujuscumque alterius Christifidelis, aut intererunt anniversario fieri solito pro fratribus et sororibus Congregationis, aut se exercebunt in operibus misericordiae visitando infirmos et carceratos, etc., aut quodcumque aliud opus pium exequentur. (Gregorius XIII. supra citatus.)

6°. Ad augendam semper magis devotionem erga Patriarcham S. Josephum, et ut quilibet christianus magis semper excitetur ad venerandas sacras Reliquias Terrae Sanctae collocatas in altari dictae capellae, Paulus PP. III. fel. rec. per Bullam diei 5 Octobris 1542 concessit, ut non solum fratres et sorores Congregationis, sed etiam omnes utriusque sexus Christifideles possint lucrari omnes indulgentias jam concessas devote visitantibus sacrum Sepulchrum D. N. J. Ch., montem Sinaï et alia loca Terrae Sanctae, quotiescumque cum dispositionibus requisitis (specialiter Confessionis et Communionis pro consecutione indulgentiarum plenariarum) visitabunt nominatam capellam S. Josephi: quae concessio confirmata fuit a fel. rec. Alexandro VIII., ut constat ex supradicta Bulla *Rationi congruit* diei 16 Octobris 1689.

7°. Omnes supradictas indulgentias in perpetuum concessas tam fratribus et sororibus Congregationis, quam omnibus utriusque sexus Christifidelibus confirmans fel. rec. Alexander VIII. declaravit, easdem etiam posse per modum suffragii applicari animabus sanctis purgatorii, ut patet ex alia Bulla 15 Martii 1689, quae incipit *Superni dispositione consilii.*

8°. Tandem cum ad petitionem recentium moderatorum et adjunctorum Congregationis a Sacra Congregatione Indulgentiarum die 17 Septembris 1818 recognitae et ap-

probatae fuissent omnes et singulae indulgentiae in praesenti Summario expressae, SSmus D. N. Pius PP. VII. eas denuo confirmans concessit insuper in perpetuum indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum in singulis ex septem feriis quartis ante festum S. Josephi (quod solet celebrari die 19 Martii) omnibus Christifidelibus, qui confessi et sacra Communione refecti, in dictis feriis quartis visitabunt memoratam capellam S. Josephi; et indulgentiam plenariam in festo Patrocinii sancti Patriarchae, quod celebratur Dominica tertia post Pascha, dummodo vere contriti, confessi et sacra Communione refecti visitent in ista Dominica dictam capellam, et orent secundum intentionem Summi Pontificis: quae indulgentiae possunt etiam applicari per modum suffragii animabus sanctis purgatorii, ut patet ex decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum de die 29 Septembris 1818.

Sacra Congregatio Indulgentiarum praesens Summarium indulgentiarum jam recognitum et approbatum a seipsa, et a SSmo D. N. Pio PP. VII. confirmatum et auctum, uti authenticum typis imprimi posse et publicari censuit. Datum Romae ex ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretaria die 30 Septembris 1818.

Pro R. P. D. Angelo **Costaguti**, Secret.
Petrus Canonicus **Torraca**, Substit.

45.

Summarium indulgentiarum aliorumque bonorum spiritualium Congregationis Devotorum et Devotarum S. Annae, renovatae in ecclesia S. Laurentii „in Borgo“ PP. Clericorum Regularium Piarum Scholarum.

1°. Quicumque adscribetur dictae Congregationi, in die ejusmodi adscriptionis poterit lucrari indulgentiam plenariam, si vere contritus, confessus et sacra Communione refectus visitet ecclesiam, ubi erecta est Congregatio, ibique oret juxta mentem Summi Pontificis.

2°. Indulgentia plenaria sub conditionibus praedictis in festo S. Annae.

3°. Plenaria in articulo mortis, dummodo debite dispositi invocent saltem corde, si lingua non possint, sanctissimum nomen Jesu.

4°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, si dispositi, ut supra, visitent eamdem ecclesiam Dominica tertia post Pentecosten, prima Dominica Julii, prima Dominica Septembris, et tandem tertia Dominica Novembris.

5°. Tandem indulgentia sexaginta dierum pro quocumque opere pio, quod corde contrito exercebunt fratres et sorores in quocumque loco et quocumque die vitae suae.

6°. Quilibet frater et soror hujus Congregationis post mortem gaudebit suffragiis viginti Missarum, quae celebrabuntur et applicabuntur singulis annis pro animabus eorum ad altare consecratum a s. m. Benedicto XIII. in honorem Beatissimae Virginis et SS. Joachim et Annae, quod Benedictus XIV. in perpetuum quotidie privilegiatum declaravit per Breve *Omnium saluti* expeditum 23 Decembris 1743.

7°. Applicabuntur pariter decem Missae semel tantum in supradicto altari privilegiato pro anima cujusque fratris aut sororis, qui vel quae contribuerit eleemosynam praescriptam per totum tempus vitae suae, reddendo praesentem pagellam P. Praefecto Congregationis.

8°. Quilibet frater et soror hujus Congregationis tam in vita, quam in morte particeps erit omnium bonorum spiritualium, quae fiunt in toto Ordine Scholarum Piarum, per modum affiliationis jam concessae sororibus a Reverendissimo P. Gregorio Torno a S. Teresia, Praeposito Generali ejusdem Ordinis, ut constat ex litteris patentibus expeditis 25 Julii 1720, confirmatis et etiam ad fratres extensis a Reverendissimo P. Joanne Inghirami a S. Nicolao, nunc Vicario Generali ejusdem Ordinis, per alias litteras patentes datas 4 Junii 1846.

9°. Pro omnibus fidelibus, quamvis non adscriptis, Benedictus XIII. fel. rec. concessit indulgentiam plenariam quotidianam lucrandam semel in anno a quocumque, qui quolibet anni die ad arbitrium suum cum supradictis dispo-

sitionibus visitaverit altare a Se consecratum, et indulgentiam 50 annorum et totidem quadragenarum visitantibus illud in die anniversario consecrationis, qui est dies 17 Februarii, quae indulgentiae etiam applicari possunt animabus sanctis purgatorii.

10°. Tandem Summus Pontifex Gregorius XVI. fel. re. omnibus fratribus et sororibus Congregationis addidit indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum pro singulis diebus, quibus intererunt novenae in praeparationem pro festo S. Annae, et plenariam cum supradictis conditionibus, dummodo interfuerint saltem quinquies sumendo sacram Communionem sive in decursu ejusdem novenae aut in festo Sanctae; sicuti pariter indulgentiam plenariam ut supra dispositis, si intersint anniversario, quod cum Missa solemni celebrabitur pro omnibus defunctis fratribus et sororibus Congregationis aliquo die infra octavam Defunctorum.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium quoad indulgentias et privilegia cum originalibus in Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis exhibitis collatum uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex eadem Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Julii 1846.

A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

46.

Summarium indulgentiarum a Summis Pontificibus tam Congregationi primae primariae sub Titulo „Annuntiationis Beatae Mariae Virginis“ in Collegio Romano Societatis Jesu erectae, quam ceteris Congregationibus eodem modo erectis vel erigendis concessarum, dummodo praenuntiatae Congregationi primae primariae canonice sint aggregatae.

I. *Indulgentiae plenariae pro omnibus utriusque sexus fidelibus.*

1. Quicumque sodales aut, qui sunt extra Sodalitatem, Christifideles utriusque sexus vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti ecclesiam seu capellam vel oratorium in die festivitatis seu Tituli Sodalitatis ejusdem a

primis Vesperis usque ad occasum solis pie visitaverint, et ibidem pro reipublicae christianae conservatione et augmento, pro haeresum exstirpatione, principum christianorum mutua et universali pace, ac Romani Pontificis prosperitate oraverint, vel alias preces pro sua quisque devotione ad Deum effuderint, indulgentiam plenariam consequuntur.

2. Si Sodalitium alium Titulum seu alium Patronum habuerit praeter Beatissimam Virginem, eo die, quo ejusdem festum celebrabitur, eodem modo indulgentia plenaria concessa est. Si talis Titulus non adsit, cujuslibet Congregationis moderator potest singulis annis de licentia Ordinarii eligere, quem voluerit.

3. Pariter de licentia Ordinarii utraque festivitas ad alium diem infra annum, etiam ad diem Dominicum transferri possit, et tunc praedictae indulgentiae eo die, quo celebratur festum, concessae sint, etiamsi incidisset eo die festum duplex, quo casu una Missa votiva solemnis de hujusmodi festo translato celebrari poterit.

II. *Indulgentiae plenariae pro solis sodalibus, seu Sodalitiorum ministris, seu ipsis inservientibus.*

4. Quo die in Sodalitatem quispiam recipitur, si vere poenitens et confessus fuerit, eodemque die SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserit in ecclesia, ubi praedicta Sodalitas fuerit, vel ubi poterit, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem consequitur.

5. Idem in articulo mortis.

6. Idem sodales, qui festis diebus Nativitatis et Ascensionis D. N. Jesu Christi, Annuntiationis, Assumptionis, Conceptionis, et Nativitatis Beatae Mariae Virginis vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum ibidem sumpserint.

7. Necnon semel in hebdomada in iis diebus, in quibus juxta dictae primae primariae seu aliarum alibi erectarum sive erigendarum Congregationum ac Sodalitatum statuta ac regulas seu consuetudines sodalium conventus haberi solent, et vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti ecclesiam seu capellam, oratorium seu locum uniuscujusque Congregationis ac Sodalitatis visitaverint, et ibi

pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, et sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Quoties tamen in eadem hebdomada bis aut ter conveniunt sodales, dies pro indulgentia plenaria consequenda erit ad singulorum arbitrium: monentur tamen sodales a moderatorum directione in his et in omnibus dependere.

8. In Sodalitiis, in quibus sodales vespere, noctu, seu alia quacumque hora post meridiem convenire solent, dies pro indulgentia plenaria consequenda vel eadem, vel subsequens esse potest, ad eorum arbitrium.

9. Moderatores ejusdem Sodalitatis presbyteri, dummodo semel saltem pro semper ab Ordinario licentiam obtinuerint, quoties Congregationum sodales aut ministros infirmos visitaverint, eosque spiritualibus monitis sive ad morborum incommoda patienter toleranda, sive ad mortem de manu Domini libenter acceptandam adjuverint, et coram aliqua crucifixi Salvatoris nostri imagine ter saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam juxta Pontificis et sanctae Matris Ecclesiae mentem ab ipsis recitari curaverint, quo die iidem infirmi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, indulgentiam plenariam ipsis applicare possunt.

10. Indulgentiam plenariam semel in hebdomada concessam bis in anno lucrari possunt sodales, etiamsi locum ipsum Sodalitii non visitaverint, dummodo aliam ecclesiam visitent, in qua SSmum Eucharistiae Sacramentum sumant, et generalis Confessio vel totius anteactae vitae, vel ab ultima generali praecedat.

11. Hac occasione generalis Confessionis usus maximopere laudatur, uti etiam praecipue a Summis Pontificibus specialis erga Beatissimam Virginem Mariam devotio commendatur. Sodalibus insuper injungitur, ut peculiarium moderatorum mandatis consiliisque alacri et prompta voluntate obtemperare nunquam recusent.

III. *Indulgentiae septem annorum, quas iidem consequuntur toties quoties.*

12. Qui corpora sodalium vel aliorum Christifidelium ad ecclesiasticam sepulturam prosequuti fuerint.

13. Qui per campanae signum de extremo alicujus fidelis agone aut transitu admoniti, Deum pro infirmi salute aut ejus felici transitu, vel pro defuncti requie fuerint deprecati.

14. Qui coetibus tam publicis, quam privatis, vel divinis Officiis, vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus;

15. Aut piis Officiis etiam in sodalium vel aliorum Christifidelium defunctorum suffragium per ipsam Congregationem et de moderatorum consensu approbandis;

16. Qui Missae sacrificio diebus feriatis interfuerint.

17. Qui conscientiam suam diligenter examinaverint vespere, antequam cubitum eant.

18. Qui pauperes infirmos tam sodales, quam alios in hospitalibus vel domibus privatis;

19. Qui carcere detentos visitaverint.

20. Qui pacem inter inimicos conciliaverint.

IV. *Declaratio et aliae indulgentiae.*

21. Has omnes indulgentias consequi poterunt sodales ubivis locorum commorantes, si apud ecclesiam eorumdem locorum, aut alibi, ut potuerint, opera praestabunt, quae sunt servanda ad hujusmodi indulgentias consequendas.

22. Sodales consequuntur omnes indulgentias Stationum ecclesiarum Urbis sive intra, sive extra muros illius, si diebus Quadragesimae et aliis anni temporibus ac diebus Stationum hujusmodi ecclesiam seu capellam vel oratorium proprium, si ibi fuerit, alioquin aliam ecclesiam seu capellam in locis, ubi eos pro tempore esse contigerit, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam, et septies Salutationem Angelicam recitaverint.

V. *Indulgentiae pro defunctis.*

23. Omnes supradictae indulgentiae applicari possunt in suffragium animarum fidelium defunctorum.

24. Altare cujusvis Congregationis aut Sodalitii ejusmodi est privilegiatum, cum extensione ad omnes sacerdotes, pro anima quorumlibet ipsorum sodalium tantum.

25. Ipsi vero sacerdotes possunt pro anima suorum pariter sodalium celebrare Missam cum eodem privilegio ad quodlibet altare cujuscumque ecclesiae.

VI. *Alia privilegia et concessiones.*

26. Omnibus et singulis regibus, principibus, ducibus et comitibus supremam potestatem habentibus, eorumque consanguineis et affinibus primi et secundi gradus dumtaxat, qui Congregationibus ubique locorum erectis et erigendis, vel primae primariae hujusmodi adscribi petierint, etsi absentibus, eadem tamen pietatis opera, ut praemittitur, exercentibus, et aliquam ad eorumdem commodum et placitum ecclesiam visitantibus, easdem, ut supra, indulgentias, remissiones et relaxationes, ut consequi possint et valeant, itidem conceditur et impertitur.

27. Insuper, ut omnes et singuli Christifideles, qui expositioni SSmi Eucharistiae Sacramenti in oratoriis supradictarum Congregationum primae primariae vel eidem aggregatarum, seu pro tempore aggregandarum spatio continui tridui, ex licentia tamen Ordinarii peragendi, per aliquod temporis spatium interfuerint, ibique oraverint, ac cetera injuncta opera praestiterint, indulgentias, peccatorum remissiones poenarumque relaxationes, quas consequerentur, si ecclesias, in quibus expositio SSmi Eucharistiae Sacramenti per quadraginta continuas horas fieri solet, visitarent, consequi possint et valeant.

28. Deinde cum saepe contingat, ut exercitia spiritualia, quae per octo dies fieri solent, rationalibus de causis in quibusdam locis, attenta personarum, locorum et temporum conditione, per integros octo dies peragi nequeant, sed ad quinque aliquando vel sex vel septem dies dumtaxat producantur: hinc indulgentias concessas iis, qui per octiduum tantum illa frequentarent, ab iis etiam, qui vel septem vel sex vel quinque saltem continuos dies peregerint, lucrari posse conceditur.

Die 6 Martii 1776. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita supraenuntiatum Summarium typis Rev. Cam. Apost. imprimi posse censuit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum.

Julius Caesar de Somalia, Sac. Cong. Indulg. Secret.

47.

Summarium indulgentiarum Archisodalitati in adorationem Spiritus Sancti concessarum.

Leo PP. XIII. ad perpetuam rei memoriam. Non sine animi Nostri consolatione renuntiatum est Nobis, Viennae in Austria penes ecclesiam presbyterorum Congregationis Missionis S. Vincentii a Paulo canonice institutam esse Sodalitatem, cujus praecipuum est assiduis supplicationibus divinum exorare Spiritum, ut volens propitius dignos mittat operarios in messem suam atque in tanta errorum caligine illuminet eos, qui in umbra mortis sedent, eorumque pedes dirigat in viam pacis. Huic Sodalitati quam plurimi ex universo Austro-Hungarico Imperio nomen dare exoptant, ideoque a dilecto filio Martino Derler praefecto domus Viennensis Congregationis Missionis supplicatur Nobis, ut eamdem Sodalitatem spiritualibus ditare gratiis, et Archisodalitatis nomine ac privilegiis augere velimus. Itaque Nos, quo pia Unio precum in adorationem Sancti Spiritus, uti supra memoravimus, canonice instituta latius in dies propagetur et uberes lectosque fructus producat, libenti animo hujusmodi precibus annuendum censuimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam piam precum Unionem seu Sodalitatem sub invocatione Spiritus Sancti Viennae in Austria penes ecclesiam presbyterorum Missionis S. Vincentii a Paulo canonice institutam ingredientur, die primo eorum ingressus seu adscriptionis, si vere poenitentes et confessi SSmam Eucharistiam sumpserint, plenariam, ac tam descriptis, quam pro tempore in posterum describendis in praefata Unione seu Sodalitate confratribus et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam, necnon iisdem omnibus nunc et pro tempore dictae Sodalitatis existentibus confratribus et consororibus etiam vere poeni-

tentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui istius piae Unionis seu Sodalitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium, aut propriam cujusque sodalis parochialem ecclesiam in festo Pentecostes, itemque in festivitate Beatissimae Dei Genitricis Virginis Mariae ab Angelo Salutatae, vel uno ex septem diebus continuis immediate respective subsequentibus cujusque confratrum et consororum arbitrio sibi eligendo singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea omnibus ac singulis memoratae Unionis seu Sodalitatis utriusque sexus sodalibus, qui consuetis piae hujusce Unionis conventibus interfuerint ac preces ex instituto recitaverint, et qui corde contrito dictae Unionis seu Sodalitatis ecclesiam vel capellam aut oratorium, sive propriam cujusque sodalis parochialem ecclesiam uno ex septem diebus continuis festivitatem Pentecostes immediate sequentibus visitaverint ibique, ut supra, oraverint, quo die praefatorum id egerint, septem annos de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Cunctis pariter ac singulis utriusque sexus dictae Unionis sodalibus, quoties hi Missis et aliis divinis Officiis in ecclesia seu capella vel oratorio hujusmodi vel propria cujusque sodalis parochiali ecclesia pro tempore celebrandis aut recitandis interfuerint, aut quascumque processiones de licentia Ordinarii faciendas Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos aut alias quocumque et quandocumque pro tempore deferetur, comitati fuerint vel, si impediti, campanae ad id signo dato semel Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum et consororum hujusmodi recitaverint, vel quodlibet aliud pietatis aut caritatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio centum dies de injunctis eis seu alias quo-

modolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes tenore praesentium perpetuis futuris temporibus a Nobis concessas etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse in Domino indulgemus.

Volumus autem, ut si alias dictis confratribus et consororibus praemissa peragentibus aliqua alia indulgentia similis perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata sit, prout per praesentes Apostolica auctoritate revocamus: utque si dicta Sodalitas alicui Archisodalitati aggregata jam sit vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores et quaevis aliae litterae illi nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Incremento autem supra dictae piae Unionis benigne consulere, omnesque et singulos, quibus hae litterae Nostrae favent, peculiari benevolentia prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo vel causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supradictam piam Unionem seu Sodalitatem canonice, ut supra, erectam in Archisodalitatem cum omnibus juribus, honoribus et praeeminentiis solitis Apostolica auctoritate sine cujusquam praejudicio perpetuum in modum evehimus atque instituimus. Hinc istius Archisodalitatis sic erectae moderatori pro tempore, ut alias ejusdem nominis atque instituti pias Uniones vel Sodalitates legitime in universo Imperio Austro-Hungarico existentes eidem Archisodalitati, servatis tamen forma Constitutionis fel. rec. Clementis PP. VIII. Praedecessoris Nostri ceterisque Apostolicis ordinationibus desuper editis, aggregare, illisque supradictas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes communicare libere liciteque possit et valeat, Apostolica auctoritate Nostra perpetuo item concedimus atque indulgemus. Hisce denique litteris perpetuo pariter dictae Archisodalitatis moderatori pro tempore concedimus,

ut in dicto Imperio tantum singulos, licet absentes, in hujusmodi sodalium album, si id petierint, referre et gratiarum spiritualium participes facere ipse licite queat . . . . . Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 1 Sept. 1882, Pontificatus Nostri anno quinto.

Th. Card. **Mertel.**

48.

Summárium indulgentiarum et privilegiorum Archisodalitatis in ecclesia S. Mariae in Monterone Congregationis SS. Redemptoris in Urbe constitutae sub titulo B. M. V. in coelum assumptae ad juvandas animas purgatorio igne detentas.[1])

I. *Indulgentiae plenariae.*

Indulgentia plenaria in die adscriptionis piae Unioni.

Item in articulo mortis, dummodo vere poenitentes, confessi, sacraque Communione refecti fuerint, et si id facere non possunt, saltem SSmum nomen Jesu corde, si ore nequiverint, devote invocaverint.

[1]) Monita ad directores Confraternitatum aggregatarum et ad sacerdotes pro adscriptione fidelium subdelegatos.

1. Promoveant pro viribus devotionem suffragandi animas purgatorii poenas luentes praecipue per erectionem piarum Unionum seu Confraternitatum, quae nostrae primariae aggregentur, et exhortando fideles, ut tam salutiferae Societati dent sua nomina.

2. Satagant, ut lingua vernacula typis imprimatur ac divulgetur sequens indulgentiarum et gratiarum Archiconfraternitati concessarum Summarium.

3. Adscriptio fidelium et Summarii distributio gratis fiat ac pro solius Dei honore et animarum solatio ad normam Constitutionum Apostolicarum.

4. Aggregatio piae alicujus Associationis vel Confraternitatis et subdelegatio sacerdotum pro adscriptione fidelium a moderatore Archiconfraternitatis in ecclesia S. Mariae in Monterone de Urbe petuntur. Desideratur, ut singulis quatuor vel quinque annis unaquaeque Confraternitas aggregata numerum, non nomina, suorum adscriptorum in album primariae transmittat.

5. Piae Uniones seu Confraternitates erigi et aggregari nostrae primariae possunt de consensu Ordinarii pro omnibus fidelibus in quibuscumque ecclesiis vel oratoriis publicis; in ecclesiis vero vel oratoriis Religiosarum pariter de consensu Ordinarii pro ipsis Monialibus, suis novitiis, mulieribus apud eas commorantibus, suis alumnis aliisque puellis sub illarum directione et educatione, quae postea semper adscriptae remanent.

6. Curent, ut frequenter Missae pro animabus purgatorii applicentur, et ut die secunda Novembris et per septem sequentes dies pium aliquod exercitium pro illis

Item in festis Nativitatis, Epiphaniae, et Corporis Domini; Immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis B. V. M.; Apparitionis (8 Maji), et Dedicationis S. Michaelis Archangeli (29 Septembris), S. Josephi (19 Martii), ejusque Patrocinii (3. Dom. post Pascha), SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Junii).

Item in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum (2 Novembris), die festo piae nostrae Associationis.

Item semel quolibet mense, die uniuscujusque socii arbitrio eligenda.

Notae. 1. Indulgentiae plenariae pro festis concessae acquiri possunt vel ipsa festi vel alia die infra octavas. Ad illas lucrandas praeter Confessionem et Communionem requiritur, ut sodales aliquam ecclesiam vel oratorium publicum visitent, ibique pro concordia inter principes christianos, haeresum exstirpatione et exaltatione s. Matris Ecclesiae orent.

2. Personae viventes in communitatibus lucrari possunt indulgentias visitando oratorium, in quo exercitia sua spiritualia peragere solent.

3. Adscripti, ut infra dicetur, lucrari possunt aliam indulgentiam plenariam mense Novembri, alteram semel quovis mense pro visita-

---

animabus instituatur. Hoc exercitium jam in variis ecclesiis Confraternitatum aggregatarum per totum mensem Novembrem cum summa fidelium consolatione peragitur; propterea November *mensis animarum purgatorii* dicitur.

7. Consolantissimum est adscriptis noscere, se cum centenis millium sodalium in singulis mundi partibus communionem precum et suffragiorum pro se suisque caris defunctis habere. Adscripti sunt fideles ex omnibus statibus hominum, necnon Ordinibus Religiosorum ac Monialium, qui fere innumerabilibus poenitentiis, ciliciis, jejuniis, orationibus, eleemosynis, aliisque piis operibus ac praecipue Missis celebratis confratres et consorores viventes et defunctos adjuvant et suffragantur.

Monita ad sodales. 1. Adscripti sacerdotes infra annum semel Missam pro fidelibus defunctis celebrent; saeculares vero eam celebrare faciant pro omnibus animabus in purgatorio detentis, specialiter pro illis, quae huic piae Unioni nomen dederunt, quae majori succursu indigent, vel a nemine adjuvantur, aut miserrime in purgatorio existunt. Saepe pro illis orent.

2. Qui nequeunt Missam celebrare nec pro Missa eleemosynam dare, supplere possunt per receptionem sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, vel per assistentiam Missae sacrificio, vel per recitationem tertiae partis s. Rosarii, vel etiam per pium exercitium *Viae Crucis*.

3. Nullum ex dictis suffragiis vel piis exercitiis sub peccato proponitur. Conditiones tamen pro unaquaque indulgentia lucranda praescriptas implere debent sodales, qui eas consequi volunt.

4. Omnes indulgentiae Associationi nostrae concessae applicari possunt animabus purgatorii. Ob finem nostrae Associationi proprium sodalibus consulitur, ut illas et alias multas dictis animabus frequentissime applicent.

tione coemeteriorum, quatuor in diebus stationalibus per annum, et unam pro Stationibus specialibus in Quadragesima.

II. *Indulgentiae partiales.*

Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in omnibus aliis festis D. N. J. Ch. et B. M. V. in tota Ecclesia praescriptis, necnon in festis natalibus Apostolorum supra non recensitis, nempe:

In festis Circumcisionis Domini (1 Januarii), Ejus SSmi Nominis (Dom. 2. post Epiphaniam), Paschatis, Inventionis S. Crucis (3 Maji), Ascensionis Domini, SSmi Cordis Jesu (feria 6. post octavam festi Corporis Domini), Pretiosissimi Sanguinis I. C. (Dom. 1. Julii), et Transfigurationis D. N. J. Ch. (6 Augusti), Exaltationis S. Crucis (14 Sept.).

In festis Compassionis B. M. V. (feria 6. post Dom. Passionis), Visitationis (2 Julii), B. V. M. de Monte Carmelo (16 Julii), B. V. M. ad Nives (5 Augusti), SS. Nominis Mariae (Dom. infr. octav. ejus Nativitatis), Septem Dolorum B. V. M. (Dom. 3. Sept.), B. M. V. de Mercede (24 Sept.), SS. Rosarii (Dom. 1. Octob.), Praesentationis B. V. M. (21 Nov.)

In festis Commemorationis S. Pauli (30 Junii), S. Andreae Apost. (30 Nov.), S. Joannis Ap. (27 Dec.), SS. Ap. Jacobi et Philippi (1 Maji), S. Jacobi Majoris (25 Julii), S. Bartholomaei Ap. (25 Aug.), S. Matthaei Ap. (21 Sept.), SS. Ap. Simonis et Judae (28 Octob.), S. Thomae Ap. (21 Dec.), S. Mathiae Ap. (24 Febr.), S. Barnabae Ap. (11 Junii).

Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum in septem diebus immediate sequentibus Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum.

Item sabbato ante Dominicam Sexagesimae et decem sequentibus diebus.

Item qualibet prima feria secunda cujuslibet mensis.

Istas indulgentias septem annorum, etc. acquirunt sodales visitando aliquam ecclesiam et orando, sicut pro plenariis, quin tamen Confessio et Communio requirantur. (Decretum 9 Aug. 1859.)

Indulgentia ter centum dierum toties, quoties adscripti aliquam ecclesiam vel oratorium publicum visitant ibique, ut supra, orant.

Indulgentia centum dierum, quoties aliquod caritatis vel pietatis opus exercent.

Adscripti legitime impediti visitationem supplere possunt tam pro indulgentiis plenariis, quam pro partialibus per quodcumque aliud bonum opus.

III. *Indulgentiae stationales.*

Sodales, qui diebus Stationum Urbis quamcumque ecclesiam vel oratorium publicum extra Urbem visitaverint et juxta mentem Summi Pontificis devote oraverint, omnes indulgentias acquirent, quas fideles Romae acquirunt visitando ecclesias Stationum. (Vide supra pag. 239 in Rescripto 313; speciales vero pro Quadrages. in „*Raccolta*“ ed. 1877 pag. 372.)

IV. *Mensis November.*

Non solum sodales, sed omnes fideles, qui assistunt pio exercitio, quod fit pro defunctis mense Novembre in aliqua ecclesia vel oratorio, in quo sit pia Unio erecta et Archisodalitati nostrae aggregata, dummodo orent juxta mentem Summi Pontificis, acquirent singulis vicibus indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum. Si vero tali pio exercitio saltem duodecim vicibus interfuerint in decursu mensis, semel eodem mense indulgentiam plenariam acquirent, dummodo confiteantur et communicent. Sodales infirmi supplere possunt assistentiam recitando ter Psalmum *De profundis.*

V. *Indulgentiae pro visitatione coemeteriorum.*

Sodales nostri toties, quoties aliquod publicum coemeterium visitabunt in eoque pro aeterna requie defunctorum orabunt, indulgentiam septem annorum et septem quadragenarum acquirent. Si vero saltem quater in mense talem visitationem instituerint, indulgentiam plenariam lucrabuntur, dummodo confiteantur, communicent et aliquam ecclesiam visitent.

VI. *Aliae gratiae et privilegia.*

1. Altare cujusvis Confraternitatis ubivis erectae et primariae S. M. in Monterone aggregatae est privilegiatum quo-

tidie pro omnibus sacerdotibus etiam non adscriptis in favorem defunctorum sodalium et omnium aliorum fidelium in Domino defunctorum.

2. Moderator Archiconfraternitatis facultate gaudet subdelegandi sacerdotes in locis, ubi non existit aliqua Confraternitas aggregata, ad adscribendos fideles, ea lege, ut adscriptorum nomina in album nostrae primariae vel alterius Confraternitatis huic primariae aggregatae transmittant.

3. Directores designati Confraternitatum Archiconfraternitati aggregatarum, et sacerdotes, ut supra, subdelegati benedicere possunt pro adscriptis coronas sancti Michaelis Archangeli, vulgo *coronas angelicas,* cum adnexis indulgentiis.

4. Praeter tam copiosas gratias et privilegia Summorum Pontificum, varii religiosorum Ordinum moderatores generales juxta facultates sibi a Sancta Sede concessas nostram Archisodalitatem aliis thesauris vere pretiosis ditare peramanter dignati sunt. Documenta gratiarum in archivio Archiconfraternitatis asservantur.

Magister Generalis Ord. Praedicator. concessit *directoribus pro tempore* Archiconfraternitatis et Confraternitatum ipsi aggregatarum facultatem benedicendi pro omnibus fidelibus rosaria seu coronas S. Dominici cum adnexis indulgentiis; Praepositus vero Generalis Carmelitarum excalceatorum iisdem impertivit facultatem benedicendi et imponendi scapularia B. M. V. *de Monte Carmelo* omnibus fidelibus eisque benedictionem et indulgentiam plenariam *in articulo mortis* impertiendi, ac commutandi in aliud opus pium ob justam causam obligationes peculiares pro privilegio sabbatino consequendo.

Prior Major Eremitarum Camaldulensium *directoribus pro tempore,* ut supra, et *sacerdotibus subdelegatis* ad fideles Archiconfraternitati adscribendos facultatem concessit benedicendi cum adnexis indulgentiis pro omnibus fidelibus tum coronas D. N. J. Ch., tum coronas immacul. Conceptionis B. M. V.

Prior Generalis Augustinianorum *directoribus et sacerdotibus subdelegatis,* ut supra, facultatem concessit adscribendi fideles in Societatem Cincturatorum B. M. V. *de Consolatione*

et pro iisdem benedicendi cincturas et coronas S. Augustini et S. Monicae cum adnexis indulgentiis, eosque absolvendi *in articulo mortis.*

Ministri Generales SS. Trinitatis et B. V. M. *de Mercede directoribus et sacerdotibus subdelegatis,* ut supra, respectivam facultatem concesserunt benedicendi pro omnibus fidelibus scapularia sui respectivi Ordinis, eosque adscribendi Confraternitati ejusdem Ordinis, necnon benedicendi cum adnexis indulgentiis trisagia seu coronas SS. Trinitatis.

Superior Generalis Missionis *directoribus et sacerdotibus subdelegatis*, ut supra, facultatem concessit benedicendi et impertiendi cum adnexis indulgentiis omnibus fidelibus scapularia Passionis D. N. J. Ch. et SS. Cordium.

Memorati Generales Augustinianorum, Carmelitarum, Dominicanorum et SS. Trinitatis ac B. V. M. de Mercede pro Redemptione Captivorum, necnon Ministri Generales Ordinis S. Francisci Observantium et Capucinorum ampliоribus favoribus sodales utriusque sexus nostrae Archiconfraternitatis prosequi volentes, illos inter confratres et consorores seu oblatos respectivi sui Ordinis annumerarunt, eisque omnium bonorum operum, quae ab omnibus respectivi Ordinis utriusque sexus membris peraguntur, communicationem in vita, in morte et post mortem peramanter impertiti sunt.

Directores et sacerdotes subdelegati uti nequeunt facultatibus sibi supra concessis in locis, in quibus inveniuntur Conventus memoratorum Ordinum, et tenentur nomina adscriptorum pro aliqua ex memoratis Confraternitatibus in album ejusdem tempore opportuno transmittere.

Cum Archiconfraternitas B. M. V. in coelum assumptae pro juvandis animabus purgatorii vigilantia et auctoritate Congregationis SS. Redemptoris in Urbe gubernetur, ex hac causa utique sodales cum dicta Congregatione bonorum operum communionem modo speciali habent.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefatum Summarium una cum articulo de altari privilegiato recognitum et revisum ac cum suis originalibus plene collatum ut authenticum recognovit typisque imprimere et pu-

blicare permisit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 26 Aprilis 1863.

A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

49.

Summarium indulgentiarum, quas lucrari possunt adscripti piae Sodalitati sub invocatione Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Ch. [1])

I. Plenariae: Ipso adscriptionis die confessi, ac sacra Communione refecti, et juxta mentem Summi Pontificis preces offerentes.

Semel in mense quocumque die ad arbitrium, Sacramentis, ut supra, susceptis et aliqua in ecclesia orantes, vel, si impediti, aliud pium opus confessarii arbitrio exercentes.

Quolibet die, si confessi ac sacra Synaxi suscepta per horam mentali sive vocali orationi vacaverint, vel partim uni, partim alteri in memoriam Passionis D. N. J. Ch. ac dolorum B. M. V. precantes, ut supra.

In mortis articulo, Sacramentis susceptis, vel, si impediti invocent contriti ore vel corde, si ore nequeant, dulcissimum nomen Jesu. Item adscripti consequi poterunt benedictionem in articulo mortis cum indulgentia plenaria ab aggregatoribus ad id facultate munitis.

Aliae indulgentiae plenariae, pro quibus assequendis praeter Confessionem et Communionem etiam aliqua ecclesia visitanda est, nisi confessarius ob quamcumque rationabilem causam aliud pium opus praecipiat:

---

[1]) Monita de Congregatione erigenda et promovenda. 1. Si quis sacerdos optaverit aliqua in ecclesia erigere piam Sodalitatem Pretiosi Sanguinis D. N. J. Ch., supplicem libellum Ordinario suae dioecesis exhibeat. Episcopus hujusmodi libello decretum erectionis dignabitur apponere, et in eo rectorem Sodalitatis nominatim cum ecclesia et altari designare. Hujusmodi decretum Romam transmittitur ad moderatorem generalem Congregationis de Pretioso Sanguine, qui litteras aggregationis remittere curabit, quae registro consignatae in ecclesiastica cancellaria, si Ordinario placuerit, publicantur, et in tuto archivio Sodalitatis asservantur una cum libro, in quo Christifideles utriusque sexus nostrae Sodalitati nomen dederunt.

2. Litterae praefatae et adscriptiones fidelium *gratis* omnino conceduntur, nec aliquid pro tali titulo recipi potest nec adsignari.

3. Sodalitas Pretiosi Sanguinis in altari nominatim declarato erigi debet, et ipso facto altare illud *privilegiatum* remanet *quotidianum* in perpetuum pro defunctis.

1. *Indulgentiae lucrandae diebus hic positis, vel semel infra octavam ad arbitrium:* Prima Dominica Julii, in qua festum Pretiosi Sanguinis celebratur. Diebus festis Nativitatis D. N. J. Ch., Epiphaniae, ac Paschatis Resurrectionis; itemque Conceptionis, Purificationis, Assumptionis SS. V. Mariae et Sanctissimi Rosarii. Tandem die SS. Apostolis Petro et Paulo sacro, et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Ex Decreto autem S. C. Indulg. 3 Julii 1878 eodem modo die 24 Maji, recurrente festo B. M.V. sub titulo *Auxilium Christianorum*, lucrari potest indulgentia plenaria.

2. *Indulgentiae lucrandae diebus sequentibus tantum:* In festo Circumcisionis D. N. J. Ch.; singulis feriis VI. mensis Martii; die 28 Martii, festo recurrente sacri Sanguinis in ecclesia S. Mariae in Vado Ferrariae; fer. V. in Coena Domini; die Inventionis SS. Crucis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Exaltationis SS. Crucis, et SS. Redemptoris die 23 Octobris.

Die festo SS. Annuntiationis; Septem Dolorum B. Mariae V., fer. VI. post Dominicam Passionis; die B. Mariae V. de Carmelo (16 Julii), Nativitatis, Septem Dolorum Dominica III. Sept., ac Praesentationis ejusdem B. Mariae V. (21 Nov.)

In festivitate S. Joseph, S. Joannis Baptistae, Omnium Sanctorum, S. Francisci Xaverii, et S. Nicolai Bariensis.

Notandum, quod ad hujusmodi lucrandas indulgentias potest praemitti Confessio et Communio die antecedenti, exceptis feriis VI. Martii, et feria V. in Coena Domini. * At ecclesia visitari nequit, nisi hora ad Vesperas celebrandas pervenerit.

---

* Vigore decr. Urbis et Orbis 6 Oct. 1870 et haec exceptio sublata est. Cf. Decr. auth. ed. 1883 n. 426.

---

4. Nulla peculiaris vestis fratrum vel sororum requiritur, nec regula ulla specialis praecipitur: est enim simplex devotio pretii redemptionis nostrae sub rectoris directione pro tempore, cum suis precibus et indulgentiis, prout superius in Summario declaratum est. Potest autem Ordinarius simplicem Sodalitatem in Confraternitatem elevare et erigere, cui tunc regulam aliquam imponat, et habitum nigri coloris cum ornamentis rubeis solis fratribus concedat.

5. Director piae Sodalitatis canonice erectae ipso facto uti adscriptus habetur, eique inest etiam ordinaria facultas aliis sacerdotibus suam potestatem communicandi, qui suo nomine fungentes tali munere sunt vere adscripti et aggregatores, sed alios subdelegare nequeunt.

Qui semel in hebdomada, a Dominica ad sabbatum, nisi legitime impeditus fuerit, confitetur, nec conscientia lethalis culpae teneatur, non indiget sacramentali Confessione pro suprascriptis indulgentiis assequendis, sed sufficit Communio, ac oratio in ecclesia, ut supra.

II. Indulgentiae partiales: Decem anni totidemque quadragenae conceduntur iis, qui corde contrito visitant, ac preces effundunt, ut supra, omnibus festis Domini ac B. M. V. superius non expressis*; itemque SS. Apostolorum, Evangelistarum, Angelorum et Archangelorum, necnon SS. Joachim, Annae, Laurentii, Stephani, Philippi Nerii, Francisci de Paula, Francisci Assisiensis, Caeciliae, Agnetis, Luciae, Catharinae V. M., et Dominica infra octavam S. Gregorii Thaumaturgi.

Septem anni totidemque quadragenae indulgentur, quoties augustissimum Eucharistiae Sacramentum quacumque in ecclesia visitatur, vel imago SS. Crucifixi, sive Deiparae, et quoties quis interest Missis, processionibus aliisque sacris functionibus peragendis, ubi est erecta pia Sodalitas Pretiosi Sanguinis, se conterendo, et orando, ut supra.

Quocumque modo aliquis suam praestat operam ad devotionem erga pretiosum Sanguinem propagandam, unius anni indulgentiam consequitur.

Indulgentiam centum dierum consequitur, quicumque et quoties fidei mysteria rudes doceat, vel comitetur SS. Eucharistiae Sacramentum in supplicationibus, vel dum uti Viaticum infirmis defertur, vel si impeditus, audiens sonum campanae recitet semel *Pater* et *Ave;* si inimicos per se vel per alios reconciliet; si pauperes hospitio excipiat, vel aliquod defuncti cadaver ad sepulchrum associet; vel

* Quae nimirum ab universa Ecclesia celebrantur, juxta declarationem S. Cong. Indulg. 18 Sept. 1862. Cf. Decr. auth. n. 392.

6. Mortuo Sodalitatis rectore ejus successor easdem consequitur facultates aggregationis. Si forte contingat rectorem nolle amplius piae Congregationis curam gerere, tunc Ordinarius sua propria facultate alium sacerdotem designat cum titulo rectoris, qui statim omnibus recensitis facultatibus gaudet. Hisce in casibus penes librum adscriptorum nomen et cognomen novi rectoris inscribatur.

7. Sciat rector, opus suum esse, ut apud se librum retineat, in quo nomina et cognomina fidelium ad Sodalitatem ingredientium sua manu designet cum die, mense et anno. Qui autem a rectore delegatus fuerit, in notula separata novos fideles sua manu obsignet, eamque cito ad rectorem mittat, ut cum aliis servetur.

quinquies *Pater* et *Ave* recitet in expiationem animarum fratrum et sororum defunctorum; vel converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, seu dicat septies *Gloria Patri* in honorem pretiosi Sanguinis, vel tandem quodcumque opus pietatis sive caritatis exerceat.

Adscripti ex Rescripto S. C. Indulgentiarum 30 Septembris 1852 participes fiunt omnium bonorum operum ac satisfactionum omnium Congregationum atque Ordinum regularium utriusque sexus.

Item participant bonis spiritualibus et post mortem omnibus suffragiis, quae ab hujusmodi Sodalitatibus Pretiosi Sanguinis et ab adscriptis promoventur, ac tandem omnibus salutaribus operibus Congregationis Missionis a Pretioso Sanguine.

III. Indulgentiae concessae omnibus Christifidelibus licet non adscriptis piae Sodalitati: Recitantibus corollam pretiosi Sanguinis, quae incipit *Il primo mistero,* indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum conceditur semel in die, et plenaria iis, qui per mensem quotidie recitaverint, lucranda die ultimo mensis, vel quocumque mensis sequentis, facta sacramentali Confessione ac SS. Eucharistia suscepta (Pius VII. 18 Oct. 1815). Easdem indulgentias lucrantur, qui recitaverint 33 *Pater* meditando septem effusiones pretiosi Sanguinis D. N. J. Ch., imo idiotae, qui meditari nesciunt, sola recitatione 33 *Pater*. (Gregorius XVI. 5 Julii 1843.)

Pro prece *O sangue etc.* posita ad finem corollae, semel in die 300 dierum indulgentia est concessa. (Pius VII. 18 Oct. 1815). Centum vero semel in die recitando omnes aspirationes *Viva, viva Gesù etc.* (Pius VII. 18 Oct. 1815.)

---

8. In aliqua civitate vel oppido, si jam erecta, et primariae aggregata Sodalitas vel Confraternitas a Pretioso Sanguine inveniatur, alteram erigere nemo potest, nisi de speciali mandato Summi Pontificis.

9. In ecclesia tandem, ubi Sodalitas vel Confraternitas ipsa erecta et aggregata fuerit, et ob commodum, vel majorem populi frequentiam festum Pretiosi Sanguinis in prima Dominica Julii celebrari non possit, sed potius in alia Dominica infra annum, ex decreto Sacr. Rit. Congr. die 30 Apr. an. 1868 emisso solemnis Missa in alia die cantari potest, ut in festo, dummodo non sit Dominica privilegiata, neque occurrat dup. 1. vel 2. classis, et dummodo per eam Missam non omittatur (ubi adest obligatio) Missa parochialis vel conventualis, servatis rubricis genera-

Lucratur 300 dies indulgentiae, qui corde contrito et mente recolendo J. C. Passionem recitat quinquies *Pater* et *Ave* cum Versiculo *Te ergo quaesumus etc.* ac *Requiem aeternam etc.* in suffragium fidelium defunctorum: imo plenariam, si per mensem id quis peregerit, quando ultimo die mensis vel aliquo mensis sequentis SS. Sacramentis participat precaturque juxta mentem Summi Pontificis, ac pro aeterna defunctorum requie. (Pius VII. 7 Febr. 1817.)

Quoties recitatur aspiratio: *Aeterne Pater, Tibi offero Sanguinem pretiosissimum J. C. in satisfactionem peccatorum meorum, ac pro necessitatibus sanctae Ecclesiae,* indulgentia centum dierum concessa est. (Pius VII. 29 Martii 1817).

Recitantibus septem oblationes pretiosi Sanguinis Deo Patri: *Eterno Padre, vi offro etc.* elargita est indulgentia 300 dierum, et plenaria confessis ac sacra Communione refectis, qui per mensem quotidie eas recitaverint, ultimo die mensis, vel alio sequentis, orantes, ut supra. (Pius VII. 22 Sept. 1817.)

Quicumque devote adstiterit pio exercitio mensis in honorem divini Sanguinis aliqua in ecclesia vel oratorio publico, quilibet sit dies anni, quo incipit, lucratur quotidie septem annos totidemque quadragenas indulgentiae, et qui id per decem vices peregerit, plenariam, si intra mensem, vel uno ex septem diebus immediate sequentibus confessus et sacra Communione refectus visitaverit ac oraverit, ut supra. Similiter, qui private piis precibus ac virtutum actibus divinum Sanguinem honoraverit, indulgentiam 300 dierum quotidie consequitur, et si per mensem id fecerit,

---

libus. Qui hoc privilegio utuntur, notum faciant decretum Curiis ecclesiasticis respectivis.

10. Promovere autem juvat devotionem erga Sanguinem D. N. J. Ch., magnum illud salutis nostrae pretium, ut ait S. Paulus, a) recitando corollam divini Sanguinis tempore Missae, cui major fidelium numerus assistere solet. Sin minus, feriis VI. cujuslibet hebdomadae, vel Dominicis, aliisque festivis diebus, una cum septem oblationibus ejusdem pretiosi Sanguinis, et ultimo cum benedictione augustissimi Sacramenti; b) eligendo aliquem mensem infra annum, in quo singulis diebus pium exercitium supra positum locum habeat, et, si fieri potest, praemisso brevi sermone de hac devotione. Prima Dominica, quae dictum mensem sequitur, solemniter celebratur festivitas, et in ea generalis populi Communio, ac expositio fit SS. Sacramenti majori, qua fieri potest pompa. Vespere autem recitatur praefata corolla, attamen non leguntur mysteria: sed brevibus exhortationibus, devotis cantio-

lucratur plenariam, adimpletis supra positis conditionibus, vel ultimo die, vel aliquo ex septem sequentibus. (Pius IX. 4 Jun. 1850.)

Prima Dominica Julii, in qua festum Pretiosi Sanguinis celebratur, et feria VI. post IV. Dominicam Quadragesimae, incipiendo a primis Vesperis, lucratur indulgentiam, qui Sacramentis susceptis ecclesiam, ubi est erecta pia Sodalitas Pretiosi Sanguinis, visitaverit. (Pius IX. 4 Junii 1850.)

Animadvertendum est, omnes indulgentias hoc in Summario descriptas esse perpetuas, et applicari posse per modum suffragii animabus piacularibus flammis addictis.

Ultimo notandum, quod, quocumque idiomate orationes ac aspirationes supra positae recitentur, consequi possunt fideles relativas indulgentias.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria Sacrae ejusdem Congregationis Indulgentiarum, die 4 Julii 1878.

A. Panici, Secret.

50.

Summarium indulgentiarum Archisodalitatis B. M. V. Angelorum Dominae. [1])

Pius PP. IX. ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut accepimus, pia Christifidelium Archisodalitas sub titulo B. Mariae Virginis Angelorum Dominae in dioecesi Tolosana pro universo Galliarum regno canonice instituta, cui Apo-

nibus interpositis populus excitatur ad devotionem erga nostrae salutis pretium. Quae omnia benedictio cum SS. Eucharistia complebit. Verumtamen, quando nihil obstat, satius esset initium facere prima feria VI. mensis Junii, sicque solemnitatem celebrare Dominica 1 Julii, in qua in tota Ecclesia festum de Pretiosissimo Sanguine agitur; c) hortando fideles ad adscriptionem ad piam Sodalitatem vel Confraternitatem; excitando adscriptos ad indulgentias rite lucrandas juxta praescriptum; ac tandem assignando adscriptis horam adorationis, ita ut quotidie adsit unus vel plures, qui offerant aeterno divino Patri pretiosum Sanguinem pro haeresum ac schismatum exstirpatione, fidei catholicae propagatione, ceterisque sanctae Romanae Ecclesiae necessitatibus. (Ex libello, cui titulus: „Facultas aggregandi fideles Sodalitati Pretiosi Sanguinis D. N. J. Ch.," Romae 1878, pag. 20—24.)

[1]) Pro Gallia Tolosae, pro Austria et Hungaria Viennae erecta est.

stolicis Litteris datis die 22 Aprilis anno 1873 Archiepiscopus Tolosanus pro tempore moderator est praepositus, majora in dies suscipiat incrementa, Nos porrectis Nobis precibus benigne annuendum esse censuimus, quibus humiliter petitum est, ut eam spiritualibus nonnullis indulgentiarum muneribus ditare dignaremur. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Archisodalitatem in posterum ingredientur, die prima eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam, ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Archisodalitate confratribus et consororibus in eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Archisodalitatis confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui praefatae Archisodalitatis ecclesiam, vel, si alibi degant, propriam cujusque ecclesiam parochialem in festivitatibus Nativitatis, Epiphaniae, Circumcisionis et Ascensionis D. N. J. C., immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem confratribus et consororibus saltem corde contritis, quoties aliquod caritatis opus erga proximum ex instituto Archisodalitatis praestiterint, aut piam invocationem: *Regina Angelorum, ora pro nobis* devote recitaverint, centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum

relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimur. Tandem memoratis confratribus et consororibus, qui ecclesiam Archisodalitatis vel propriam, ut supra, parochialem ecclesiam singulis Quadragesimae ac aliis infra annum diebus pro consequendis indulgentiis Stationum nuncupatis in Missali Romano descriptis, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, ut eas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si quamlibet ex ecclesiis Almae Urbis Nostrae pro dictis Stationibus designatis personaliter iisdem diebus ac devote visitarent, dummodo tamen cetera pietatis opera pro dictis indulgentiis lucrifaciendis rite praestiterint, auctoritate Nostra Apostolica concedimus et elargimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem etc. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25 Maji 1875 Pontificatus Nostri anno 29.

S. F. Card. **Asquinius.**

51.

Summarium indulgentiarum ac privilegiorum a SS. D. N. Pio PP. IX. s. m. et Leone XIII. primariae Sodalitati Romanae titulo Filiarum Mariae sub patrocinio B. M. Virginis Immacul. et S. Agnetis Virg. et Mart. in ejusdem Basilica extra moenia Urbis Can. Reg. SS. Salvatoris Lateran. canonice erectae, et ceteris Sodalitiis sub eodem titulo erectis ac erigendis in perpetuum concessorum, dummodo eidem primariae ab Abbate Generali ejusdem Ordinis pro tempore sint aggregata cum communicatione eorumdem privilegiorum et indulgentiarum juxta facultatem ipsi ab Apostolica Sede elargitam Brevi diei 4 Febr. 1870.

I. *Indulgentiae plenariae.*

1. Indulgentia plenaria, quibus diebus in Sodalitatem consorores recipiuntur ut aspirantes, et ut filiae Mariae, si

vere poenitentes et confessae SS. Eucharistiae Sacramentum sumpserint. *(Pius IX. et Leo XIII.)*

2. Item in articulo mortis, dummodo vere poenitentes et confessae ac sacra Communione refectae, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritae nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint.

3. Item in diebus festis Nativitatis et Ascensionis D. N. J. C., si vere poenitentes et confessae ac sacra Communione refectae ecclesiam Sodalitatis, vel si prae distantia locorum eam adire nequiverint, quamlibet ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

4. Item in duabus festivitatibus Sodalitii, nempe in festis Immaculatae Conceptionis B. M. V., et S. Agnetis V. et M.

5. Item in festis Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. immaculatae.

6. Item in solemnitate SS. Rosarii.

7. Item in celebritate Omnium Sanctorum.

8. Necnon semel in mense eo die, quo vere poenitentes et confessae sacrae Communionis pabulo se refecerint, et piae Unionis ecclesiam visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, dummodo congregationibus, quae per mensem celebrantur, et in quibus divina officia et multa christianae pietatis opera fiunt, interfuerint. *(Consorores eligere possent diem Communionis generalis mensilis.)*

9. Tandem, si spiritualibus exercitiis, quae quotannis fieri solent in Sodalitate, devote adfuerint saltem ultra medietatem temporis, quo illa perduraverint, si vere poenitentes, confessae et sacra Communione refectae ecclesiam piae Unionis, ut supra, visitaverint, ibique oraverint, pariter indulgentia plenaria.

II. *Indulgentiae partiales.*

Indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum* consorores consequuntur, si saltem corde contritae ecclesiam Sodalitatis, vel si prae distantia locorum eam adire nequiverint, quamlibet ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique, ut supra, oraverint in reliquis B. M. V. im-

maculatae festivitatibus, nempe, *juxta decretum 18 Septembris 1862:*

10. In festo Compassionis B. M. V. *(fer. 6. post Dom. Passionis.)*

11. In festo Visitationis ejusdem *(die 2 Julii).*

12. In festo B. M. V. de Monte Carmelo *(die 16 Julii).*

13. In festo Dedicationis S. Mariae ad Nives *(die 5 Aug.).*

14. In festo SS. Nominis Mariae *(Dom. inf. oct. ejus Nativitatis).*

15. In festo Septem Dolorum B. M. V. *(Dom. tertia Septembris).*

16. In festo B. M. V. de Mercede *(die 24 Septembris).*

17. In festo Praesentationis B. M. V. *(die 21 Novembris).*

III. *Aliae indulgentiae partiales.*

Indulgentiam *sexaginta dierum* eaedem insuper consequuntur pro quolibet opere bono, quod juxta piae Unionis institutum peregerint, ut esset:

18. Si divinis officiis, concionibus, congregationibus, ad quas convenire solent consorores semel in hebdomada; vel spiritualibus colloquiis et exhortationibus moderatoris Sodalitatis adfuerint.

19. Si adfuerint congregationibus, in quibus agitur de admissione ac electione consororum ad dignitates, ceterisque negotiis Sodalitatis.

20. Si Missae sacrificio interfuerint diebus feriatis.

21. Si adoraverint Eucharistiae Sacramentum, et ad imaginem B. M. V. et S. Agnetis preces effuderint saltem e proprio domicilio.

22. Si recitaverint quinque psalmos, qui vulgo dicuntur Nominis Mariae, vel coronam Immaculatae, aut tres *Ave Maria* cum uno saltem *Pater noster* ad honorem divae Agnetis.

23. Si Virginem Matrem cantu divinarum laudum honoraverint, sese abstinendo a profanis cantionibus.

24. Si quotidie mentali meditationi, lectioni spirituali, et conscientiae discussioni diligenter vacaverint.

25. Si sese in virtutibus exercuerint, speciatim caritatis, puritatis, humilitatis et obedientiae; ideoque

26. Si proximum a malo retraxerint salutaribus admonitionibus vel oratione.

27. Si afflictis consolationem praebuerint, et pacem inter inimicos conciliaverint.

28. Si per campanae signum admonitae de transitu consororis vel alicujus fidelis Deum pro eis deprecatae fuerint.

29. Si consororum vel aliorum corpora fuerint sequutae ad ecclesiasticam sepulturam.

30. Si infirmos vel carcere detentos visitaverint, et pauperibus eleemosynam erogaverint.

31. Si peculiari modestia in vestibus utantur, vel choreas, vigilias, aliosve congressus periculis obnoxios fugiant.

32. Si consorores osculatae fuerint sacram imaginem B. M. V. in numismatibus sculptam, quae circa collum deferunt, etc. etc.

IV. *Indulgentiae stationales.*

Consorores, quae singulis Quadragesimae et aliis infra annum diebus pro consequendis indulgentiis Stationum nuncupatis in Missali Romano descriptis ecclesiam Sodalitatis, vel si prae distantia locorum eam adire nequiverint, quamlibet aliam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique, ut supra, oraverint, eas omnes et singulas indulgentias consequuntur, quas consequerentur, si ecclesias Urbis pro dictis Stationibus designatas iisdem diebus visitarent, dummodo, quae pro his indulgentiis opera injuncta sunt, rite praestiterint. (Num. 33—51 vide supra pag. 239 in Rescripto 313.)

V. *Indulgentiae pro defunctis et alia privilegia.*

52. Omnes supradictae indulgentiae applicari possunt in suffragium animarum fidelium defunctorum.

53. Missae ad altare primariae ac ceterarum Sodalitatum aggregatarum pro consororibus a quolibet sacerdote tam saeculari, quam regulari celebratae aeque suffragantur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent.

54. D. Albertus Abbas Passèri et moderatores Sodalitiorum fruuntur indulgentiis praedictis, si opera injuncta praestiterint.

55. Iidem moderatores facultatem habent benedicendi in forma Ecclesiae consueta, sacra numismata, quae consorores veluti tesseram circa collum gestare solent, cum applicatione plenariae indulgentiae in mortis articulo consequendae.

56. D. Albertus Abbas Passèri a SS. D. N. Leone XIII. renuntiatus fuit institutor et director generalis totius Sodalitatis Filiarum Mariae sub patrocinio Virginis Immaculatae et S. Agnetis V. M. cum facultate numismata benedicendi, ut supra, eamque delegandi presbyteris, quos ipse vel alii directores ad recipiendas in Sodalitatem adspirantes vel filias Mariae invitaverint.

Praesens Summarium indulgentiarum Archisodalitatis Filiarum Mariae sub patrocinio B. M. V. Immaculatae et S. Agnetis Virg. et Martyris cum authenticis documentis concordare repertum est; ideoque permittitur, ut imprimi possit et promulgari. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregatiònis Indulgentiarum die 2 Aprilis 1879.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

NB. Primaria et ceterae Sodalitates ipsi aggregatae privilegio gaudent agendi in suis ecclesiis sive oratoriis festum *Immaculatae Conceptionis B. M. V.* aliqua infra ejus octavam die a respectivis moderatoribus designanda, cum omnibus Missis ejusdem propriis: dummodo quoad Missam solemnem non occurrat aliquod Deiparae festum, aut duplex 1. classis; et quoad lectas Dominica vel duplex etiam 2. classis; neque omittatur Missa parochialis seu conventualis Officio diei respondens, quatenus et quoties eam celebrandi obligatio adsit; servatis rubricis, atque exhibito exemplari praesentis indulti in cancellaria Curiae ecclesiasticae respectivae dioeceseos ante suam exsecutionem. *(Leo PP. XIII. Rescript. Congregationis S. Rituùm diei 13 Martii 1879.)*

Idem primarium et cetera Sodalitia ipsi aggregata privilegium habent agendi in suis ecclesiis sive oratoriis festum *Patronae S. Agnetis V. M.* aliqua infra ejus octavam die a respectivis moderatoribus designanda, cum omnibus Missis propriis S. Agnetis: dummodo quoad Missam solemnem

non occurrat duplex 1. classis, et quoad lectas duplex 1. et 2. classis aut Dominica privilegiata; neque omittatur Missa parochialis etc. ut supra. — In Basilica S. Agnetis vero Dominica infra octavam Missae propriae ejusdem celebrari possunt in quocumque altari: aliis diebus in altari, in quo ejus corpus requiescit. *(Pius PP. IX. Rescriptis Congregationis S. Rituum dierum 14 Jan. 1869, 1 Febr.* (Pro Basilica) *1872, 6 Febr. 1873; — et Leo PP. XIII. Rescr. ejusd. Congr. 13 Martii 1879).*

52.

Indulgentiae concessae Archisodalitati Adorationis Perpetuae Sanctissimi Sacramenti et ad pauperiores ecclesias sacra supellectili instruendas.

I. *Indulgentiae concessae Rescripto S. C. I. 13 Nov. 1849.*

1. Indulgentia plenaria uno ex diebus mensis, in quo quis adscribitur, dummodo peracta Confessione, Communione juxta intentionem Summi Pontificis preces effundat.

2. Indulgentia plenaria semel in mense lucranda ab omni adscripto, qui confessus et sacra Communione refectus juxta mentem Summi Pontificis orabit.

3. Indulgentia plenaria iisdem conditionibus lucranda ab omni sodali die festo Corporis Domini, vel uno ex diebus infra octavam.

4. Indulgentia plenaria iisdem conditionibus, ac supra, prima feria V. cujuslibet mensis.

5. Indulgentia plenaria in articulo mortis omni sodali, qui corde vere contrito intus saltem invocabit sacrum nomen Jesu, ore si nequiverit.

6. Indulgentia plenaria omni sodali, qui confessus et sacra Communione refectus SS. Sacramentum in quavis ecclesia, etiam in sacra pixide reclusum, visitabit, dummodo juxta mentem Summi Pontificis oret, diebus festis, qui sequuntur: Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, Nativitatis ejusdem, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis; Omnium Sanctorum, Commemorationis Omnium Fidelium De-

functorum, S. Josephi, SS. Petri et Pauli, S. Joannis Baptistae, item S. Joannis Apostoli et Evangelistae.

7. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omni sodali, qui confessus et sacra Communione refectus visitabit SS. Sacramentum, ut supra declaratum est, omnibus aliis festis B. V. Mariae et SS. Apostolorum.

8. Indulgentiae numeris 6 et 7 supra relatae et ipsis sodalibus infirmis, qui confessi et sacra Communione refecti loco visitationis SS. Sacramenti 5 *Pater*, 5 *Ave* et 5 *Gloria Patri* recitabunt in honorem SS. Eucharistiae, necnon unum *Pater*, *Ave* et *Gloria* juxta mentem Summi Pontificis.

9. Indulgentia 60 dierum omni die singulis sodalibus pro quolibet opere bono.

10. Indulgentiae Stationum Romae, quas sodales lucrari possunt visitando SS. Sacramentum, et orando coram Eo juxta mentem Summi Pontificis. (Vide supra pag. 239 Rescripto 313.)

Omnis sacerdos adscriptus rogatur, ut semel in anno Missam celebret pro animabus sodalium defunctorum, et omnis laicus, ut bis sacram Eucharistiam accipiat eumdem in finem. In tali Missa sacerdoti conceditur favor altaris privilegiati; laico vero sic Communionem recipienti pro qualibet vice indulgentia plenaria iisdem defunctis applicabilis concedetur.

Nota. 1. Juxta mentem s. m. Pii PP. VII. in Brevi, in quo de Archisodalitate Adoratorum Romae existente agitur, sodalis, qui sine causa per duos menses consequentes horam adorationis neglexerit, jus amittit ad lucrandas indulgentias Archisodalitati concessas. Verum si denuo adorationis horam impleverit, jus amissum iterum acquirit. 2. Nihilominus apertum est, hujus adorationis promissionem non obligare sub peccato.

II. *Indulgentiae sodalibus concessae Rescripto s. m. Pii PP. IX. de die 16 Junii 1862.*

1. Indulgentia plenaria prima cujusvis mensis feria VI. in honorem SS. Cordis Jesu.

2. Indulgentia plenaria die, quo mensilis adorationis hora impletur.

3. Indulgentia plenaria in festo S. Julianae (5 Aprilis).

4. Indulgentia plenaria in festo S. Stanislai Kostka (13 Novembris), quo die Sodalitas aggregata fuit Archisodalitati Adorationis nocturnae Romae (1849).

5. Indulgentia plenaria in festo SS. Cordis Jesu.

6. Indulgentia plenaria die anniversario sacrilegorum vulnerum Sacris Hostiis, quae prodigiis se prodiderunt, Bruxellis inflictorum (4 Aprilis).

7. Indulgentia plenaria in festo SS. Sacramenti a Miraculis nuncupati, Bruxellis (Domin. post 13 Julii).

8. Indulgentia plenaria in festo S. Theresiae (15 Oct.), quae Protectrix est Instituti religiosi Adorationis Perpetuae quoad vitam interiorem.

9. Indulgentia plenaria in festo S. Francisci Xaverii (3 Decembris), qui Protector est Instituti religiosi Adorationis Perpetuae quoad vitam activam.

Indulgentiae septem annorum et totidem quadragenarum:

1. Pro mensilis adorationis hora.

2. Pro assistentia Missae et concioni die congressus mensilis adscriptorum.

Indulgentia trecentorum dierum:

1. Assistentibus benedictioni SS. Sacramenti.

2. Intervenientibus congressui consiliis Associationis.

3. Intervenientibus congressui zelatricum.

4. Pro visitatione SS. Sacramenti in capella Instituti.

III. *Indulgentiae concessae a s. m. Pio PP. IX. Rescript. 19 Martii 1863.*

1. Indulgentia plenaria semel in mense pro labore sex horarum in hebdomada in favorem pauperum ecclesiarum, vel Missionum, vel regionum protestantium, vel processionum, vel bibliothecarum ruralium, aliqua prece adjuncta.

2. Indulgentia trecentorum dierum pro qualibet semihora laboris, ut n. 1.

IV. *Indulgentiae Archisodalitati Romanae, quacum Archisodalitas Belgica unita est, concessae.*

Cum virtute Decreti Sacrae Congregationis Indulgentiarum de die 1 Februarii 1879 sedes Archisodalitatis ex Belgio Romam translata fuerit, haec Archisodalitas particeps facta est indulgentiarum Archisodalitati Romanae conces-

sarum, quippe quod eodem Decreto Archisodalitas Romae erecta ita cum Belgica Romam translata unita est, ut unum cum eo corpus efficiat, unam eamdemque Archisodalitatem constituat, et sit Archisodalitas Societatis Adorationis Perpetuae et ad pauperiores ecclesias sacra supellectili instruendas. Indulgentiae vero, de quibus agitur, sunt sequentes:

1. Indulgentia plenaria in festo S. Mariae Magdalenae (22 Julii).

2. Indulgentia plenaria in festo S. Marthae (29 Julii).

3. Indulgentia plenaria in festo purissimi Cordis B. Mariae V. (Dom. post oct. Assumpt.)

4. Indulgentia plenaria die congressus mensilis, audiendo Missam et concionem.

5. Indulgentia plenaria visitando sacellum Associationis die, quo congressus generalis celebratur expositionis ornamentorum causa.

V. *Per Breve de die 23 Martii 1880 SSmus D. N. Leo PP. XIII. sequentes indulgentias concessit:*

1. Indulgentia plenaria die festo S. Francisci Assisinatis (4 Octobris), necnon S. Ignatii Loyolae (31 Julii) omnibus sodalibus, qui confessi et sacra Communione refecti dicta die a primis Vesperis usque ad solis occasum ecclesiam seu oratorium Instituti aut aliam ecclesiam sive oratorium, ubi ipsa Sodalitas instituta sit, vel etiam respectivam parochialem ecclesiam devote visitaverint, ibique pias ad Deum preces fuderint juxta mentem Summi Pontificis.

2. Indulgentia plenaria infra novenam expiatoriam, quae solemniter celebrari solet singulis annis in qualibet Instituti ecclesia vel oratorio, seu etiam in alia ecclesia aut oratorio, ubi memorata Sodalitas erecta existit, quae ab omnibus sodalibus lucrari potest, dummodo quinquies saltem piis novenae exercitiis adstiterint, et confessi ac sacra Communione refecti uno ex novem diebus ad uniuscujusque arbitrium ecclesiam vel oratorium, ut supra, ubi pio exercitio adfuerint, devote visitaverint, ibique oraverint juxta mentem Summi Pontificis.

Quae indulgentiae omnes et singulae animabus purgatorii applicari possunt.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium exhibitum ab Anna de Meeûs, Superiorissa Generali Societatis Sororum, quae ab Adoratione Perpetua SSmi Sacramenti et ab Opere pauperum ecclesiarum nomen habet, ex certis documentis desumptum ac per ejusdem Sacrae Congregationis Consultorem probatum uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse censuit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 6 Maji 1880.

Pius Delicati, Secret.

53.

Summarium indulgentiarum Archisodalitati sub titulo et invocatione B. M. V. Nostrae Dominae a Sacratissimo Corde Jesu necnon Sodalitatibus ipsi canonice aggregatis concessarum.

I. *Plenariae.*

1. Die, qua quis in Sodalitatem ingreditur *(Breve 24 Aug. 1877).*[1])

2. In articulo mortis *(Idem Breve).*

3. In festis Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis et Ascensionis D. N. J. C. *(Idem Breve).*

4. In festo Sacratissimi Cordis Jesu *(Idem Breve).*

5. In festis Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis, et Maternitatis B. Mariae Virginis immaculatae *(Idem Breve).*

6. In ultima die mensis Maji, qua titulare festum Dominae Nostrae a Sacro Corde celebratur, vel uno ex septem diebus continuis immediate sequentibus *(Idem Breve).*

7. Semel in mense, si recitatur quotidie corona in honorem Nostrae Dominae a Sacro Corde *(Breve 7 Jul. 1876).*

8. Semel in mense pro zelatoribus et zelatricibus, qui de Archiconfraternitatis mandato, et cum respectivorum Ordinariorum consensu id muneris funguntur *(Breve 7 Mart. 1877).*

[1]) Conditiones praescriptas pro hisce indulgentiis acquirendis ex Brevi citato referemus in fine hujus II. partis post Summaria.

II. *Septem annorum totidemque quadragenarum*

1. Feria quinta, vel Dominica cujuscumque hebdomadae *(Breve 24 Aug. 1877).*

2. In festis Praesentationis, et Visitationis B. M. V. *(Idem Breve).*

3. In festis S. Francisci Salesii (29 Januarii), S. Joannis Ap. et Ev. (27 Decembris), S. Joannis Baptistae (24 Junii), S. Bernardi Ab. (20 Augusti), et S. Augustini (28 Augusti) *(Idem Breve).*

4. In quatuor aliis anni festis diebus per respectivum Ordinarium semel tantum statuendis *(Idem Breve).*

NB. Eminentissimus Urbis Vicarius pro sodalibus Romae degentibus constituit dies festos: 1. SSmi Nominis B. M. V. (Dom. infr. oct. Nativ.); 2. Puritatis ejusd. B. M. V. (Dom. III. Oct.); 3. S. Annae (26 Jul.); 4. S. Joachim (Dom. infr. octavam Assumptionis B. M. V.) (Rescripto 5 Nov. 1877).

5. In uno alio anni die per Ordinarium pariter semel eligendo.

NB. Eminentissimus Urbis Vicarius constituit ultimum anni diem, quo solet pia Sodalitas de acceptis a populo christiano beneficiis publicas Deo gratias agere (Rescript. ut supr.).

III. *Septem annorum,*

Quoties sodales

1. Campanae signo dato pro agonizantibus preces fuderint.

2. Defunctos ad sepulturam associaverint.

3. Sacrosancto Missae sacrificio diebus ab Ecclesia non praeceptis devote adstiterint.

4. Conscientiam examinaverint.

5. Pauperes, aegrotantes, carcere detentos inviserint, et pacem inter inimicos composuerint *(Rescript. 24 Aug. 1877).*

IV. *Tercentorum dierum*

Semel in die pro recitatione coronae in honorem Nostrae Dominae a Sacro Corde *(Breve 7 Julii 1876).*

V. *Centum dierum*

Pro recitatione orationis gallicae: *Souvenez-vous, o Notre-Dame du Sacré-Coeur,* a s. m. Pio PP. IX. approbatae 13 Junii 1870 et in quocumque idiomate, dummodo versio

sit fidelis, unica, a V. Archiconfraternitate recognita, et a S. Cong. Indulg. approbata.

VI. *Sexaginta dierum*

Pro quolibet opere bono *(Breve 24 Aug. 1877).*

NB. Omnes hae recensitae indulgentiae per modum suffragii animabus in purgatorio degentibus applicari possunt. (Breve 24 Augusti 1877.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium cum suis originalibus eidem Sacrae Congregationi exhibitis collatum uti authenticum recognovit, ac typis imprimi et publicari permisit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 21 mensis Julii anni 1880.

Pius Delicati, Secret.

54.

Summarium indulgentiarum Archisodalitati S. Josephi concessarum.

Pius PP. IX. ad perpetuam rei memoriam. Expositum est nuper Nobis plurimos Almae Urbis Nostrae Christifideles probe intelligentes, quanta omnium virtutum copia S. Josephus Deiparae immaculatae Sponsus, divino praeconio Justus appellatus, eluxerit, piam Unionem [1]) sub titulo ejusdem nuper in ecclesia parochiali S. Rochi hujus Urbis canonice, ut praefertur, instituisse, cujus finis praecipuus est, ut sodales S. Josephi virtutes ad imitandum sibi aliisque proponentes, ejusque cultum inter fideles amplificare curantes patrocinium coeleste sibi adipiscantur. Quo vero facilius id consequantur, piae Unionis sodales Nobis humiles enixasque preces exhibendas curarunt, ut supernorum munerum thesauros, quorum dispensatores Nos esse Altissimus voluit, de benignitate Apostolica sibi reserare dignaremur. Nos, quibus vel maxime cordi est, ut erga S. Josephum,

[1]) Fel. rec. Pius PP. IX. Brevi *Universi Dominici gregis* d. d. 23 Sept. 1862 hanc piam Unionem titulo et privilegiis Archisodalitatis auxit, unde eadem gaudet privilegio sibi aggregandi quascumque Sodalitates sub quolibet titulo S. Josephi erectas.

qui Deiparae immaculatae Sponsus exstitit, et divini Redemptoris, cum in terris viveret, custos et nutritius fuit, fidelium devotio augeatur, exhibitis Nobis supplicationibus obsecundandum censuimus. Quare de omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam piam Unionem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta pia Unione confratribus et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae piae Unionis confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui praefatae piae Unionis ecclesiam seu capellam, vel quamlibet ecclesiam seu oratorium publicum in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, et Ascensionis D. N. J. C. festivitatibus, Dominica Pentecostes, et in solemnitate sanctissimi Corporis Christi; item in Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. festivitatibus; insuper die vicesimo tertio mensis Januarii a primis Vesperis, necnon die, quo in praefata ecclesia parochiali anniversariae supplicationes pro sodalibus defunctis fiant, ab ortu usque ad occasum solis dierum hujusmodi; tandem die festo S. Josephi, Deiparae immaculatae Sponsi, vel uno ex novem diebus continuis, et Dominica tertia Pascha Resurrectionis subsequenti, vel uno ex tribus diebus continuis immediate respective antecedentibus, cujusque confratrum et consororum arbitrio respective sibi eligendo, singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praescriptorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino con-

cedimus. Insuper dictis confratribus et consororibus saltem corde contritis, qui in qualibet feria quarta primo loco in singulos menses incidente pio exercitio, quod in honorem ejusdem S. Josephi in dicta parochiali ecclesia peragetur, devote adstiterint, septem annos totidemque quadragenas; qui septies trisagium quolibet die devote recitaverint, quinquaginta dies; qui tandem quodlibet opus bonum juxta piae Unionis institutum peregerint, toties centum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Porro memoratis sodalibus, qui infirma valetudine, vel legitima causa impediantur, quominus ecclesiam seu oratorium publicum, ut supra, visitent, ut de confessarii respectivi licentia et arbitrio id pietatis opus in alia commutare libere ac licite possint, auctoritate Nostra Apostolica per praesentes elargimur. Praeterea, ut quae ad altare quodlibet Missae celebrabuntur, animae seu animabus defunctorum piae Unionis olim sodalium, pro qua seu pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae; utque piae Unionis praeses nunc et pro tempore existens cingula a S. Josepho nuncupata cum applicatione indulgentiarum, quae ab hac Sancta Sede concessae sunt, benedicere, illaque sodalibus tradere possit, servata formula a Sacra Rituum Congregatione approbata die 19 Septembris 1859, eadem auctoritate Nostra Apostolica concedimus. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 14 Martii 1862 Pontificatus Nostri anno decimosexto.

B. Card. Barbarinius.

55.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum favore omnium et singularum Confraternitatum seu Sodalitatum sub titulo Sancti Amoris B. M. V. Auxiliatricis canonice erigendarum in Lusitania, Algarbiis et aliis ditionibus serenissimo regi fidelissimo subjectis juxta Decreta Sacrae Congregationis ex Audientia Sanctissimi die 26 Januarii et 9 Aprilis 1833.

I. *A Ven. Innocentio PP. XI.*

Indulgentiae plenariae. 1°. Indulgentia plenaria omnibus et singulis Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, sacraque Communione refectis die prima adscriptionis ad Confraternitatem seu Sodalitatem.

2°. Indulgentia plenaria in articulo mortis confratribus et consororibus confessis, sacraque Communione refectis, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contritis sanctissimum nomen Jesu ore, sin minus corde, devote invocantibus.

3°. Indulgentia plenaria in festo principali, die semel eligenda et ab Ordinario approbanda, rite dispositis, ut supra, et visitantibus ecclesiam seu capellam vel oratorium Confraternitatis, ibique orantibus pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione. Haec plenaria indulgentia potest applicari in suffragium fidelium defunctorum juxta concessionem Summi Pontificis Gregorii PP. XVI., ut infra.

Indulgentiae partiales. 1°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum quatuor diebus in anno ab Ordinario semel tantum designandis, rite dispositis visitantibus et orantibus, ut supra.

2°. Indulgentia sexaginta dierum pro quibuscumque piis operibus et exercitiis.

Quoad visitationem praescriptam ecclesiae seu capellae vel oratorii Confraternitatis SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. indulsit, ut a legitime impeditis servatis servandis quaecumque publica ecclesia substitui possit. — Pro recitatione autem Litaniarum in honorem B. M. V. s. m. Pius VII. concessit

in perpetuum indulgentiam tercentorum dierum etiam per modum suffragii fidelibus defunctis applicabilem.

II. *A Summo Pontifice Gregorio XVI. indulgentiae plenariae applicabiles quoque in suffragium fidelium defunctorum.*

Indulgentia plenaria in festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Purificationis, Annuntiationis, Visitationis et Assumptionis B. M. V., et in festo titulari, ut supra, et in festis S. Michaelis Archangeli, et Transitus et Patrocinii S. Joseph.

Privilegia. 1°. Omnes et singulae Missae celebrandae generaliter et uno complexu, vel particulariter pro animabus confratrum et consororum de Ecclesiae thesauro erunt privilegiatae perinde, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent.

2°. Presbyteris adscriptis indultum altaris privilegiati personalis in septem festivitatibus B. M. V. ac in festo titulari, ut supra.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita omnes et singulas concessiones in praesenti Summario recensitas et perpetuis futuris temporibus valituras uti authenticas habendas esse decrevit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 23 Aprilis 1833.

A. Card. **Frosini**, Praef.
L. Archiepiscopus Athenarum, Secret.

56.

Summarium indulgentiarum scapularis nigri SS. Crucis et Passionis D. N. J. Ch. [1])

I. Indulgentia plenaria eo die, quo Christifideles, scapulari suscepto, vere poenitentes et confessi sanctum Eucha-

[1]) Brevis notitia hujus scapularis. Scapulare nigrum insignibus Passionis Dominicae decoratum compendium est illius sacri indumenti, quod S. Paulus a Cruce, dum de sua Sodalitate instituenda cogitabat, coelitus accepisse fertur. Qua de re in ejus vita (apud Surium taurinensis editionis anni 1876) ita legitur: „In aestivis anni 1720 quadam die, postquam in ecclesia Fratrum Capucinorum sanctissimo Corpore Christi refectus fuerat, domum rediens repente a sensibus avocatur; et in Deum mente erectus, cum altissimo omnium animi virium silentio et creaturarum oblivione, vidit atra se veste indutum, ad laevam pectoris cruce alba, et sanctissimo Jesu nomine litteris itidem albis signata, simulque haec coelestia accepit

ristiae Sacramentum sumpserint, necnon aliquam visitaverint ecclesiam, ibique oraverint pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione. (Pius IX. in forma Brevis 28 Junii 1864.)

II. Indulgentia quadraginta dierum, quoties sive communiter sive privatim divini cultus et pietatis seu mortificationis praescriptos actus, et quodlibet spiritualis aut corporalis misericordiae opus erga proximum exercebunt, atque intererunt collationibus vel publicis vel privatis ad recolendam memoriam Passionis D. N. Jesu Christi, vel morum reformationem procurandam. (Clemens XIV. Bulla *Supremi Apostolatus.)*

III. Indulgentia plenaria in articulo mortis, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel, quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint. (Pius IX. Brevi cit.)

IV. In articulo mortis constituti benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria et remissionem peccatorum a sacerdote facultatem habente recipere possunt, si vere poenitentes et confessi, vel saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint. (Pius IX. Rescript. S. Congregationis Indulg. diei 28 Januarii 1877.)

V. Indulgentiae plenariae visitationi ecclesiarum Congregationis vel Confraternitatis Sanctissimae Crucis et Passionis

---

dicta: Qua puritate et quo candore exornari deceat cor illud, cui sanctissimum nomen Jesu inscriptum gestandum erit, hoc signum ostendit. Ad se reversus, dum visa et audita secum ipse revolvit, lacrymans prae gaudio, paullo post, haud longe absimili visione desiderio aggregandi sibi socios magis magisque incensus, mente concepit adumbratam regulae intelligentiam, quae ipsi una cum eis servanda foret. Deinceps quo ad tantum opus animum adjiceret, sanctissima Virgo Deipara illi sese conspiciendam dedit indutam eadem illa veste nigri coloris, ornata signo candido in cordis effigiem, ubi inter imminentem crucem et subjectos clavos haec cernebatur inscriptio: *Jesu Christi Passio.* Atque Paulum magno admirationis stupore perculsum alloquens coelestis Regina, suumque filium appellans, vultu moerente ait, se ita amictam esse in luctum pro Jesu nati sui saevissima Passione, atque ab eo Sodalitatem instituendam fore, quae eadem lugubri veste uteretur, et ejusdem Christi Domini mortem jugiter lugeret.“ (Ex libello una cum facultate benedicendi et imponendi dictum scapulare mihi tradito.)

D. N. Jesu Christi adnexae, quas in locis, ubi eaedem ecclesiae non existunt, lucrari possunt, qui sacrum scapulare receperint, visitando ecclesiam parochialem vel quamcumque aliam ecclesiam vel publicum oratorium; dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces ibi effuderint. (Pius IX. Rescripto S. Congregationis Indulg. die 28 Januarii 1877):

1. Feria III. post Dominicam Sexagesimae, solemnis Commemoratio Passionis D. N. Jesu Christi. (Pius VI. in forma Brevis 22 Maji 1779.)

2. Feria VI. post Dominicam Passionis, festum Septem Dolorum B. M. Virginis. (Pius VII. in forma Brevis 6 Septembris 1806.)

3. Die 19 Martii, festum S. Josephi immaculatae Deiparae Sponsi. (Pius IX. in forma Brevis 23 Martii 1877.)

4. Die 28 Aprilis, festum S. Pauli a Cruce, Congregationis Sanctissimae Crucis et Passionis D. N. Jesu Christi Institutoris. (Pius IX. in forma Brevis 7 Julii 1876.)

5. Dominica III. post Pascha, festum Patrocinii S. Josephi immaculatae Deiparae Sponsi. (Pius IX. in forma Brevis 23 Martii 1877.)

6. Die 3 Maji, festum Inventionis S. Crucis. (Pius VI. in forma Brevis 22 Maji 1779.)

7. Die 15 Augusti, festum Assumptionis B. Mariae Virginis. (Pius VII. in forma Brevis 6 Septembris 1806.)

8. Die 14 Septembris, festum Exaltationis S. Crucis. (Pius VI. in forma Brevis 22 Maji 1779.)

9. Dominica III. Septembris, festum Septem Dolorum B. Mariae Virginis. (Pius VI. in forma Brevis 22 Maji 1779.)

10. Die 29 Septembris, festum Dedicationis S. Michaelis Archangeli. (Pius VI. in forma Brevis 18 Augusti 1799.)

11. Die 21 Novembris, festum Praesentationis B. Mariae Virginis. (Pius VI. in forma Brevis 18 Augusti 1799.)

Omnes suprascriptas indulgentias ecclesiarum visitationi concessas Pius IX. Pontifex Maximus Litteris in forma Brevis diei 22 Maji 1857 in septem dies eadem festa im-

mediate subsequentes protulit; idcirco unusquisque eas etiam lucrari potest in quolibet die octavae eorumdem festorum. In utroque autem festo S. Josephi, et in festo S. Pauli a Cruce indulgentia applicari potest per modum suffragii animabus poenis purgatorii addictis.

Decretum. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, ac typis imprimi et publicari posse censuit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 10 Maji 1877.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

57.

Summarium indulgentiarum, quibus fruuntur Christifideles parvum caeruleum scapulare in honorem immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis a Clericis Regularibus Congregationis Theatinae,) vel ab aliis sacerdotibus facultatem habentibus benedictum gestantes, quas fel. rec. Gregorius PP. XVI. Decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die duodecima Julii 1845 probavit et confirmavit, quasque Pius PP. IX. s. m. die septima Junii 1850 etiam animabus in purgatorio existentibus suffragari posse declaravit.*

I. *Indulgentiae plenariae.*

Die, qua quis sacro induitur scapulari.

Si adscriptus ordinetur sacerdos, cum primam Missam celebrat.

---

*) Monendum est, tum Christifideles spiritualibus gratiis, indulgentiis ac privilegiis sacro scapulari adnexis fruituros, cum benedictum impositumque sit a quocumque Congregationis Theatinae sacerdote, vel a quovis cleri saecularis aut regularis presbytero, cui ab ejusdem Congregationis Generali Praeposito facultas et potestas facta fuerit, uti videre est in Apostolicis Literis in forma Brevis eidem datis die 19 Septembris anno 1851 a fel. rec. Pio PP. IX., quae sic se habent: *Itaque . . . tenore praesentium Literarum Praeposito Generali Clericorum Regularium Congregationis Theatinorum nuncupatorum nunc*

In articulo mortis. [1])

Cum spiritualia exercitia peraguntur, *semel in anno.*

Prima cujuslibet mensis Dominica die.

In sabbatis Quadragesimae.

Dominica die et feria sexta hebdomadae Passionis.

Feria quarta, quinta et sexta hebdomadae majoris.

In solemnitatibus Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis D. N. Jesu Christi, Pentecostes et SSmae Trinitatis.

In festis Conceptionis immaculatae, Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis B. Mariae Virginis.

Die 19 Martii, in festo Transitus S. Josephi, Sponsi B. M. Virginis.

Die 24 Martii (celebratur festum B. Josephi Mariae Card. Thomasii, Conf. Clerici Regularis).

Die 3 Maji, in festo Invent. S. Crucis D. N. J. C.

Die 17 Junii (celebratur festum B. Pauli Buralis, E. Card. de Aretio, Conf. Clerici Regularis).

Die 24 Junii, in festo Nativitatis S. Joannis Baptistae.

Die 29 Junii, in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Ultima die Dominica mensis Julii.

Die 2 Augusti, in festo B. Virginis Mariae Angelorum, vulgo *della Porziuncula.*

Die 7 Augusti, in festo S. Cajetani Thienaei, C. Clericatus Regularis Patriarchae.

---

et pro tempore existenti facultatem facimus, cujus vi quemlibet sacerdotem saecularem vel regularem delegare valeat ad effectum benedicendi et distribuendi sacra scapularia B. M. V. a Conceptione immaculata, prout sacerdotes dictae Congregationis benedicere ac distribuere solent.

Praecipuus autem scopus eorum, qui sacrum suscipiunt scapulare, eo spectat, ut scilicet Deum Optimum Maximum enixis exorent precibus ad hoc, ut pravi reformentur mores, perversique homines ad bonam frugem tandem aliquando adducantur. Neque vero ad id per-

---

[1]) Pro absolutione in articulo mortis adhibeatur formula praescripta in Constitutione *Pia Mater* s. m. Benedicti PP. XIV., quae prostat in Rituali Romano: *Ritus benedictionis Apostolicae in articulo mortis,* uti praescriptum habetur in Literis Apostolicis in forma Brevis SS. D. N. Leonis PP. XIII. datis sub die 7 Julii 1882.

Die 28 Augusti, in festo S. Augustini E. et D.

Die 14 Septembris, in festo Exaltationis S. Crucis, qua die Congregatio Clericorum Regularium initium sumpsit.

Die 29 Septembris, in festo S. Michaelis Archangeli.

Die 2 Octobris, in festo SS. Angelorum Custodum.

Die 15 Octobris, in festo S. Theresiae Virginis.

Die 1 Novembris, in festo Omnium Sanctorum.

Die 10 Novembris, in festo S. Andreae Avellini C. Clerici Regularis.

Die 13 Decembris (celebratur festum B. Joannis Marinonii, Conf. Clerici Regularis).

Prima et ultima die novendialium Nativitatis D. N. J. C.

In expositione SSmi Sacramenti per horas quadraginta *semel in anno.*

Quotidiana *semel in anno* acquirenda.

Semel in anno die a P. Praeposito Generali Clericorum Regularium statuenda.[1])

II. *Aliae indulgentiae.*

Indulgentiae Stationum ecclesiarum Urbis, ut videre est in Missali Romano, dummodo quis adeat ecclesiam Clericorum Regularium Congregationis Theatinae, ibique oret.[2])

Indulgentiae septem Basilicarum Urbis *bis in mense,* dummodo oretur ante septem altaria in dicta ecclesia Clericorum Regularium.[2])

Indulgentiae, quas lucrifaciunt, qui visitant Sanctum Sepulcrum et Terram Sanctam Palaestinae, *bis in mense* orando in eadem ecclesia.[2])

---

agendum appositae jubentur preces, sed vel ferventi fidelium observantiae, vel prudenti spirituum moderatoris arbitrio relinqui cautum est, quodnam precum, seu afflictationum genus ineant, quodque placitum sibi divinaeque placationi obtinendae aptum magis et opportunum Beatissima Immaculata Virgo efficiendum inspiret. Atque hic pariter monendum, nulla prorsus culpa aut poena eos, qui hanc praxim omiserint, irretiri, sed hoc in casu bonis spiritualibus tantummodo destitui, quae ad ea lucranda praescriptis operibus junguntur, sacrum

[1]) Statuitur a P. Praeposito Generali dies 12 Aprilis, anniversaria Canonizationis S. Cajetani.

[2]) Vide infra pag. 579, verbo Denique.

Insuper si quis recitet *sex Pater, Ave* et *Gloria* in honorem SSmae Trinitatis et B. Mariae Virginis sine labe conceptae, orando, ut dignetur Deus sanctam Ecclesiam catholicam triumphis quotidie augere, haereses exstinguere, pacem et concordiam inter christianos principes fovere, universas sibi comparat indulgentias septem Urbis Basilicarum, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi Compostellae.

Praeterea S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita in comitiis generalibus habitis die 31 Martii 1856 decreto suo declaravit, supradictas indulgentias septem Urbis Basilicarum, Portiunculae, Jerusalem et S. Jacobi Compostellae toties quoties acquiri posse, et quocumque loco preces fuderint, servato decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 7 Martii 1678 approbato ab Innocentio XI., quod incipit *Delatae saepius*,[1]) neque oportere alias preces addere, ac Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptionem praemittere, sed sufficere *sex* tantum *Pater, Ave* et *Gloria* recitari, uti supra, easque applicabiles etiam esse animabus in purgatorio degentibus. Quod quidem decretum Pius PP. IX. s. m. die 14 Aprilis ejusdem anni 1856 benigne approbavit.

60 annorum, quando quis horae dimidio animam sacris meditationibus exercet.

20 annorum, quando quis infirmos invisit, ut eos corporaliter vel spiritualiter aliquo modo coadjuvet, aut si impediatur, pro eis recitet *5 Pater, Ave* et *Gloria Patri.*

---

nempe scapulare gestandi semper, precesque Deo porrigendi juxta mentem Summorum Pontificum, qui indulgentias hujusmodi elargiti sunt. Quod si quis brevem et cuique aptam methodum exquirat, ea esset, ut scilicet quotidie Angelicam Salutationem duodecies in peculiarem duodecim privilegiorum Beatissimae Virginis honorem, ac ter *Pater noster*, terque *Gloria Patri* in honorem Sanctissimae Trinitatis humillime recitet, sicuti sancto Andreae Avellino moris erat, omnibusque id agere solerter insinuabat.

Praeter enuntiata pietatis opera tria etiam necessaria sunt: 1. animae a peccatis omnibus mundities; 2. virtutum exercitatio;

---

[1]) Juxta memoratum decretum indulgentia plenaria pro vivis concessa in diem certum, ecclesiam locumve visitantibus, non acquiritur nisi semel in die.

20 annorum: In octavis festorum Domini.

In festis Sanctorum ex Ordinibus regularibus Eremitarum S. Augustini, Praedicatorum, Carmelitarum, SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum, et Servorum B. Mariae Virginis.

7 annorum et totidem quadragenarum: In ceteris festis minoribus B. Mariae Virginis.

Quoties ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedatur.

Quando quis SS. Sacramentum, quod ad infirmos defertur, comitetur.

Si *7 Pater, Ave* et *Gloria* pro infirmo, qui sacram recepit Eucharistiam, recitentur.

In singulis anni festis, in quibus plenaria indulgentia conceditur, dummodo ecclesia Clericorum Regularium Congregationis Theatinae visitetur, quin opus sit, ut Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta suscipiantur. (Vide infra p. 579 Verb. Denique.)

Qualibet die ad Vesperas, si *Salve Regina* recitetur, ac pro Ecclesiae necessitatibus precationes fundantur.

A Dominica die Septuagesimae ad diem Dominicam Palmarum *semel in die,* dummodo sacra Eucharistia sumatur, et *7 Pater, Ave* et *Gloria* pro Ecclesiae necessitatibus dicantur.

In festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis, si qua eleemosyna impendatur.

In tribus feriis sextis cujusque mensis, si ad sacram Synaxim accedatur.

In septem diebus novendialium Nativitatis D. N. J. C.

Qualibet feria secunda visitando Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum.

---

3. perseverantia in iis erga Beatam Virginem immaculatam operibus peramanter excolendis; ait enim S. Bernardus: ***Perseverantia sola meretur coronam.*** (Epist. 122.)

Scapulare immaculatae Conceptionis panno aut sagulo caerulei coloris efformetur opus est, uti ex Literis Apostolicis constat, eo quia scapulare Sanctimonialium Eremitarum Congregationis Theatinae ita exstruitur, quemadmodum venerabilis fundatrix Ursula Benincasa

5 annorum et totidem quadragenarum qualibet die, visitando ecclesiam Clericorum Regularium Theatinorum, atque etiam aliam ecclesiam, recitando *5 Pater, Ave* et *Gloria.*

300 dierum qualibet die octavae Pentecostes.

200 dierum, si Dei verbum audiatur.

60 dierum, si quod pietatis opus peragatur.

50 dierum, si sacra Jesu et Mariae nomina devote invocentur.

50 dierum, si *Pater, Ave* et *Gloria* recitetur pro vivis et defunctis quacumque in ecclesia.

Insuper quoties Missae sacrificium pro aliquo defuncto celebratur, qui sacrum rite benedictum gestaverit scapulare caeruleum, altare, in quo illud Deo offertur, tamquam *privilegiatum* habetur.

Denique fel. rec. Pius PP. IX. sub die 3 Decembris 1847 praedictum scapulare gestantibus concessit pariter, ut iis in locis, in quibus deest ecclesia Clericorum Regularium, quam ad lucrandas quasdam ex supradictis indulgentiis adire, ibique orare deberent, aliam ecclesiam, in qua tamen aliquod adsit altare B. Mariae Virginis, substituere valeant.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Augusti 1882.

Franciscus Della Volpe, Secret.

---

instituit ac jussit. Quae panno vel sagulo conjungi solet Mariae Virginis imago, ornamenti loco habenda est, ut Christifidelium pietas magis magisque excitetur. Scapulare autem semper diu noctuque super humeris gestetur oportet, ita ut anterior pars ex humeris ad pectus, posterior ad tergum descendat, quemadmodum ipsa *scapularis* vox significat. Obsoleto denique scapulari benedicto, novum, quo quemque uti necesse est, nova non indiget benedictione. (Ex libello una cum facultate benedicendi et imponendi dictum scapulare mihi tradito, pag. 7—9.)

58.

Summarium indulgentiarum plenariarum et partialium, quae concessae fuerunt piae Unioni seu Societati Immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae erectae Romae in ven. ecclesia Aracoeli a s. m. Pio VII., denuo confirmatae, concessae et adauctae a s. m. Pio IX. [1])

I. *Indulgentiae plenariae.*

1. In festis immaculatae Conceptionis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Beatissimae Virginis.

2. Prima Dominica cujusque mensis et ultima Julii, unoquoque Quadragesimae sabbato, die Dominica ac feria sexta Passionis, in feriis quarta, quinta et sexta majoris hebdomadae.

3. In festis solemnioribus Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Nativitatis Domini, ac prima et ultima die novendialium ejusdem sanctae Nativitatis.

4. In festis S. Joannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Augustini, S. Michaelis Archangeli, SS. Angelorum Custodum, Transitus S. Joseph, Inventionis S. Crucis.

5. Diebus 24 Martii, 17 Julii, 7 Augusti, 14 Septembris, 10 Novembris, 13 Decembris.

6. Die, quo quispiam in Sodalitatem adsciscitur; semel in anno pro Oratione quadraginta horarum; iterum pro sanctis exercitiis spiritualibus; iterum ad cujusque libitum; iterum die a praeside et rectore piae Unionis designanda.

7. In articulo mortis.

II. *Indulgentiae partiales.*

1. Sexaginta annorum, si quotidie per mediam horam orationi mentali vacabitur.

2. Viginti annorum, si infirmos visitent, eosque sive spiritualiter sive corporaliter adjuvent, vel impediti quinque *Pater, Ave, Gloria* pro eis recitent. Haec ipsa indulgentia locum habet cunctis diebus octavarum Domini. Item locum habet diebus mensium hic adnotatis, scilicet: 19, 22, 23, 28 Januarii; 4, 8, 10, 12, 13, 14, 15, 25 Februarii; 6, 7,

[1]) Quae quidem ab indulgentiis in Summario 57. contentis haud differre videntur. Vide Rescript. 393. pag. 306.

13, 29 Martii; 5, 8, 20, 29, 30 Aprilis; 4, 5, 10, 16, 17, 21, 25 Maji; 12, 14, 19 Junii; 13, 20 Julii; 4, 7, 13, 16, 20, 23, 27, 28, 30 Augusti; 2, 5, 10, 18, 25 Septembris; 10, 16, 21, 26, 30 Octobris; 13, 14, 20 Novembris; 14, 16 Decembris.

3. Septem annorum et septem quadragenarum in omnibus festis Beatissimae Virginis Mariae. Item quotiescumque adscripti confessi fuerint peccata et ad sacram Synaxim accesserint.

4. Quinque annorum et quinque quadragenarum, si aliquam ecclesiam visitaverint, et quinque *Pater, Ave, Gloria* devote recitaverint.

5. Tercentorum dierum per totam octavam Pentecostes.

6. Ducentorum dierum, si sacris concionibus interfuerint.

7. Sexaginta dierum pro quolibet christianae pietatis opere.

8. Quinquaginta dierum, quoties sanctissima Jesu et Mariae nomina reverenter pronuntiaverint.

9. Insuper quoties unum *Pater, Ave* (et *Gloria)* in aliqua ecclesia pro vivis et defunctis recitaverint.

Praeter haec omnia, sodales consequentur:

1. Indulgentias *Stationum* Urbis, modo diebus in Missali Romano adnotatis ecclesiam suae Congregationis visitaverint.

2. Indulgentias *septem ecclesiarum Urbis* bis in mense, si septem altaria ecclesiae, ut supra, visitaverint: et ubi ecclesia tot altaria non habeat, septies visitationes iteraverint.

3. Indulgentias S. Sepulchri et Terrae Sanctae, si bis in mense ecclesiam, uti praemittitur, visitaverint.

4. Indulgentias Basilicarum Urbis, Portiunculae, Hierosolymae, et S. Jacobi in Gallaecia, recitantes sex *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem Sanctissimae Trinitatis et Mariae Virginis immaculatae, orantesque pro haeresum exstirpatione, pro christianorum principum concordia ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione.

Insuper omnes Missae pro defunctis piae Unioni adscriptis celebratae gaudent altari privilegiato. [1])

---

[1]) Huic piae Unioni aggregatum est *Pactum Marianum* seu *Confoederatio,* quae sub glorioso titulo, invocatione et praesidio immaculate conceptae Virginis

Ut autem sodales se praestent dignos, qui hujusmodi gratias et indulta participent, illud divi Bonaventurae pro certo firmoque habeant, nempe Ecclesiam non dissipare, sed aequissima lance Dei munera distribuere, atque eo sacras

---

Mariae in ecclesia PP. Franciscanorum Ingolstadii in Bavaria canonice erecta et longe lateque propagata est, cujus statuta a Reverendissimo Ordinario Eystadiensi die 19 Septembris 1883 approbata hic subjicienda duximus:

Statuta Pacti Mariani seu Confoederationis, quae sub glorioso titulo, invocatione et praesidio immaculate conceptae Virginis et gratia plenae Matris Mariae in ecclesia PP. Franciscanorum Ingolstadii canonice erecta et piae Unioni Immaculatae Conceptionis Mariae Sanctissimae in ecclesia Aracoelitana Romae incorporata est.

1. Postulantes in propria persona se sistant, ut recipiantur in Confoederationem. Ubi autem hoc commode fieri nequit, recipi etiam possunt in absentia per interpositas personas, sive per literas. (S. C. Indulg. decr. d. d. 26 Novembris 1880.) — Neque inscii, neque nolentes, neque defunctae personae adscribantur. Insuper nomen et cognomen recipiendorum distincte notetur, et receptio in Confoederationem tunc tantum valida est, quando inscriptio in librum confoederatorum generalem in Conventu Ingolstadt rite peracta est.

2. Singuli sodales diligenter curent, ut quolibet recurrente anno, et quidem statuto die, si fieri potest (sin autem, quam primum) unum Sacrum Deo offeratur ad intentionem Pacti Mariani. — Est autem haec Missae intentio quintuplex: a) in honorem immaculatae Virginis Deigenitricis Mariae, b) ad impetrandam beatae mortis horam, c) ad impetrandum felicem vitae finem iis sodalibus, qui morti proximi existunt, d) pro vivis et defunctis sodalibus, et e) specialiter pro sodale novissime defuncto. — Sufficit, si applicatio Missae fiat „ad intentionem Pacti Mariani Ingolstadiensis“.

3. In perenne signum sibimetipsis injunctae venerationis B. M. V, sodales tali modo cultum B. V. Mariae exercere et promovere assuescant: a) diebus B. M. V. festivis et singulis sabbatinis formulam aggregationis Confoederationis Marianae devote dicant, b) obsequium pium erga B. V. Mariam semper exerceant imitando ejusdem virtutes, imprimis cardinales; quem in finem saepius per singulas hebdomadas rosarium parvum immaculatae Conceptionis B. V. M. recitent.

4. Ut finem quietum et beatum in mortis hora consequi mereantur sodales, coelites Patronos sibi eligere et invocare curent, imprimis S. Michaelem Archangelum, beatum Joseph, Patronum Ecclesiae et morientium, beatam Virg. et Mart. Barbaram, aliosque Sanctos, quibus specialiter sunt addicti.

5. Assuescant sodales elicere actus fidei, spei et caritatis, necnon verae contritionis de peccatis; meditentur vanitatem mundi et rerum temporalium, certum, ast inopinatum esse finem vitae, neque homini, sed soli Deo notum, cujus voluntati omni momento pie, humiliter et omnimode sese subjiciant.

6. Ad sonitum campanae pro aliquo moriente vel defuncto meminerint animae illius atque *Pater* et *Ave* pro ea dicant, maxime si fuerit consodalis.

7. Sodales SS. Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae saepesaepe se muniant, insuper satagant indulta et privilegia Confoederationis Marianae maxime proficua acquirere et promereri.

8. Cum pro impressione statutorum, formularium, imaginum et catalogi adscriptorum et defunctorum, insuper pro persolutione Missae sacrificiorum et specialiter pro solemnissime celebrando festo Immaculatae Conceptionis B. V. M. et per totam octavam insequentem tot et tantae expensae existant, rogantur sodales, aliqualem pro facultate pecuniae eleemosynam in receptione et annuatim benigne ecclesiae B. M. V. Franciscanorum elargiri.

indulgentias potissimum spectare, ut omnes *humilitati, cordis contritioni, morum emendationi, vitiorum fugae, ac conversioni ad Deum* animum intendant.

Quum igitur hujus gratiarum spiritualium thesauri participes fieri ipsi velint, quantumcumque possunt, animum ab omni peccati labe et ab omni in illud affectu purgare, misericordiae et pietatis opera praestare, orare et deprecari pro peccatorum conversione, proque sanctae Ecclesiae necessitatibus studeant.

Quod ad preces fundendas pertinet, cujusque eorum erit recitare quotidie, saepe saltem in hebdomada, *corollam* (italice *coroncina)*, seu *duodecim Ave Maria*, cum tribus *Gloria Patri*, demum orationem jaculatoriam: *Benedicta semper sit sancta et immaculata Conceptio Beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei*, in honorem duodecim privilegiorum ejusdem Matris Dei. — Praeterea sodales induere sibi poterunt scapulare, vel numisma Mariae Virginis immaculatae a praeside Unionis benedictum.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, typis imprimi ac publicari posse permisit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 22 Decembris 1854.

A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

59.

Summarium indulgentiarum ac bonorum spiritualium, quae concessa sunt iis, qui piae Unioni sub titulo B. M. V. Boni Consilii in oppido Genestani, Praenestinae dioeceseos, erectae nomen dederunt.

1. Indulgentia plenaria ipso die lucranda, quo quis piae Unioni adscribitur, aut die Dominica vel festo proxime secuturo, in quo confessus sacram Synaxim recipit.

2. Indulgentia plenaria (etiam purgatorii animabus applicanda) in quinque diebus festis Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V., et in quatuor sabbatis anni, uniuscujusque adscripti lubitu

eligendis, dummodo confessus ac sacra Communione refectus in diebus supradictis aliquam adeat ecclesiam, ac per aliquod temporis spatium oret ad mentem Summi Pontificis, qui eam concessit.

3. Indulgentia plenaria in articulo mortis, si confessus et sacra Communione refectus, vel si id facere nequeat, si vere contritus, ore, sin minus, corde sanctissima Jesu et Mariae nomina invocet.

4. Indulgentia septem annorum ac totidem quadragenarum (ipsis etiam animabus in purgatorio detentis applicanda) in festis Visitationis et Praesentationis B. M. V., si contritus aliquam saltem ecclesiam visitet et oret . . . . (ut in num. 2).

5. Indulgentia plenaria (adscriptis defunctis applicanda) eo die, quo quis celebrabit aut celebrandam curaverit Missam in Unione praescriptam, aut Missam suppleverit sacra Communione, si confessus etc. (sicut in num. 2).

6. Indulgentia plenaria (animabus etiam in purgatorio detentis applicanda) pro cunctis piae Unioni adscriptis ubique terrarum degentibus die 26 Aprilis, aut quolibet alio die, quo de licentia legitimae auctoritatis celebrandum sit festum Sanctissimae Mariae Virginis Boni Consilii, modo sacro novendiali publice indicto quinquies saltem, aut singulis tridui diebus, ubi hoc solum fiat, interfuerint et vere poenitentes confessi et sacra Communione refecti ecclesiam adierint, in qua dictum festum celebrabitur, ibique pro christianorum principum concordia, pro haeresum exstirpatione, pro peccatorum conversione et pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione orabunt. (Pius IX. Breve *Expositum nuper* die 16 Martii 1875.)

7. Indulgentia plenaria (ut supra applicanda) pro cunctis adscriptis, qui in iis morantur locis, in quibus publica non fiunt novendialia vel publicum triduum, si unum aut alterum privatim egerint, ac die 26 Aprilis vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti parochialem aut principem loci ecclesiam Sanctissimae Virgini dicatam devote visitaverint, ibique, ut supra, oraverint. (Breve jam allegatum.)

8. Indulgentia septem annorum ac totidem quadragenarum (ut supra applicanda), quocumque die adscripti corde

saltem contrito publicae novenae aut triduo adfuerint, aut alterutrum privatim fecerint. (Breve jam allegatum.)

9. Indulgentia plenaria (ut in num. 5 applicanda) cuilibet, si confessus et sacra Communione refectus solemni adfuerit Missae, quae singulis annis pro omnibus Unioni adscriptis in altari ipsius sanctuarii celebrari solet aliquo die infra octavam Apparitionis, quae cadit in diem 25 Aprilis.

10. Indulgentia plenaria (ut in num. 5 applicanda) in uno ex novem diebus diem 25 Aprilis *inclusive* subsequentibus, si adsint novenae, quae pro universis adscriptis habetur Genestani *(Genazzano);* et in reliquis octo diebus ejusdem novenae indulgentia septem annorum et septem quadragenarum, quatenus confessi etc.

11. Indulgentia sexaginta dierum, quotiescumque aut processiones, aut SS. Sacramentum ad infirmos, aut mortuos ad sepulturam devote comitentur, aut quinque *Pater* et *Ave* pro defunctis recitent, aut pietatis et devotionis, misericordiae et caritatis opera exerceant, cujusmodi sunt pacem inter inimicos componere, mores corrigere, christianis officiis imbuere, eleemosynam erogare, et his similia.

12. Quisque ex adscriptis piorum operum plurimorum particeps erit, quae anni decursu in dicto sanctuario exercentur.

Haec omnia capitulis erectionis memoratisque Literis Apostolicis et Sacrae Congregationis Indulgentiarum Decreto innituntur.

Die 25 Junii 1875. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi ac publicari posse censuit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis.

J. Card. **Ferrieri**, Praef.

Pro R. P. D. Secretario **Marianus Merlini-Nolfi.**

60.

Summarium indulgentiarum Sodalitati Catechismi Perseverantiae in dioecesi Cenomanensi concessarum.

(Habetur supra pag. 271 in Rescripto 358.)

61.

Summarium indulgentiarum a fel. rec. Pio VII. concessarum piae Sodalitati S. Cordis B. M. V. canonice erectae Romae in insigni collegiata et parochiali ecclesia S. Eustachii, et confirmatarum in perpetuum a SSmo D. N. Gregorio XVI. per Rescriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum de die 29 Martii 1844.

Indulgentia plenaria in die, quo aggregantur fratres et sorores piae Sodalitati, si confessi et sacra Communione refecti orent secundum intentionem Summi Pontificis.

Indulgentia 300 dierum toties, quoties intererunt devotioni, quae exercetur in ecclesia S. Eustachii singulis diebus mensis S. Cordi Mariae dedicati.

Indulgentia plenaria in die, qua a Sodalitate celebratur festum S. Cordis Mariae, si confessi et sacra Communione refecti visitent supradictam ecclesiam, et orent, ut supra.

Indulgentia plenaria in articulo mortis, si contriti invocent saltem corde, si lingua non possint, sanctissimum nomen Jesu.

Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in quatuor Dominicis praecedentibus festum S. Cordis Mariae.

Indulgentia plenaria lucranda semel in mense ad arbitrium uniuscujusque aggregati, si confessi et sacra Communione refecti visitent, ut supra.

Indulgentia plenaria in die S. Josephi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, in una ex feriis sextis Quadragesimae, et feria sexta Passionis, si confessi et sacra Communione refecti visitent, ut supra.

Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in aliis feriis sextis Quadragesimae.

Indulgentia plenaria, si interveniant expositioni Sanctissimi Sacramenti, quae ultima Dominica singulorum mensium fit in dicta ecclesia in capella S. Cordis B. M. V.

Indulgentia plenaria in die Communionis generalis, quae fit in ecclesia S. Eustachii.

Indulgentia 60 dierum cuicumque, qui in dicta ecclesia aut oratorio piae Sodalitatis audiet Missam, aut intererit

divinis officiis, aut comitabitur cadavera, aut pacem componet inter inimicos, aut interveniet processioni Sanctissimi Sacramenti, aut quando portatur ad infirmos, aut faciet quodcumque aliud opus pium.

Omnes supradictae indulgentiae possunt applicari defunctis.

Omnia etiam altaria ecclesiae S. Eustachii sunt privilegiata pro iis Missis, quas aggregati facient celebrare in suffragium defunctorum fratrum et sororum piae Sodalitatis.

Tandem conceduntur omnibus aggregatis eaedem indulgentiae, quae acquiruntur in visitatione earum ecclesiarum, in quibus habetur Statio, dummodo visitent praedictam ecclesiam S. Eustachii diebus Stationum in Missali Romano descriptarum. (Cfr. Rescriptum 313, supra pag. 239.)

Omnes illas indulgentias, pro quibus lucrandis praescripta est visitatio ecclesiae S. Eustachii, lucrari possunt aggregati legitime impediti, quominus hanc instituant visitationem, dummodo adimpleant aliquod opus pium, quod sibi injungi facient a proprio suo confessario.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium uti authenticum recognovit, ac typis imprimi posse censuit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Aprilis 1844.

A. Archipr. Prinzivalli, Substit.

62.

Summarium indulgentiarum Sodalitati perpetuae adorationis SS. Cordis Jesu in ecclesia B. M. V. de Pace Urbis concessarum.

(Vide supra pag. 274 in Rescripto 361.)

63.

Summarium omnium indulgentiarum et privilegiorum a Summis Pontificibus concessorum ecclesiae et monasterio perpetuarum adoratricum Sanctissimi Sacramenti Romae.

Monitum. Pro lucranda quacumque indulgentia praeter opera particularia injuncta, quae praescribentur, requiritur pro plenaria Confessio et Communio, visitatio propriae ecclesiae, et ut ibi per aliquod temporis spatium oretur juxta

mentem Summi Pontificis; et pro partiali, ut habeatur saltem cordis contritio.

1°. Indulgentia plenaria quotidiana etiam defunctis applicabilis, lucranda semel in anno in die ad arbitrium tam Monialium et commensalium, quam pro omnibus utriusque sexus fidelibus. *(Leo XII. 30 Julii et 13 Augusti 1828; Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

2°. Indulgentia partialis quotidiana septem annorum et totidem quadragenarum applicabilis, ut supra, lucranda semel in die, visitando ecclesiam monasterii, a Monialibus, commensalibus et ab omnibus fidelibus. *(Leo XII. in Rescriptis citatis.)*

3°. Indulgentia plenaria per totum anni cursum pro Monialibus et commensalibus et omnibus fidelibus, visitando Jesum in Sanctissimo Sacramento, lucranda quolibet spatio temporis quadraginta horarum, et partialis decem annorum et decem quadragenarum lucranda semel singulis diebus ad normam concessionum factarum pro Oratione continua quadraginta horarum. *(Pius VII. 28 Augusti 1818, et Leo XII. 13 Augusti 1828.)*

4°. Indulgentia plenaria dicta Portiunculae, applicabilis, ut supra, lucranda *toties quoties* a Monialibus et commensalibus die 2 Augusti, incipiendo a primis Vesperis. *(Pius VII. et Leo XII. in Rescriptis citatis.)*

5°. Omnes indulgentiae Stationum Urbis Romae descriptarum in Missali Romano, lucrandae a solis Monialibus et commensalibus. *(Rescripta citata.)*

6°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, lucranda a puellis in die ingressus in monasterium, vestitionis, professionis, renovationis votorum et vestitionis ancillarum B. M. V. habitu Virginis Dolorosae. *(Leo XII. 30 Julii et 13 Augusti 1828.)*

7°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, solis Monialibus et commensalibus in festis Nativitatis D. N. J. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Dominica Resurrectionis, Ascensionis, Dominica Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, et in duobus festis B. M. V. Perdolentis, incipiendo a primis Vesperis. *(Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

8°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus et commensalibus in festo Corporis Christi, incipiendo a primis Vesperis. *(Rescriptum citatum.)*

9°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus et commensalibus in die Coenae Domini et in octava Corporis Christi. *(Rescriptum citatum.)*

10°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus et commensalibus in quolibet ex sex diebus infra octavam Corporis Christi, lucranda semel in die. *(Rescriptum citatum.)*

11°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, pro festo et octava Corporis Christi, lucranda semel tantum spatio dicti temporis a solis fidelibus, qui in saeculo vivunt, incipiendo a primis Vesperis festi. *(Rescriptum citatum.)*

12°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, lucranda a solis Monialibus semel in singulis mensibus, faciendo secessum spiritualem sive in communi, sive privatim a singulis in particulari, die ad arbitrium. *(Rescriptum citatum.)*

13°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus semel in singulis mensibus, faciendo in die vel nocte unam horam orationis sibi assignatam ante Sanctissimum Sacramentum expositum aut tabernaculo inclusum. *(Rescriptum citatum.)*

14°. Indulgentia plenaria applicabilis, ut supra, pro Monialibus et commensalibus lucranda semel in anno, faciendo exercitia spiritualia, dummodo saltem quinquies interfuerint concionibus. *(Rescriptum citatum.)*

15°. Indulgentiae Scalae Sanctae semel in mense pro solis Monialibus et commensalibus, die ad arbitrium suum eligenda, ascendendo in hunc finem destinatam scalam intra monasterium. *(Leo XII. 30 Julii, 13 Augusti 1828; Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

16°. Indulgentiae septem ecclesiarum semel in mense die assignanda ab Ordinario pro solis Monialibus et commensalibus, visitando septem altaria propriae ecclesiae aut capellas internas monasterii, si habeantur, alias repetendo visitationes ad eadem altaria, quae existunt. *(Citata Rescripta.)*

17°. Omnes indulgentiae plenariae et partiales concessae piis Sodalitatibus, Congregationibus aut Confraternitatibus, quibus adscriptae sunt aut adscribentur solae Moniales et commensales, recitando quotidie quinque *Pater, Ave* et *Gloria* in honorem SS. Sacramenti loco operum injunctorum dictis piis Sodalitatibus, etc., exceptis tamen abstinentiis et jejuniis, pro quibus debebunt petere commutationem in alia opera pia a respectivis confessariis. *(Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

18°. Confessarii et directores, qui assistunt Monialibus et commensalibus in communi aut in particulari, habent facultatem easdem adscribendi piis Sodalitatibus, Congregationibus, aut Confraternitatibus erectis Romae, etiam dependentibus ab Institutis regularibus, ipsisque benedicendi et imponendi parvos habitus sive scapularia, benedicendi funiculos, cingula, coronas et rosaria cum eodem ritu praescripto iisdem Confraternitatibus, et commutandi in alia opera pia jejunia, abstinentias a carnibus aliasque regulas statutas, et in articulo mortis dandi ipsis analogas benedictiones aut absolutiones respectivas;[1]) et iidem confessarii et directores, ut supra, habent facultatem benedicendi coronas S. Michaelis Archangeli, applicando indulgentias descriptas in decreto Sac. Rit. Cong. 8 Augusti 1851. *(Pius IX. 27 Aprilis 1852 et 24 Januarii 1853.)*

19°. Indulgentiae et privilegia omnia concessa ecclesiis et altaribus respectivarum Confraternitatum concessa sunt ecclesiis et altaribus Instituti earum pro solis Monialibus et commensalibus, adimplendo conditiones praescriptas. *(Pius IX. in Rescripto citato.)*

20°. Indulgentia plenaria in articulo mortis pro solis Monialibus et commensalibus rite dispositis, invocando sanctissimum nomen Jesu corde, si ore non possint. *(Pius VII. 28 Augusti 1818, Leo XII. 13 Augusti 1828, Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

21°. Unum altare ecclesiae, ubi expositum est SS. Sacramentum, est privilegiatum quotidianum perpetuum pro omnibus fidelibus defunctis. *(Leo XII. 13 Augusti 1828.)*

[1]) Vide tamen decretum novum S. R. C. d. d. 7. Maji 1882 in Decret. auth. S. Cong. Indulg. pag. 410.

22°. Omnia altaria ecclesiae sunt quotidie privilegiata in perpetuum pro solis Monialibus defunctis. *(Pius VII. 28 Augusti 1818, Leo XII. 13 Augusti 1828, Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

23°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro Monialibus et commensalibus, quotiescumque visitant aliquod oratorium internum ab Ordinario designandum. *(Pius VII. 28 Augusti 1818, Leo XII. 13 Augusti 1828.)*

24°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, lucranda a Monialibus, commensalibus et omnibus fidelibus interveniendo Officio, quod recitatur aut cantatur coram Sanctissimo Sacramento, aut functionibus, quae fiunt, aut precibus, quae dicuntur alta voce in choro aut ecclesia. *(Leo XII. 30 Julii, 13 Augusti 1828, Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

25°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro Monialibus et commensalibus et pro omnibus fidelibus toties, quoties genuflectunt ante Sanctissimum Sacramentum in ecclesia Instituti. *(Rescriptum citatum.)*

26°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro Monialibus et commensalibus, et pro omnibus fidelibus, qui recitabunt sequentes quatuor orationes jaculatorias: *Te adoro omni momento, etc., Jesu Cor Mariae, etc. Tibi do cor meum, etc. Sit ab omnibus laudatum, etc. (Leo XII. 30 Julii et 13 Aug. 1828, Gregorius XVI. 20 April. 1844.)*

27°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus, quando ordine suo facient adorationes coram Sanctissimo Sacramento, et in iis, quas faciunt singulis feriis sextis Sanctissimae Virgini dolore transfixae, sicut etiam in 24 horis, quibus illi societatem faciunt compatiendo ejus doloribus; in gratiarum etiam actione erga Sanctissimam Trinitatem, quae singulis diebus fit a Monialibus hora secunda noctis, et in quotidiano earum secessu seu praeparatione ad mortem. *(Rescripta citata.)*

28°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus, osculando suum scapulare, cui impressa est effigies Sanctissimi Sacramenti. *(Rescripta citata.)*

29°. Indulgentia partialis septem annorum et totidem quadragenarum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus, comitando cum lumine aut sine lumine Sanctissimum Sacramentum, quando portatur ad aliquam infirmam. *(Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

30°. Indulgentia partialis trium annorum et trium quadragenarum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus toties, quoties dicent suas culpas, sicut a Paulo V. fel. rec. concessum fuit Clarissis. *(Leo XII. 30 Julii et 13 Augusti 1828, Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

31°. Indulgentia partialis septem annorum pro solis Monialibus, quotiescumque recitabunt orationem: *Pater aeterne, tibi offero etc. (Leo XII. 19 Maji 1828.)*

32°. Indulgentia partialis 300 dierum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus singulis diebus in recitatione Officii divini vel Beatae Virginis Mariae. *(Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

33°. Indulgentia partialis trium annorum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus et commensalibus, pro qualibet hora aut media hora, qua sive in die sive nocte permanebunt coram Sanctissimo Sacramento. *(Rescriptum citatum.)*

34°. Indulgentia partialis 300 dierum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus et commensalibus, pro singulis visitationibus, quas instituent coram Sanctissimo Sacramento. *(Rescriptum citatum.)*

35°. Indulgentia partialis 300 dierum applicabilis, ut supra, lucranda a Monialibus, commensalibus, et ab omnibus aliis fidelibus singulis diebus omnium novenarum, septenarum et triduorum, quae fient in propria ecclesia. *(Leo XII. 30 Julii et 13 Aug. 1828, Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

36°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro Monialibus et commensalibus et aliis fidelibus, interveniendo cuilibet functioni vel orationi, quae recitatur in Directorio adorationis. *(Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

37°. Indulgentia partialis 30 dierum applicabilis, ut supra, pro Monialibus, commensalibus et aliis fidelibus, inclinando caput ad *Gloria Patri. (Leo XII. 30 Julii et 13 Augusti 1828, Gregorius XVI. 20 Aprilis 1844.)*

38°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro Monialibus, commensalibus et pro aliis fidelibus pro singulis vicibus, quibus recitabunt reparationem honorificam: *Cum profundissima illa reverentia etc. (Pius VII. 11 Januarii 1815, Leo XII. 13 Augusti 1828.)*

39°. Indulgentia partialis 200 dierum applicabilis, ut supra, pro solis Monialibus et commensalibus pro singulis vicibus, quibus recitabunt orationem jaculatoriam: *Pater aeterne, per Sanguinem Jesu misericordia. (Pius IX. 27 Aprilis 1852.)*

40°. Pro solis Monialibus visitando propriam ecclesiam, omnes indulgentiae concessae visitationi ecclesiae et altaris majoris S. Francisci de Paula. *(Pius IX. 14 Maji 1848.)*

41°. Omnes adnotatae indulgentiae concessae Monialibus et commensalibus (excepto art. 11°) possunt acquiri etiam in casu infirmitatis supplendo operibus injunctis assignandis a respectivis suis confessariis. *(Gregorius XVI. 20 Apr. 1844.)*

42°. Omnes supradictae indulgentiae et gratiae adnotatae in praesenti Summario non solum sunt perpetuae, sed etiam extendi possunt ad omnes alias ecclesias ejusdem Instituti tam existentes, quam erigendas in futuro. *(Litterae Apostolicae Leonis XII.* Congruit *6 Julii 1828.)*

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium cum suis originalibus mature collatum uti authenticum recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permisit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 1 Martii 1853.

A. Archipr. Prinzivalli, Substitutus.

64.

Summarium sacrarum indulgentiarum concessarum in perpetuum a Summo Pontifice Pio IX. per decretum Sacrae Congregationis Indulgentiarum de die 23 Augusti 1861 omnibus adscriptis piae Unioni Perpetuae Adorationis Sanctissimi Sacramenti canonice erectae Romae per decretum Eminentissimi Domini Card. Vicarii de die 23 Augusti 1858 in venerabili ecclesia S. Mariae Magdalenae in Quirinali Monialium Perpetuarum Adoratricum Sanctissimi Sacramenti.

Monitum. Ad lucrandam quamcumque indulgentiam requiritur, quantum ad plenariam, Confessio, Communio, visi-

tatio supradictae ecclesiae (ubi aliter non praescribitur) et ut ibi per aliquod temporis spatium oretur juxta intentionem Summi Pontificis, et quantum ad partialem, ut opera injuncta adimpleantur saltem corde contrito.

1°. Indulgentia plenaria in die adscriptionis, visitando aliquam ecclesiam aut publicum oratorium.

2°. Indulgentia plenaria quotidiana etiam defunctis applicabilis, lucranda semel in anno, die ad arbitrium.

3°. Indulgentia partialis quotidiana septem annorum et septem quadragenarum, applicabilis ut supra, lucranda semel in die visitando ecclesiam supradicti monasterii.

4°. Indulgentia plenaria per totum anni cursum visitando Sanctissimum Sacramentum, lucranda in omni quadraginta horarum spatio; et partialis decem annorum et decem quadragenarum, lucranda semel singulis diebus, ad normam concessionum factarum pro Oratione continua quadraginta horarum, applicabilis ut supra.

5°. Indulgentia plenaria dicta Portiunculae, applicabilis ut supra, lucranda toties quoties die secunda Augusti, incipiendo a primis Vesperis.

6°. Omnes indulgentiae Stationum Romae, descriptae in Missali Romano.

7°. Indulgentia plenaria applicabilis etc. in festis Nativitatis D. N. J. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Dominica Resurrectionis, Ascensionis, Dominica Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, et in duobus festis B. M. V. Dolorosae, incipiendo a primis Vesperis.

8°. Indulgentia plenaria applicabilis etc. in festo Corporis Christi, incipiendo a primis Vesperis.

9°. Indulgentia plenaria applicabilis etc. in die Coenae Domini, et in die octava Corporis Christi.

10°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum applicabilis etc. singulis ex sex diebus infra octavam Corporis Christi, lucranda semel in die.

11°. Indulgentia plenaria applicabilis etc. pro festo et octava Corporis Christi, lucranda semel tantum spatio dicti temporis, incipiendo a primis Vesperis festi.

12°. Indulgentia plenaria applicabilis etc. semel in singulis mensibus, quando sive nocte sive in die hora orationis assignata ante Sanctissimum Sacramentum expositum aut tabernaculo inclusum peragitur.

13°. Indulgentia plenaria in articulo mortis, invocando sanctissimum nomen Jesu corde, si ore fieri non possit.

14°. Unum altare ecclesiae, ubi expositum est Sanctissimum Sacramentum, est privilegiatum quotidianum perpetuum pro omnibus fidelibus defunctis.

15°. Omnia altaria ecclesiae Monialium Adoratricum sunt privilegiata quotidie in perpetuum pro associatis defunctis.

16°. Indulgentia partialis ducentorum dierum applicabilis etc. assistendo Officio, quod recitatur aut cantatur coram Sanctissimo Sacramento, aut functionibus, quae peraguntur, aut precibus, quae dicuntur alta voce in choro aut in ecclesia.

17°. Indulgentia partialis ducentorum dierum applicabilis etc., quotiescumque genuflectunt ante Sanctissimum Sacramentum in ecclesia Instituti.

18°. Indulgentia partialis ducentorum dierum, applicabilis etc. recitando quatuor sequentes orationes jaculatorias:

1. Te adoro omni momento, o panis vivus de coelo, magnum Sacramentum.
2. Jesu Cor Mariae, oro te, benedic animae meae.
3. Tibi dono cor meum, sanctissime Jesu, Salvator meus.
4. Ab omnibus cognoscatur, adoretur et laudetur omni momento sanctissimum et divinissimum Sacramentum.

19°. Indulgentia partialis septem annorum et totidem quadragenarum applicabilis etc. comitando cum lumine vel sine lumine Sanctissimum Sacramentum, quando portatur ad aliquem infirmum.

20°. Indulgentia partialis septem annorum, quotiescumque recitabunt orationem: *Pater aeterne, offero tibi vitam, passionem, et mortem Jesu Christi etc.*

21°. Indulgentia partialis trecentorum dierum applicabilis etc. singulis diebus in recitatione Officii divini aut B. M. V.

22°. Indulgentia trium annorum pro singulis horis vel pro qualibet media hora, qua permanebunt in die vel nocte ante Sanctissimum Sacramentum.

23°. Indulgentia trecentorum dierum pro singulis visitationibus, quas Sanctissimo Sacramento facient.

24°. Indulgentia trecentorum dierum singulis diebus omnium novenarum, septenariorum et triduorum, quae fient in supradicta ecclesia.

25°. Indulgentia ducentorum dierum assistendo cuicumque functioni et orationi, quae recitatur in Directorio adorationis.

26°. Indulgentia triginta dierum inclinando caput ad *Gloria Patri.*

27°. Indulgentia ducentorum dierum toties, quoties recitatur reparatio honorifica: *Cum profundissima illa reverentia,* etc.

28°. Indulgentia ducentorum dierum toties, quoties recitatur oratio jaculatoria: *Pater aeterne, per Sanguinem Jesu misericordia.*

29°. Visitando ecclesiam supradictam Adoratricum acquiruntur omnes indulgentiae concessae pro visitatione ecclesiae et altaris majoris S. Francisci de Paula.

30°. Omnes indicatae indulgentiae acquiri possunt etiam in casu infirmitatis, dummodo suppleatur per opera injuncta assignanda a respectivis confessariis.

Die 4 Decembris 1861. Praesens indulgentiarum Summarium uti authenticum recognovit Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, ac proinde typis imprimi ac publicari posse censuit. Datum Romae ex ejusdem Sacrae Congregationis Secretaria.

Aloysius Archipr. Prinzivalli, Substit.

65.

Summarium indulgentiarum, quae sub die 2 Junii 1834 concessae sunt piae Societati Parisiis institutae sub titulo et protectione S. Francisci Regis concubinariorum matrimonia in facie Ecclesiae procurandi causa.

1°. Indulgentia plenaria[1]) quolibet anno die 16 mensis Junii lucrifacienda (qua die S. Francisci Regis hujusce Societatis Patroni festum recolitur) ab adscriptis, qui rite confessi sacraque Synaxi refecti pro bono catholicae religionis, et augmento dictae Societatis pias ad Deum preces effuderint.

2°. Indulgentia itidem plenaria in articulo mortis pro adscriptis, qui Confessionis et Communionis Sacramentis fulciti aut saltem, si illa sumere nequiverint, contrito corde sanctissimum Jesu nomen voce, et si haud valuerint, corde invocabunt.

3°. Indulgentia decem annorum, quoties hi adscripti insimul pro aliquo pio Societatis negotio pertractando cooptati orationem, quae legitur in Missa propria S. Francisci Regis, devote recitaverint.

4°. Indulgentia quoque decem annorum toties pro adscriptis acquirenda, quoties interfuerint matrimonio in facie Ecclesiae rite celebrando ab aliquo, qui antea in scandaloso concubinatu vitam degerit.

5°. Similiter indulgentia decem annorum ab eo ex adscriptis lucranda, qui concubinarium nondum baptizatum de sacro Baptismatis fonte levaverit.

6°. Omnes praefatae tam plenariae, quam partiales indulgentiae per modum suffragii animabus in purgatorio detentis, quae huic Societati, dum viverent, sollicitam operam dederunt, sunt applicabiles.

A. Card. **Frosini**, Praef.
Lud. Archiep. **Athenarum**, Secret.

[1]) In primaeva concessione harum indulgentiarum legitur: SSmus D. N. benigne annuit pro gratia . . . ea tamen lege, ut pro indulgentiis plenariis acquirendis unusquisque ex Christifidelibus adscriptis et adscribendis piae Societati statutis diebus vere poenitens, confessus et sacra Communione refectus propriam ecclesiam parochialem, et in casu legitimi impedimenti aliam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitare ibique . . . . . juxta mentem Summi Pontificis ex toto corde pias ad Deum preces effundere teneatur.

66.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum concessorum a S. D. N. Pio PP. IX. omnibus sociis exercentibus et contribuentibus, et adolescentibus adscriptis Scholis Nocturnis Romae.

Indulgentia plenaria in die adscriptionis.

Indulgentia plenaria, incipiendo a primis Vesperis, feria sexta Passionis, et in illa Dominica Septembris aut Octobris, in qua celebratur ab Instituto cum licentiis debitis festum B. M. V. Dolorosae.

Indulgentia plenaria, incipiendo a primis Vesperis, in die Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis D. N. J. C. et in festo Corporis Christi.

Indulgentia plenaria, incipiendo a primis Vesperis, in festis Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V.

Indulgentia plenaria, incipiendo a primis Vesperis, in Dominica Pentecostes, et in festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, Transitus S. Josephi, Nativitatis S. Joannis Baptistae, et S. Philippi Nerii.

Indulgentia plenaria in Dominicis Sexagesimae et Quinquagesimae, et in feria quinta et ultima die Bacchanalium, orando in compensationem injuriarum, quae eo praesertim tempore divinae Majestati inferuntur.

Indulgentia plenaria in Dominica post obitum cujusque socii exercentis vel contribuentis et adolescentis adscripti.

Indulgentia plenaria die ultimo exercitiorum spiritualium, quae fiunt ab unaquaque schola semel in anno, dummodo saltem ter intervenerint.

Indulgentia plenaria in articulo mortis, invocando cum dispositione debita sanctissimum nomen Jesu, si ore non possint, saltem corde.

Ad lucrandas supradictas indulgentias plenarias necesse est visitare ecclesiam parochialem, aut ecclesiam aut privatum oratorium respectivarum scholarum, post Confessionem et Communionem, et orare aliquantulum juxta intentionem Summi Pontificis.

Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum visitando ecclesiam aut oratorium, ut supra, saltem corde contrito, qualibet Dominica Octobris, Dominica Septuagesimae, in omnibus Dominicis Quadragesimae, in Dominica Palmarum, Dominicis Adventus, feria secunda et tertia Paschatis Resurrectionis, in Dominica tertia post Pascha (festo Patrocinii S. Joseph), in festo cathedrae S. Petri Romae.

Indulgentia 300 dierum singulis diebus novenarum, quae praemittuntur festis Pentecostes, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Conceptionis et Assumptionis B. M. V., et S. Aloysii, et singulis diebus septenariorum, quae praemittuntur festis B. M. V. Dolorosae.

Indulgentia 300 dierum recitando corde saltem contrito Officium defunctorum in obitu cujusque adscripti.

Indulgentia 300 dierum comitando cadaver cujusque adscripti defuncti ad ecclesiam vel ad sepulturam.

Indulgentia 60 dierum pro quocumque opere pio, quod corde contrito exercebunt.

Indulgentia 300 dierum pro una vice tantum omnibus sociis confessariis iis diebus, quibus corde saltem contrito se dedent ad audiendas Confessiones adolescentium adscriptorum, et his etiam, quotiescumque accedent ad Sacramentum Poenitentiae.

Indulgentia 300 dierum sociis sacerdotibus, quoties annuntiabunt adolescentibus verbum Dei, et omnibus sociis tam ecclesiasticis, quam saecularibus, quotiescumque eosdem instruent in doctrina christiana, dummodo hoc faciant corde saltem contrito.

Indulgentiae supradictae possunt etiam applicari animabus purgatorii.

Insuper Eadem Sanctitas Sua dignata est concedere omnibus sociis sacerdotibus indultum altaris privilegiati personalis ter in hebdomada, et ut omnes Missae, quae celebrabuntur in suffragium adscriptorum in quacumque ecclesia vel publico oratorio, sint perinde acsi ad altare privilegiatum celebratae fuerint.

Urbis. *Cum pium Institutum vulgo* delle Scuole Notturne di Religione *nuncupatum pluribus abhinc annis in hac alma*

Urbe exortum sit, cumque in erudienda spiritu intelligentiae ac pietatis juventute quotidie suscipiat incrementum, R. P. D. Carolus Aloisius Morichini, Archiepiscopus Nisibensis, illius Instituti praeses, SSmum D. N. Pium IX. enixis precibus rogavit, ut ad zelum in viros ecclesiasticos ceterosque Instituti cooperatores inflammandum, atque ad pietatem in adolescentium corda quam maxime excitandam de Apostolica benignitate nonnullas indulgentias ac privilegia elargiri dignaretur. Quapropter Sanctitas Sua votis ipsius oratoris praesidis clementissime susceptis, ea propria manu remisit die 29 Julii hujus anni ad me infrascriptum Sacrae Congregationis Indulgentiarum Secretarium pro opportuna de his Eidem Sanctissimo relatione facienda: qua absoluta in Audientia diei 15 Sept. currentis anni, eas omnes et singulas indulgentias ac privilegia supraenuntiata de Ecclesiae thesauro praefato Instituto dignatus est impertiri. Quas quidem indulgentias et privilegia voluit Eadem Sanctitas Sua non modo perpetuis futuris temporibus fore valitura, verum etiam similibus Institutis extra Urbem erectis ac in posterum erigendis in perpetuum pariter communicabiles per praesidem pro tempore Romani Instituti; dummodo tamen tales erectiones de respectivi locorum Ordinarii licentia sint peractae vel peragendae. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 15 Septembris 1851.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Colombo, Secret.

67.

Summarium omnium et singularum indulgentiarum, quas SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. fratribus Societatis sub titulo sanctae Familiae nuper ab Apostolica Sede approbatae, ac in dioecesi Bellicensi erectae seu alibi erigendae concessit.

1°. Indulgentia plenaria tironibus die vestitionis et professionis in praefato sanctae Familiae Instituto.

2°. Indulgentia plenaria omnibus fratribus in Instituto existentibus semel in anno acquirenda, quando vota reli-

giosa (simplicia tamen, prout in regulis approbata) renovabunt.

3°. Indulgentia plenaria omnibus fratribus sive novitiis, sive professis in festis sanctae Familiae, Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Resurrectionis, Ascensionis, Dominicae Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, Corporis Christi, necnon Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. atque Nativitatis S. Joannis Baptistae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, Transitus S. Joseph, S. Anthelmi Episcopi Bellicensis, die Omnium Sanctorum et Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum.

4°. Indulgentia plenaria in mortis articulo, osculando crucifixum seu crucem, quam die professionis juxta regulas acceperint, dummodo rite dispositi fuerint, vel saltem sanctissimum Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, et praefata crux jam fuerit benedicta ab aliquo sacerdote facultatem habente.

5°. Indulgentia plenaria semel in anno fratribus et novitiis tantum, qui vel conjunctim vel separatim spiritualibus vacaverint exercitiis per sex vel octo vel plures dies, acquirenda ipsa die, qua sacra fuerint Communione refecti.

6°. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum fratribus et novitiis dumtaxat bis in mense lucranda in duabus tantum Communionibus a regulis vel per modum praecepti vel per modum consilii praescriptis.

7°. Indulgentia centum dierum pro quolibet pio opere ab ipsis fratribus seu novitiis peragendo.

8°. Indulgentia plenaria alumnis, pensionariis et orphanis adolescentibus in communitate degentibus die primae eorum Communionis in aliquo sacello dicti Instituti sumendae.

9°. Declarat insuper Sanctitas Sua, quod pro praefatis plenariis indulgentiis lucrifaciendis praemissa sacramentali Confessione sive singulis hebdomadis, sive quoque attentis peculiaribus circumstantiis etiam bis tantum in mense persolvenda, quatenus nullius lethalis culpae conscii sint, non modo sacra Communione reficiantur, verum etiam aliquam publicam ecclesiam visitent, ibique per aliquod temporis

spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effundant; pro partialibus vero indulgentiis acquirendis corde saltem sint contriti.

10°. Et tandem indulsit, ut praefatas omnes tam plenarias, quam partiales indulgentias impertitas animabus quoque in purgatorio degentibus unusquisque applicare possit et valeat.

Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione et non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 28 Augusti 1841.

C. Card. **Castracane**, Praef.
A. Canonicus Prinzivalli, Substit.

68.

Summarium indulgentiarum, quae piae Unioni nuncupatae Oeuvre de bons livres *in dioecesi Burdigalensi concessae sunt.*

Burdigalen. SSmus D. N. Leo PP. XII. ex debito pastoralis officii sibi a Deo commissi ad ea libenter intendens, per quae divinus cultus fideliumque religio ubique suscipiat incrementum, et de aeterna eorum felicitate procuranda quam maxime sollicitus, enixis precibus Archiepiscopi Burdigalensis, qui piam cupiens canonice erigere Unionem nuncupatam *Oeuvre de bons livres* sub titulo B. M. Virginis, cui Unioni sit cura promulgandi et dispensandi libros fidei rudimenta continentes ad fidelium utilitatem, ut abstrahantur a noxiis, et ad salutaria dirigantur, benigne annuens omnibus praedictae piae Unioni adscriptis ac in posterum adscribendis infrascriptas indulgentias peramanter impertitus est, nempe:

1°. Iis, qui sacrosancto Missae sacrificio semel in mense pro vivis et defunctis benefactoribus celebrando in ecclesia ab Ordinario semel tantum eligenda corde saltem contrito, ac devote interfuerint, et per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, septem annorum totidemque quadragenarum indulgentiam concessit.

2°. Eamdem indulgentiam pariter elargitus est iis, qui legitime impediti, vel infirmi praelaudato Missae sacrificio interesse nequiverint, dummodo, si impediti, aliam Missam audiverint, et si infirmi, alia pia opera a confessario injungenda fideliter peregerint.

3°. Similiter indulgentiam tercentum dierum omnibus adscriptis toties, quoties opera, consilio, vel alio, quo poterint, meliori modo pro eorum Instituti augmento praestabunt.

4°. Sacerdotibus et saecularibus praedictae Unionis, quoties libros prohibitos tum obscoenos et haereticales, tum contra bonos mores et religionem pertractantes ad proprium Ordinarium detulerint, toties quadraginta dierum indulgentiam impertitus est, sacerdotibus vero hoc peragere studentibus, praeter enuntiatam partialem indulgentiam, indultum etiam altaris privilegiati personalis pro quatuor tantum feriis in qualibet hebdomada, eorum vita naturali durante valiturum est elargitus.

5°. Tandem eisdem, qui toto vitae suae tempore praedicta pia opera exercuerint, indulgentiam plenariam in mortis articulo lucrandam, dummodo rite dispositi fuerint, vel saltem sanctissimum Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, benigne pariter est impertitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 22 Maji 1824.

B. Card. **Naro**, Pro-Praef.
A. Archiepiscopus **Trapezuntinus**, Secret.

69.

Summarium indulgentiarum, quae piae Societati nuncupat. Calobibliophilorum *in civitate Imolensi concessae sunt.*

Imolen. SSmus D. N. Leo PP. XII. ex pastorali officio, quo Christifideles in Domino complectitur, et ad eorum procurandam salutem quam maxime sollicitus, ad humillimas preces piae Congregationis seu Societatis *Calobibliophilorum* appellatae, noviter in civitate et dioecesi Imolensi canonice erectae atque probatae, cujus institutum est tum piorum moraliumque librorum editio et propagatio, tum

etiam eliminatio et retundatio antimoralium, qui ubique divulgantur ac circumferuntur, benigne annuens omnibus Christifidelibus eidem praefatae Congregationi addictis omnes et singulas indulgentias, quae a s. m. Pio PP. VII. Praedecessore Suo Societati *dell'Amicizia Cattolica* nuncupatae et Romae institutae concessae fuere, atque in sequenti Summario enuntiatae sunt, benigne pariter concessit et in perpetuum absque ulla Brevis expeditione communicavit die 17 Decembris 1825.

1°. Indulgentia plenaria omnibus hujus Societatis curam gerentibus semel tantum in qualibet hebdomada acquirenda, die etiam uniuscujusque arbitrio eligenda.

2°. Similiter plenaria bis in unoquoque mense lucranda, diebus pariter proprio arbitrio statuendis, omnibus ubicumque locorum existentibus, ubi tamen praefata Societas non reperiatur erecta, qui ad ipsius Societatis stabilitatem et progressum operam praestabunt.

3°. Plenaria quoque duabus vicibus per mensem consequenda iis, qui ejusdem Societatis incrementum propria cooperatione curabunt.

4°. Septem annorum vero indulgentiam, qui praefatos libros sive exscripserint, sive typis mandaverint, vel distribuerint, aut ad ipsius utilitatem quodcumque aliud fecerint, consequantur, dummodo tamen in singulis praenuntiatis diebus pro dictis indulgentiis consequendis vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint.

5°. Ac tandem plenaria indulgentia semel iterum in hebdomada cum iisdem conditionibus, vel in mortis articulo lucranda, dummodo rite dispositi fuerint, vel saltem sanctissimum Jesu nomen corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, iis omnibus, qui ex commissione praelaudatae Societatis aliquod pium opus tum Ecclesiae, tum Sedi Apostolicae proficuum elucubrabunt.

B. Card. Naro, Pro-Praef.

A. Archiepiscopus Trapezuntinus, Secret.

70.

Summarium imdulgentiarum et privilegiorum Societati Propagationis Fidei concessorum.

(Habetur supra pag. 279 in Rescripto 366, collatis etiam nn. 371, 374 et 400.)

71.

Indulgentiae concessae Societati, quae curam agit militum.

(Habentur supra pag. 287 in Rescripto 372 et pag. 301 in Rescripto 389.)

Summaria indulgentiarum nuperrime edita aut approbata.

72.

Summarium indulgentiarum Sodalitio ab Adoratione Reparatrice *nuncupato concessarum.*

(Breve d. d. 6 Martii 1883.)

Leo PP. XIII. ad perpetuam rei memoriam. Hac in adversitate temporum dum tot tantaque scelera videt lugetque christianus orbis, atque incredibili prorsus impietate profligatissimis ab hominibus praecepta Dei conculcantur, Nobis innumeris quotidie amaritudinibus saturatis haud levi solatio est studium et sollicitudo bonorum, qui in Dominum ausu temerario illatas injurias pro viribus rependere nituntur. Gratus idcirco Nobis est atque acceptus ille piorum consensus fidelium, qui Sodalitia instituentes, in reparatrices preces Deo jugiter adhibendas, necnon domus divinae cultum provehendum, aeternamque animarum salutem procurandam curas suas omnes cogitationesque collocarunt. Haec inter Sodalitia fidelium, qui alacriter in vinea Domini adlaborant, illud praecipue adnumerandum esse censemus, quod ab Adoratione Reparatrice gentium catholicarum titulum obtinet, et in hac alma Urbe Nostra canonice institutum existit; frugifero enim ab hoc Instituto, quod in universum terrarum orbem extenditur, longinquae regiones dissitaeque gentes una precum communione sociantur. Nam cum praecipuus sit dicti Operis finis, precibus quadraginta horarum continuatarum, quae perpetuo in Urbe habentur, reparationis universalis vim tribuendi, Christifideles in pium

hujusmodi Opus adlecti, qualibet e christiani populi gente sint orti, si in Urbe commorentur, constituto per hebdomadam die pro unaquaque natione in Urbis ecclesiis quadraginta horarum expositioni stata hora per aliquod temporis spatium adstare, si vero extra Urbem degant, similibus pro quaque natione per hebdomadam die et hora constitutis ecclesiam, in qua sanctissimum Eucharistiae Sacramentum asservatur, visitare, pariterque per aliquod temporis spatium juxta Sodalitii instituta orare solent. Nunc autem, cum dilectus filius, presbyter Antonius Brugidon, dicti pii Operis moderator, supplices Nobis preces humiliter adhibuerit, ut pium hoc Institutum coelestium munerum, quorum dispensationem Nobis Altissimus credidit, elargitione augere dignaremur, Nos hisce votis, quae in spirituale universi orbis christiani Christifidelium bonum cedunt, quantum in Domino possumus, annuendum benigne censemus.

Quae cum ita sint, de omnipotentis Dei misericordia ac Bb. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis nunc et pro tempore dictum in pium Opus adlectis fidelibus extra Urbem degentibus, qui juxta Sodalitatis supra memoratae instituta in sua quisque regione quamlibet ecclesiam devote visitaverint, in qua Sacramentum augustum asservetur, et coram ipso per mediam circiter horam oraverint, dummodo reliqua, quae injuncta sunt, pietatis opera in Domino rite praestiterint, ut quotidie omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si Orationi quadraginta horarum iisdem diebus in ecclesiis Urbis adfuerint, de Apostolica Nostra auctoritate vi praesentium concedimus. In Urbe vero Nostra, Instituti centro, nunc et pro tempore item existentibus sodalibus, dummodo vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti cujuslibet hebdomadae die per Sodalitatis statuta ipsis designato, vel alio die, quatenus legitime fuerint impediti, pium opus Adorationis in Urbis ecclesiis, in quibus fit quadraginta horarum Oratio, rite peregerint, praeter quadraginta horarum indulgentias omnes et singulas, uno die singulis per annum mensibus cujusque eorum arbitrio sibi

eligendo etiam plenariam omnium peccatorum suorum misericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6 mensis Martii anni 1883, Pontificatus Nostri anno sexto.

Th. Card. **Mertel.**

73.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum Tertii Ordinis saecularis S. Francisci. [1])

(Ex SSmi D. N. Leonis PP. XIII. Constit. *Misericors Dei Filius* d. d. 3. kal. Jun. 1883.)

I. *De indulgentiis plenariis.* Tertiariis ex utroque sexu singulis, qui admissorum Confessione rítu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, indulgentiam plenariam consequendi jus sit, diebus et causis, quae infra scriptae sunt:

1. Die aditiali.

2. Quo die singuli Ordinem primitus profitentur.

3. Quo die ad concionem menstruam seu *conferentiam* conveniunt, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis causa adierint, remque christianam Deo de more commendaverint.

4. Die 4 Octobris, natali Francisci Patris legiferi; die 12 Augusti, natali Clarae Virginis legiferae; die 2 Augusti,

---

[1]) *Lex sodalium Franciscalium Tertii Ordinis, qui saecularis dicitur.*

Cap. I. De cooptatione, tirocinio, professione. 1. Ne quos cooptari liceat, nisi majores quatuordecim annorum, eosque bene moratos, retinentes concordiae, atque in primis sanctitate professionis catholicae probatos, spectatoque erga Ecclesiam Romanam Sedemque Apostolicam obsequio.

2. Nuptae, nisi sciente et consentiente viro, ne cooptentur, extra quam si secus videatur faciendum, auctore sacerdote conscientiae ipsarum judice.

3. Adlecti in Sodalitatem *scapulare* parvum unaque cingulum de more gerant: ni gesserint, statis privilegiis juribusque careant.

4. Qui quaeve Tertium Ordinem inierint, unum ipsum annum tirocinio exigant: mox, Ordinem rite professi, servaturos sese jura Dei, obedientes Ecclesiae dicto futuros; si quid in iis, quae professi sunt, deliquerint, satis facturos singuli spondeant.

festo Mariae Angelorum reginae ob Basilicam ejus dedicatam; item quo die solemnia anniversaria aguntur Sancti coelitis, in cujus templo sedes est Sodalitii constituta, si modo ipsum templum pietatis causa celebraverint, remque christianam Deo de more commendaverint.

5. Semel per menses singulos, quo die cuique placuerit, si modo templum aliquod publicumve sacrarium pietatis causa adierint, et aliquandiu ad mentem Pontificis Maximi obsecrando perstiterint.

6. Quoties, potioris vitae studio, per octo dies continuos statis animi meditationibus operam daturi secesserint.

7. Item morituris, si sanctum salutare nomen Jesu aut voce aut, si loqui posse desierint, voluntate imploraverint. Iidem eodem jure fruantur, si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia, animi dolore culpas expiaverint.

8. Bis in anno *benedictionem Summi Pontificis nomine* accepturis, si ad mentem ipsius Pontificis Deo aliquandiu supplicaverint: itemque, hac ipsa supplicandi lege, accepturis quam appellant *absolutionem,* hoc est *benedictionem,* per hos dies, qui infra scripti sunt: I. Natali Domini Nostri Jesu Christi; II. die solemni Paschatis Resurrectionis; III. die solemni Pentecostes; IV. in festo Sanctissimi Cordis Jesu; V. item immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis; VI. Josephi sponsi ejus die 19 Martii; VII. Impressionis Ss. Stig-

---

Cap. II. De disciplina vivendi. 1. Sodales Tertii Ordinis in omni cultu habituque, sumptuosiore elegantia posthabita, teneant eam, quae singulos deceat, mediocritatis regulam.

2. Choreis ludisve scenicis procacioribus, item commissationibus perquam caute abstineant.

3. Pastu atque potu utantur frugaliter: neve ante vel accumbant vel assurgant de mensa, quam invocato pie grateque Deo.

4. Jejunium Mariae Virgini immaculatae, item Francisco Patri, pridie sacra solemnia, singuli servanto: admodum laudabiles, si qui praeterea vel jejunium in sextas, vel abstinentiam carnium in quartas quasque ferias servarint, disciplina veteri Tertiariorum.

5. Admissa rite expianto per menses singulos: item ad divinum epulum accedant per menses singulos.

6. Tertiarios ex ordine clericorum, quod psalmis quotidie dant operam, nihil praeterea hoc nomine debere placet. Laici, qui nec canonicas, neu Mariales preces, vulgo *Officium parvum B. M. V.,* persolvunt, precationem Dominicam cum Salutatione Angelica et *Gloria Patri* adhibeant duodecies in dies singulos, excepto si per valetudinem non liceat.

matum Francisci Patris die 17 Septembris; VIII. Ludovici regis Galliarum, Patroni coelestis salutaris sodalium ex Tertio Ordine, die 25 Augusti; IX. Elisabeth Hungaricae die 19 Novembris.

9. Item semel in mense, si qui *Pater*, *Ave* et *Gloria Patri* quinquies pro incolumitate rei christianae, semel ad mentem Pontificis Maximi recitaverint, ii jure omni ad expiandas animi labes fruantur, quo fruuntur et qui stativa in Urbe supplicia obeunt, et qui Portiunculam, Hierosolymitana loca sanctissima, aedem Jacobi Apostoli Compostellensem, religionis causa, celebrant.

10. Quibus diebus stativae supplicationes in Missali Romano designantur, si templum sacrariumve, in quo sedes est Sodalitii constituta, adierint, remque christianam Deo de more commendaverint, in eodem templo sacrariove per eos ipsos dies amplissimo jure fruantur, quo in Urbe cives hospitesve fruuntur.

II. *De indulgentiis partialibus.* 1. Tertiariis ex utroque sexu singulis, si templum sacrariumve, in quo est sedes Sodalitii constituta, celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplicaverint, quo die sacra Stigmata Francisco Patri divinitus impressa sunt, item festo sanctorum Ludovici regis, Elisabeth reginae Lusitaniae, Elisabeth Hungaricae, Margaritae Cortonensis, itemque aliis duodecim diebus, quos singuli maluerint et praefectus Ordinis probarit, ea supplicatio septennis septiesque quadragenae satisfactionis instar sit.

---

7. Quibus est testamenti factio, ii suo quisque tempore de re sua testentur.

8. In familiari vita studeant ceteros exemplo antecedere: pietatis artes, resque optimas provehere. Libros vel diaria, unde pernicies virtuti metuatur, domum suam inferri, ab iisque, qui in ipsorum potestate sint, legi ne sinant.

9. Caritatem benevolam et inter se et ad alienos sedulo tueantur. Componendas, sicubi possunt, discordias curent.

10. Jusjurandum ne jurent unquam, nisi necessario. Turpia dictu, scurriles jocos fando fugiant. Excutiant sese vesperi, num tale quidquam temere fecerint: si fecerint, errorem poenitendo corrigant.

11. Rei divinae, qui commode possunt, quotidie intersint. Ad coetus menstruos, quos praefectus indixerit, conveniant.

12. Conferant in commune pro facultate quisque sua nonnihil, unde vel tenuiores e sodalium numero, praesertim affecta valetudine, subleventur, vel divini cultus dignitati consulatur.

2. Quoties Missae aliisve divinis officiis, vel sodalium conventibus publicis privatisve interfuerint: inopes hospitio acceperint: dissidia composuerint, componendave curarint: in pompam rite ductam prodierint: Sacramentum Augustum, cum circumfertur, vel comitati sint, vel, si comitari nequiverint, ad campani aeris signum precationem Dominicam cum Salutatione Angelica semel recitaverint: quinquies precationem et Salutationem eamdem recitaverint rei christianae, vel animabus sodalium defunctorum Deo commendandis: hominem mortuum extulerint: devium quemquam ad officium reduxerint: Dei praeceptis ceterisque ad salutem necessariis quempiam erudierint: aut aliud quippiam ex hoc genere caritatis egerint, toties singulis eorum, harum rerum singularum causa, tercentos de poenalium dierum numero expungere liceat.

---

13. Ad sodalem aegrotantem praefecti vel adeant ipsi, vel mittant, qui caritatis officia expleat. Iidem, in morbo ancipiti, moneant suadeant, ut quae ad expiandum animum pertinent, aegrotus tempestive curet.

14. Ad exequias sodalis demortui sodales municipes hospitesve conveniant, simulque Mariales preces instituto Dominici Patris, id est *rosarium*, tertiam partem ad caeleste demortui solatium adhibeant. Item sacerdotes inter rem divinam, laici, si poterunt, sumpta Eucharistia, pacem fratri defuncto sempiternam pii volentes adprecentur.

Cap. III. De officiis, de visitatione, deque ipsa lege. 1. Officia, advocatis ad conventum sodalibus, deferantur. Eadem triennalia sunto. Oblata ne qui sine causa justa recuset, neu oscitanter gerat.

2. Curator, qui *Visitator* audit, diligenter quaerat, satisne salvae leges. Ejus rei ergo, Sodalitiorum sedes in singulos annos, eoque crebrius, si res postulaverit, pro potestate circumeat, coetumque habeat, praefectis sodalibusque universis adesse jussis. Si quem *Visitator* ad officium monendo jubendo revocarit, sive quid, salutaris poenae nomine, in quemquam decreverit, hic modeste accipiat, idemque luere ne abnuat.

3. *Visitatores* ex Primo Franciscalium Ordine, vel ex Ordine Tertio Regulari legantur, quos Custodes seu *Guardiani*, si id rogati fuerint, designabunt. *Visitatoris* munere laicis viris interdictum esto.

4. Sodales nec obedientes et noxii iterum et tertium admoneantur officii sui: ni pareant, excedere Ordine jubeantur.

5. In his legibus si qui forte quid deliquerint, hoc se nomine culpam suscepturos nullam sciant, exceptis iis, quae jure divino Ecclesiaeve legibus alioqui praecipiuntur.

6. Si quae hujus capita legis quemquam servare causa gravis et justa prohibeat, eum ex ea parte lege solvi, eademve capita commutari prudenter liceat. Cujus rei praefectis ordinariis Franciscalium et Primi Ordinis et Tertii, item *Visitatoribus* supra dictis facultas potestasque sit.

Tertiariis, si malint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis, sive *plenariis* sive *partialibus*, labes poenasque defunctorum expiare liceat.

III. *De privilegiis.* 1. Sacerdotibus ex Ordine Tertiariorum ad quodlibet altare facientibus, tribus ex qualibet hebdomade diebus, perlitare fas sit, modo ne similem perlitandi facultatem in alium diem impetraverint.

2. Qui Sacrum fecerit animabus sodalium defunctorum expiandis, is ubicumque veniae defuncto impetrandae perlitato.

74.

Summarium indulgentiarum Societati Jesu a Summis Pontificibus concessarum.

SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. praevia ad infrascriptum effectum derogatione Litterarum Apostolicarum sub annulo Piscatoris Clementis XIV., Sui Praedecessoris, incipientium Dominus ac Redemptor *diei 21 Julii 1773, et attentis Litteris Apostolicis a Summo Pontifice Pio PP. VII. sub plumbo datis septimo Idus Augusti anno Incarnationis Dominicae 1814, quarum initium* Sollicitudo omnium ecclesiarum, *benigne concessit ac confirmavit toti familiae Societatis Jesu ubique terrarum in praesens et in posterum existentis, ejusdemque ecclesiis, seu oratoriis, ad majorem Dei gloriam omnes et singulas indulgentias in adnexo Summario, uti authentico a Sacra Congregatione recognito, recensitas, servatis servandis in singulis concessionibus praescriptis; non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, speciali quoque mentione dignis. Praesentibus valituris absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 22 Decembris 1832.*

A. Card. **Frosini**, Praef.
A. Piatti, Archiep. Trapezunt., Secret.

I. *Indulgentiae olim Societati Jesu a variis Summis Pontificibus concessae.*

1. *Indulgentiam plenariam* in die Circumcisionis Domini in omnibus ecclesiis Societatis pro omnibus eas visitantibus,

si confessi et sacra Communione refecti in iisdem oraverint juxta Pontificis intentiones. *(In perpetuum* concessit Bened. XIV. 6 Oct. 1750 Brevi *Alias pro parte.)*

2. *Plenariam* in festo S. P. Ignatii visitantibus ecclesias Societatis, ut supra etc. *(In perpetuum* concessit Gregorius XV. die 8 Junii 1682 Brevi *Splendor paternae gloriae.)*

3. *Plenariam* in festo S. Francisci Xaverii visitantibus ecclesias Societatis, ut supra etc. *(In perpetuum* concessit Gregorius XV. die 8 Junii 1682 Brevi *Splendor paternae gloriae,* et Alexander VII. die 1 Junii 1661 Bulla *Sicut accepimus.)*

4. *Plenariam* in festo S. Francisci Borgia visitantibus ecclesias Societatis, ut supra etc. *(In perpetuum* concessit Innocentius XI. 28 Augusti 1683 Brevi *Dudum felicis recordationis.)*

5. *Plenariam* in festo S. Joannis Francisci Regis visitantibus ecclesias Societatis, ut supra. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIV. 20 Februarii 1742 Brevi *Exponi Nobis.)* [1])

6. *Plenariam* in festo S. Stanislai Kostkae visitantibus ecclesias Societatis, ut supra. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIII. 31 Julii 1727 Brevi *Redemptoris et Domini.)*

7. *Plenariam* in festo S. Joannis Nepomuceni et SS. Cosmae et Damiani Religiosis Societatis, qui aliquam Societatis ecclesiam visitaverint, ut supra. *(In perpetuum* concessit Clemens XII. die 22 Augusti 1731 Brevi *Commissae Nobis.)*

8. *Plenariam,* quando cura et sollicitudine sacerdotum Societatis semel in una Dominica cujuslibet mensis fit Communio generalis in aliqua ecclesia Societatis, vel in aliis ecclesiis saecularibus (tamen de licentia Ordinarii, et earum rectoris), pro omnibus fidelibus Communione refectis easdem

[1]) Quod ad festum S. Aloysii Gonzagae attinet, in libro, cui titulus „Raccolta", a S. Congregatione Indulgentiarum anno 1877 edito ita legitur: Summi Pontifices Benedictus XIII. Decreto 22 Nov. 1729, Clemens XII. Decreto 21 Nov. 1737 et Benedictus XIV. Decreto 12 April. 1742 concesserunt *indulgentiam plenariam* omnibus Christifidelibus, qui vere poenitentes confessi et sacra Communione refecti visitabunt altare S. Aloysio Gonzagae dedicatum in die ejus festi, orantes pro necessitatibus sanctae Matris Ecclesiae et juxta mentem Suae Sanctitatis. Hoc festum celebrari potest cum permissione Ordinarii quocunque die intra annum, in quocunque loco et altari, ut ex citatis Decretis constat.

ecclesias visitantibus. *(In perpetuum* concessit pro Urbe Paulus V. Brevi *Aeterni Pastoris* 22 Augusti 1613, et pro aliis locis extra Urbem Urbanus VIII. et Innocentius X. ad quindennium per Litteras Apostolicas, quae tempore opportuno semper renovabantur, ut legi potest in Bulla Clementis XII. *Cum felicis recordationis* d. d. 22 Februarii 1737.)

9. Religiosis Societatis missis a Superioribus ad Missiones peragendas, et quibuscumque fidelibus ad eos accedentibus in qualibet Missione et durante illa semel *indulgentiam plenariam cum benedictione papali,* quam illis mittit Summus Pontifex, si confessi et sacra Communione refecti oraverint juxta consuetas intentiones. (Concessit Paulus V. ad septennium 1 Junii 1619, quod semper prorogabatur expeditis novis Litteris Apostolicis cura Procuratoris Generalis.)

10. *Plenariam* personis omnibus Societatis vel aliis quibuscumque peragentibus per octidui spatium exercitia spiritualia in domibus et collegiis Societatis. *(In perpetuum* concessit Alexander VII. 12 Octobris 1657 Brevi *Cum sicut.)* Sed eamdem indulgentiam, applicabilem etiam defunctis, etsi exercitia non continuentur ultra dies quinque, extendit Benedictus XIV. (15 Jul. 1749 Brevi *Quemadmodum presbyteri).* Et praeterea eamdem consequi posse voluit quoscumque fideles, qui eadem exercitia peregerint sub directione Patrum Societatis ad minimum per quinque dies, vel etiam diem unum impenderint in exercitio nuncupato *Praeparationis ad mortem,* dummodo confessi et sacra Communione refecti visitaverint ecclesiam seu sacellum ad eadem exercitia destinatum. (Brevi *Quantum secessus* 29 Martii 1753 et *Dedimus sane* 16 Maji 1753.)

11. *Centum dies* indulgentiae Religiosis Societatis, quoties more illius solito recitaverint in communi Litanias Sanctorum. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIV. Rescripto diei 2 Martii 1747.)

12. Religiosis Societatis deferentibus osculandam vel tangendam imaginem Crucifixi (quam semel electam mutare non licet, nisi in eventu amissionis) cuicumque infirmo confesso et sacra Communione refecto, vel saltem invocanti nomen Jesu, ut *plenariam indulgentiam* applicare possint,

concessit Alexander VII. (Infirmis Ministrantibus) Brevi *Ut saluti* 25 Januarii 1656.

13. Religiosis Societatis, si orent in propriis ecclesiis ante altare sanctissimi Sacramenti pro consuetis Pontificis Romani intentionibus, qualibet die *omnes indulgentias locorum, in quibus degunt,* eo modo lucrari posse, quo lucrarentur, si loca iisdem decorata visitarent, concessit *in perpetuum* Gregorius XIII. Brevi *Cum, sicut accepimus,* die 23 Decembris 1579.

14. Indulgentiam et privilegium personale altaris privilegiati, sacerdotibus Societatis ubilibet celebrantibus pro animabus defunctorum sodalium, qui aut adscripti sunt alicui nostrae Congregationi B. M. V., aut participant ejus indulgentias. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIV. 15 Julii 1749 Brevi *Quemadmodum presbyteri.)*

15. Facultatem applicandi animabus fidelium defunctorum per modum suffragii omnes indulgentias plenarias et non plenarias Societati concessas et concedendas. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIII. Rescripto d. 25 Septembris 1728, Romae edito 1729.)

16. Religiosis Societatis quibuscumque infirmis aut senio confectis, qui ecclesias visitare, aliaque pro indulgentia praescripta exsequi non possunt, omnes indulgentias concessas et concedendas, aliqua tamen pia opera arbitrio confessarii diebus statutis exsequendo. (Concessit Paulus V. Bulla *Splendor* anno 1609.)

17. Missionariis Societatis ubique gentium indulgentias quaslibet, pro quibus requiritur sacramentalis Confessio, si illis desit copia sacerdotis, eliciendo contritionem et celebrando Sacrificium. (Concessit Clemens XII. Rescripto 12 Martii 1738.)

18. Indulgentias Congregationis Primariae Bonae Mortis plenarias, videlicet in die ingressus, in articulo mortis, in quolibet mense, in una sexta feria vel Dominica necnon in variis anni solemnitatibus, et indulgentias Stationum, aliasque plures, exsequendo opera pia ab eodem injuncta. (Concessit *in perpetuum* Benedictus XIII. Bulla *Redemptoris nostri* nono kal. Octob. 1729.)

19. Indulgentias Congregationis Primariae Annuntiationis B. M. V., quemadmodum continentur in Bulla *Gloriosae Dominae* 27 Septembris 1748, Religiosis Societatis, si praescripta opera adimpleant in suis ecclesiis vel sacellis domesticis. (Concessit Benedictus XIV. die 15 Julii 1749 Brevi *Quemadmodum presbyteri.)*

20. Communionem indulgentiarum concessarum et concedendarum aliis Ordinibus Mendicantium et non Mendicantium et piis locis ac monasteriis. (Concessit S. Pius V. Bulla *Dum indefessae* 7 Julii 1571.)

Die 14 Januarii 1833. Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium cum originali, quod asservatur in Secretaria ejusdem Congregationis, collatum, uti authenticum recognovit et probavit. In quorum fidem etc. Datum Romae ex eadem Secretaria ipsius Indulgentiarum Congregationis.

A. Card. **Frosini**, Praef.
A. Piatti, Archiep. Trapezunt., Secret.

II. *Operae pretium est visum sequentes etiam indulgentias aliis temporibus concessas et adhuc vigentes huic Summario subnectere.*

1. Pro decem Dominicis continuis ante festum S. Ignatii Loyolae sive alias per annum, indulgentias plenarias in qualibet, fidelibus universis, si confessi et sacra Communione refecti orationibus atque piis operibus praedictas Dominicas sanctificaverint, et aliquam Societatis Jesu ecclesiam visitaverint. *(In perpetuum* concessit Clemens XIII. Rescripto 27 Januarii 1767.)

2. Peragentibus decem sextas ferias sive Dominicas, sive alias dies intra hebdomadam immediate praecedentes vel sequentes festum S. Francisci Xaverii confessis, sacra Communione refectis, et aliquam Societatis ecclesiam visitantibus, plenariam in una ex dictis 10 diebus ad libitum, in aliis vero septem annos et totidem quadragenas. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIV. Brevi *'Cum, sicut accepimus,* die 29 Jan. 1751, *Apostolicae procurationis* die 6 Octobris 1753 et *Dederamus sane* die 12 Januar. 1754.)

3. Pro sex Dominicis continuis quocumque tempore intra annum in honorem S. Aloysii fidelibus universis, si eadem, ut in num. 1. servaverint, plenariam in singulis Dominicis, etiam extra visitationem ecclesiae. *(In perpetuum* concessit Clemens XII. Decreto 11 Decembris 1739 et 7 Januarii 1740.)

4. Peragentibus 10 Dominicas ante festum S. Stanislai Kostkae, si ecclesiam seu oratorium, in quo festum celebratur, visitaverint, et juxta Pontificis intentiones oraverint, indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum in singulis Dominicis. Item novendialia celebrantibus ante festum; vel recollectioni in honorem ejusdem Sancti, ubi fit, intervenientibus; vel quocumque anni die unum *Pater* et *Ave* ante iconem Sancti in quacumque ecclesia seu oratorio recitantibus, indulgentiam centum dierum semel in die; iis vero, qui per mensem continuum idem adimpleverint, plenariam in una die ad libitum, etiamsi diebus impeditis ecclesiam non adiverint. *(In perpetuum* concessit Pius VII. variis Rescriptis, et tandem Leo XII. Decret. 3 Mart. 1827.)

5. *Plenaria* in omnibus ecclesiis Societatis in festo Beatorum Martyrum Japonensium die 5 Februarii. (Ad septennium renovavit Gregorius XVI. fel. rec. die 11 Jul. 1831.)

6. *Plenariam* Religiosis Societatis confessis et sacra Communione refectis etc. die 7 Augusti anniversaria restitutionis Societatis Jesu. *(In perpetuum* concessit Pius VII. Rescripto diei 16 Junii 1818.)

7. *Plenaria* visitantibus ecclesias Societatis in die Titulari earumdem. *(In perpetuum* concessit Leo XII. Brevi *Plura inter* 11 Julii 1826.)

8. *Plenaria* occasione visitationis domorum vel collegiorum a R. P. Praeposito Generali, seu Provinciali, seu alio ad hoc deputato, si Religiosi Societatis finita visitatione confessi ac sacra Communione refecti oraverint ad Pontificis intentiones et pro Societate et domo respectiva. *(In perpetuum* concessit Urbanus VIII., et renovavit Gregorius XVI. fel. rec. die 2 Aprilis 1832.)

9. *Plenariam* pro novitiis in eorum ingressu, et quamprimum post novitiatum emittunt vota religiosa, et in articulo mortis invocantibus nomen Jesu; item celebrantibus

primam Missam, omnibusque Religiosis eam audientibus, si confessi et sacra Communione refecti fuerint. Item visitantibus propriam ecclesiam, et ibi orantibus, omnes indulgentias Stationum Urbis in diebus a Missali assignatis. Indulgentiam vero quinque annorum et totidem quadragenarum singulis diebus anni, si quinquies *Pater* et *Ave* in propria ecclesia (vel in alia, si sint extra claustra) recitaverint. Item sexaginta annos et totidem quadragenas facientibus orationem mentalem singulis diebus per dimidium horae, et sic per mensem perseverantibus atque ultima Dominica confessis. Item bis plenariam iis, qui mittuntur inter haereticos aut infideles ad Missiones, quando se itineri accingunt, et quando in destinatam provinciam perveniunt. *(In perpetuum* concessit Paulus V. Constit. *Romanus Pontifex* 23 Maji 1606.)

10. *Plenariam* confessis et sacra Communione refectis visitantibus ecclesiam, in qua expositum sit sanctissimum Sacramentum in uno trium dierum ante Cineres, vel hebdomadae Septuagesimae, aut Sexagesimae, vel sola feria V. Sexagesimae. *(In perpetuum* concessit Clemens XIII. Decret. 23 Julii 1765.)

11. Docentibus et discentibus doctrinam christianam confessis etc. indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum toties quoties, et plenariam in die Nativitatis D. N. J. Ch., Paschatis Resurrectionis et SS. Apostolorum Petri et Pauli iis, qui pio more frequentant. *(In perpetuum* concessit Clemens XII. Brevi diei 27 Junii 1735.)

12. Universis fidelibus mentaliter orantibus quotidie per dimidium vel saltem quadrantem horae, plenariam semel in mense: iis vero, qui frequenter ejusdem mentalis orationis methodum publice aut privatim docent, sive addiscunt, indulgentiam annorum 7 et totidem quadragenarum singulis vicibus, et plenariam semel in mense. Easdem tandem indulgentias iis, qui saltem per horae quadrantem Passionem D. N. J. Ch. devote recolunt, partiales quidem toties quoties, plenariam tamen, si praedictum exercitium per mensem continuum peregerint. *(In perpetuum* concessit Benedictus XIV.

Bulla *Quemadmodum nihil* 16 Decembris 1746 et Pius VI. Rescripto diei 6 Febr. 1799.)

SSmus D. N. Gregorius PP. XVI. indulgentias in praesenti Summario recensitas cum enuntiatis conditionibus appositis, quarum plures a Suis Praedecessoribus jam impertitas, quatenus opus sit, de novo concessit, proindeque Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita idem Summarium uti authenticum recognitum et probatum, typis etiam imprimi ac publicari posse censuit. Praesenti perpetuis futuris temporibus valituro absque ulla Brevis expeditione. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 17 Decembris 1838.

C. Card. **Castracane**, Praef.
A. Canonicus Prinzivalli, Substit.

III. *Appendix ad Summarium indulgentiarum et privilegiorum Societatis Jesu.*

Indulgentiae plenariae. I. Tempore Missionum tam Religiosis Societatis Jesu a Superioribus ad Missiones peragendas missis, quam omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui Missionibus ipsis per Religiosos ejusdem Societatis Jesu peragendis quinque vicibus pro qualibet Missione rite adstiterint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregorius PP. XVI. per Litteras in forma Brevis *Exponendum Nobis* d. d. 20 Decembris 1839.)

Quoad praedictam indulgentiam indultum est:

1. Ut extendatur etiam ad infirmos, dummodo alia pia opera a respectivis confessariis injuncta exsequantur. (Gregorius PP. XVI. die 17 Martii 1841.)

2. Ut tempore Missionis confessarii cum iis, qui a longe ad Missionem venerunt et quinquies assistere nequiverunt, dispensare valeant in obligatione quinquies Missioni assistendi et ejus loco praescribere eis aliud pium opus. (Pius PP. IX. die 29 Martii 1855.)

3. Ut tempore Missionis confessarii dispensare possint a sacra Communione eos infantes, qui ad primam Communionem nondum potuerunt admitti, praescribendo eis aliud pium opus. (Pius PP. IX. die 29 Martii 1855.)

II. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui benedictionem Summi Pontificis nomine in fine Missionum cum imagine D. N. J. Ch. elargiendam per sodales Societatis Jesu receperint, dummodo in decursu Missionum vere poenitentes confessi ac sacra Communione refecti fuerint et per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. (Pius PP. IX. die 19 Januarii 1851.)

III. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui post peractam Missionem aut etiam recessum, spiritualia exercitia a Clericis regularibus Societatis Jesu tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis, pias preces per quadraginta dies, incipiendo a die, quam designabit exercitii aut Missionis praeses, ad obtinendam perseverantiam recitaverint, ac interea temporis vere poenitentes et confessi sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. (Gregorius PP. XVI. per Litteras in forma Brevis *Injuncti Nobis* d. d. 7 Julii 1843.) [1])

IV. Die anniversario erectionis crucis Missionum, vel Dominica immediate sequenti, si contigerit diem anniversariam cadere in diem ferialem, necnon in festivitate Inventionis et Exaltationis S. Crucis omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint ibique per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. (Pius PP. IX. die 19 Decembris 1875.)

V. Una mensis Decembris die omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Com-

[1]) Quum fideles tempore Missionum plures indulgentias plenarias diversis diebus lucrari possint, sed temporis brevitate vel inopia confessariorum impediantur, quominus ad eos accedant, SS. D. N. Leo PP. XIII. in Audientia 15 Martii 1884 benigne in perpetuum concessit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui tempore sacrarum Missionum a sodalibus Societatis Jesu habendarum ad Poenitentiae Sacramentum semel accesserint, plenarias indulgentias acquirere valeant, quae intra idem tempus occurrent, ceteris servatis conditionibus ad eas lucrandas injunctis. (Rescr. S. Congr. Indulg. d. d. 15 Martii 1884.)

munione refectis, qui ante aliquam ex crucibus in fine Missionis erigendis tribus saltem vicibus in quolibet mense ter *Orationem Dominicam* et *Salutationem Angelicam* cum *Gloria Patri* in memoriam trium horarum agoniae D. N. J. Ch. et juxta mentem Summi Pontificis devote oraverint. (Leo PP. XIII. Rescripto diei 22 Aprilis 1882.)

VI. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui quamlibet Societatis Jesu ecclesiam die festo S. Francisci de Hieronymo a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Gregorius PP. XVI. per Litteras in forma Brevis *Cum inclyta* d. d. 17 Martii 1840.)

VII. In *qualibet* ex decem Dominicis diebus continuis ante festum S. Ignatii Loyolae, sive alias per annum, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti piis meditationibus aut orationibus aliisve christianae pietatis operibus ad ejusdem Sancti honorem ac Dei gloriam vacando sanctificaverint, et aliquam ecclesiam Societatis Jesu vel ecclesiam parochialem devote visitaverint. (Clemens PP. XIII. die 27 Januarii 1767, Gregorius PP. XVI. die 10 Decembris 1841.)

Indulgentiae partiales. I. Indulgentia biscentum dierum in quocumque ex quadraginta diebus, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui post peractam Missionem aut etiam recessum, spiritualia exercitia a Clericis regularibus Societatis Jesu tradita in ecclesiis, oratoriis, plateis aut campis pias preces per quadraginta dies, incipiendo a die, quam designabit exercitii aut Missionis praeses, ad obtinendam perseverantiam, corde saltem contrito ac devote persolverint. (Gregorius PP. XVI. per Litteras in forma Brevis *Injuncti Nobis* d. d. 7 Julii 1843.)

II. Indulgentia tercentum dierum omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui crucis erectioni in fine Missionum a sodalibus Societatis Jesu peragendae corde saltem contrito

ac devote interfuerint. (Leo PP. XIII. Rescripto diei 22 Aprilis 1882.)

III. Indulgentia quinque annorum, semel in die lucranda ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ante aliquam ex crucibus in fine Missionis a Patribus Societatis Jesu erigendis tres *Pater, Ave* et *Gloria* in memoriam trium horarum agoniae D. N. J. Ch. et juxta mentem Summi Pontificis devote recitaverint. (Leo PP. XIII. Rescripto diei 22 Aprilis 1882.)

Privilegium. In omnibus et singulis ecclesiis Societatis Jesu tam erectis, quam in posterum erigendis unum altare privilegiatum pro quocumque sacerdote sive saeculari sive regulari, dummodo nullum aliud privilegiatum adsit, per uniuscujusque domus sive collegii, aut tirocinii seminariique rectorem designandum, et aliud alteri, quoties ita opportunum judicaverit, subrogandum. (Benedictus PP. XIV. per Litteras in forma Brevis *Quemadmodum* d. d. 15 Julii 1749.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesentem appendicem ad Summarium indulgentiarum et privilegiorum Societatis Jesu uti authenticam recognovit, typisque imprimi ac publicari posse permittit. In quorum fidem etc. Ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 18 Junii 1883.

Josephus Maria Coselli, Substit.

75.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum Ven. Archiconfraternitatis sub titulo B. M. V. a Salute, et S. Josephi ejusdem Sponsi, ac S. Camilli de Lellis canonice erectae in ecclesia S. Mariae Magdalenae de Urbe, Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

I. *Indulgentiae plenariae.*

1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui Sodalitatem ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint. (Pius PP. IX. *Exponendum Nobis* 30 Julii 1860.)

Confratribus et consororibus vere poenitentibus confessis, ac sacra Communione refectis, qui Sodalitatis ecclesiam seu capellam devote visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint,

2. in festo Patrocinii S. Joseph, Dominica tertia post Pascha Resurrectionis;

3. in festo B. M. V. a Salute, Dominica postrema Augusti;

4. die festo S. Camilli de Lellis, 15 mensis Julii. (Idem Pius IX. loc. cit.)

Confratribus et consororibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, qui devote visitaverint ecclesiam seu capellam Sodalitatis, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint,

5. die secunda mensis Februarii, anniversaria conversionis S. Camilli de Lellis;

6. die 19 Martii in festo S. Josephi Sponsi B. M. V. (Leo PP. XIII. *Significatum Nobis* 12 Dec. 1882, et Decret. S. Congr. Indulg. die 16 Junii 1883.)

7. Confratribus et consororibus, si singulis septem Dominicis diem festum S. Camilli immediate praecedentibus in ecclesia Sodalitatis piis supplicationibus haberi solitis in honorem ejusdem Sancti interfuerint, et una ex septem Dominicis, ad cujusque eorum arbitrium eligenda, vere poenitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti dictam ecclesiam devote visitaverint, et ibi, ut supra, oraverint. (Idem Leo PP. XIII. loc. cit.)

8. Feria V. festum B. M. V. de Salute immediate sequenti, qua recolitur anniversarium omnium sodalium defunctorum, confratribus et consororibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, et psalmum *De profundis* ter recitantibus, vel quinquies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam cum prece *Requiem aeternam* pro sodalibus defunctis, eamdemque ecclesiam de-

vote visitantibus, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundentibus. (Idem Leo PP. XIII. loc. cit.)

9. Confratribus et consororibus vere poenitentibus, ac confessis, et sacra Communione refectis, qui orationi semel in mense pro decedentibus in qualibet ecclesia Sodalitatum fieri solitae devote interfuerint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, indulgentia plenaria bis in anno, seu duobus mensibus arbitrio cujusque sodalium per annum eligendis. (Pius PP. IX. *Exponendum Nobis* 27 Sept. 1870.)

10. Confratribus et consororibus in articulo mortis, si vere poenitentes, et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint. (Idem Pius PP. IX. loc. cit.)

II. *Indulgentiae partiales.*

1. Indulgentia bis centum dierum confratribus et consororibus in qualibet ex septem Dominicis immediate praecedentibus festum S. Camilli, si corde saltem contrito devote adstiterint piis supplicationibus haberi solitis in honorem ejusdem Sancti in ecclesiis Sodalitatum. (Pius PP. IX. *Exponendum Nobis* 30 Julii 1860.)

2. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum, quolibet mense lucranda, exceptis mensibus, quibus lucrati fuerint plenariam, confratribus et consororibus, qui orationi semel in mense pro decedentibus in qualibet ecclesia Sodalitatum fieri solitae devote interfuerint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Pius PP. IX. *Exponendum Nobis* 27 Sept. 1870.)

3. Indulgentia unius anni confratribus et consororibus, qui corde saltem contrito interfuerint pio exercitio, quod in honorem S. Josephi pro agonizantibus locum habet in ecclesiis Sodalitatis singulis diebus festis. (Idem Pius PP. IX. 30 Julii 1860.)

4. Indulgentia tercentum dierum confratribus et consororibus, qui misericorditer infirmos visitaverint, curando, quatenus opus, eorumdem spiritualem profectum. (Leo PP. XIII. *Expositum Nobis* 17 Aprilis 1883.)

5. Indulgentia biscentum dierum confratribus et consororibus corde saltem contrito ac devoto interessentibus novendialibus supplicationibus, quae festum S. Camilli immediate praecedunt, necnon qualibet die ex triduanis precibus, quae praemittuntur festo B. M. V. de Salute et Patrocinii S. Josephi. (Pius PP. IX. loc. cit.)

6. Indulgentia sexaginta dierum confratribus et consororibus pro quolibet bono opere, corde saltem contrito ac devote peracto. (Idem Pius IX. loc. cit.)

Praedictae indulgentiae tum plenariae, tum partiales sunt applicabiles animabus Christifidelium in purgatorio detentis. (Leo PP. XIII. ex Rescript. S. C. Indulg. die 16 Junii 1883.)

III. *Privilegia et indulta.*

1. Sodales uti tesseram Archisodalitatis parvum scapulare induunt referens imaginem B. M. V. salutiferae, ac S. Josephi Deiparae Sponsi, et S. Camilli Confessoris, quod propria formula benedicitur et imponitur. (Decreta S. R. Congr. 16 Maji 1861 et 23 Novembris 1865.)

2. Supremus Archisodalitatis moderator in locis, ubi nulla exstat domus Ministrantium Infirmis, concedere potest sacerdotibus tum regularibus, tum saecularibus facultatem adscribendi Christifideles Archisodalitati in Urbe erectae, ita ut taliter adscripti omnibus et singulis indulgentiis frui valeant eidem Archisodalitati concessis, injuncta opera implendo in respectiva parochiali ecclesia; necnon facultatem benedicendi et imponendi scapularia Archisodalitatis. (Leo PP. XIII. ex Rescript. S. C. Indulg. diei 16 Junii 1883.)

3. Gaudet Archisodalitas facultate aggregandi Sodalitates ejusmodi nominis et instituti ubique terrarum erectas vel erigendas, illisque communicandi omnes et singulas indulgentias, privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas. (Pius PP. IX. *Sodalitia Fidelium* 11 Maji 1866, et Leo PP. XIII. *Expositum Nobis* 17 Aprilis 1883.)

4. Sodales extra Urbem degentes plenarias indulgentias relatas sub numeris 2., 3. et 4. lucrari possunt diebus, qui pro dictis solemnitatibus fuerint designati in calendario respectivae dioeceseos. (Pius PP. IX. *Exponendum Nobis* 27 Septembris 1870.)

5. In ecclesiis, ubi canonice reperitur erecta Sodalitas, altare, in quo colitur imago B. M. V. salutiferae, est privilegiatum pro sodalibus defunctis. (Pius PP. IX. *Expositum Nobis* 27 Junii 1873.)

6. In locis, ubi non exstat ecclesia Sodalitatis, sodales, si Regulares, ecclesiam Ordinis; si vero saeculares, ecclesiam parochialem visitare poterunt: moniales vero, aliaeque mulieres in clausura commorantes Sodalitati adscriptae, vel adscribendae, etiam in locis, ubi exstat ecclesia Sodalitatis, loco ipsius visitare poterunt e cratibus exteriorem ecclesiam, si habeant; secus oratorium internum pro lucrandis indulgentiis Archisodalitatis. (Leo PP. XIII. ex Rescript. S. C. Indulg. diei 16 Junii 1883.)

7. Sodalibus nunc et pro tempore existentibus, qui infirma valetudine impediti, quominus ecclesiam Sodalitatis visitare valeant, ad eumdem effectum lucrandi indulgentias indulgetur, ut de respectivi confessarii licentia et arbitrio aliud pietatis opus praestent. (Pius PP. IX. *Exponendum curavisti* 18 Augusti 1876.)

Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. die 21 Julii 1883 praefatum indulgentiarum et privilegiorum Summarium approbari, publicari typisque mandari posse benigne annuit. — Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die et anno, ut supra.

A. Card. Bilio.

Franciscus Della Volpe, Secret.

DE IMAGINE B. MARIAE VIRGINIS

SUB TITULO

SALUS INFIRMORUM

ejusque cultu, necnon de Sodalitate ejusdem nominis.

Jam ab ineunte saeculo XVII. colebatur Romae in ecclesia S. Mariae Magdalenae Ministrantium Infirmis imago quaedam mira pie-

tate et arte delineata, sub titulo *Salus Infirmorum*. Fama est, peritorum judicio confirmata, hanc pictam fuisse a B. Joanne Fesulano, vulgo *Angelico*, Dominicanae familiae alumno; et insuper pia docet traditio esse illam ipsam, coram qua preces fundebat Summus Pontifex S. Pius V. tum, cum victoriam partam de Turcis apud Echinadas insulas divinitus intellexit. Attamen, mortuo Sanctissimo Pontifice in manus pervenit nobilis cujusdam matronae romanae, a qua, non sine miraculorum interventu, illam obtinuit P. Caesar Simonius, ex Ordine CC. RR. Infirmis Ministrantium, qui Romae morabatur in domo S. Mariae Magdalenae. Statim ac ex privata hujus matronae domo in supradictam ecclesiam delata, publicae fidelium venerationi exposita fuit, coepit Beatissima Virgo tot praeclaris, saepe etiam extraordinariis donis ac beneficiis clientes suos, praesertim infirmos prosequi, ut Vaticanum Capitulum veneratissimam hanc imaginem anno 1668 aureo diademate condecorandam putaverit. Quod et rarissimo exemplo, secundo factum est, anno scilicet 1868, altero recurrente ab ipsa coronatione centenario.

Sodalitatis origo. Peculiaris devotionis instinctu humilis quidam Frater Ministrantium Infirmis, nomine Ferdinandus Vicarj, secum cogitare coepit de quadam instituenda Sodalitate sub invocatione Beatae Mariae Virginis de Salute, cujus esset scopus opem tantae Virginis implorare pro pauperibus infirmis. Et quoniam praecipui infirmorum patroni habentur S. Joseph, B. V. Sponsus, et S. Camillus de Lellis, hinc invocationi B. Mariae Virginis alteram SS. Joseph et Camilli addendam putavit. Qualis mente concepta fuerat, talis non multo post, die scilicet 15 Junii 1860 Decreto Eminentissimi Urbis Vicarii canonice erecta fuit in supradicta ecclesia Sodalitas, quae brevi in plerisque non solum Italiae, sed etiam exterarum nationum civitatibus summo studio excepta est.

Sodalitatis scopus. Itaque hujus Sodalitatis scopus est, ut fideles infirmi, praesertim in supremo vitae discrimine, Mariae salutiferae, purissimi ejus Sponsi et S. Camilli de Lellis validissimo patrocinio muniantur.

Sodalitatis opera. Quod facillime consequuntur sodales nonnullorum operum adimplemento, quorum alia omnino necessaria sunt ad hoc, ut iidem sodales possint frui gratiis et indulgentiis concessis a Summis Pontificibus; alia vero eorum relinquuntur arbitrio, licet vehementer suadeantur. *Necessaria* et *essentialia* sunt: 1°. quotidiana recitatio trium Salutationum Angelicarum in honorem B. Mariae Virginis, et trium *Gloria Patri* etc. in honorem SS. Josephi et Camilli pro omnibus infirmis agonizantibus; 2°. quotidiana pariter recitatio

unius *Pater, Ave* et *Requiem* pro omnibus sodalibus defunctis. Quae vero sodalibus commendantur, sunt: 1°. opera caritatis in bonum infirmorum et praesertim eorumdem visitatio; 2°. assistentia exercitiis pietatis, quae locum habent in ecclesiis Sodalitatis; 3°. fervens oratio pro peccatorum conversione.

Sodalitatis indulgentiae et privilegia. Adimpletis operibus injunctis sodales quamplurimas consequuntur indulgentias, et nonnullis gaudent privilegiis, prout videri potest in authentico Summario ab ipsa S. Indulgentiarum Congregatione recognito et adprobato.

Privilegiis, quae leguntur in praedicto Summario, adjungendum et aliud privilegium, vi cujus Summus Pontifex Pius IX. per Suum Breve *Sodalitia fidelium* datum sub die 11 Maji 1866 Romanam Sodalitatem *Archisodalitatis* titulo condecoravit, cum omnibus et singulis praerogativis, honoribus, juribus, praeeminentiis, quae hujusmodi titulo adnexae sunt.

Quoad vero indulgentias tria sunt necessario notanda, videlicet:

1. Si festum, cui adnexa est indulgentia, legitime transferatur quoad solemnitatem exteriorem, transfertur pariter et indulgentia, ex Decreto Urbis et Orbis S. C. Indulgentiarum sub die 9 Augusti 1852. Idem dicendum de indulgentiis concessis pro novendialibus vel triduanis supplicationibus.

2. Si iisdem operibus injunctis pro lucrandis indulgentiis Archisodalitatis adnexa sit ex diverso titulo vel adjuncto alia indulgentia, utramque poterunt lucrari sodales. Sic ex. gr. ex Rescripto S. C. Indulgentiarum sub die 8 Augusti 1853 omnibus Christifidelibus contrito corde peragentibus quocumque anni tempore, sive publice, sive privatim, pium exercitium septem Dominicarum in honorem S. Camilli, conceditur pro qualibet Dominica indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, et in postrema Dominica Confessione expiatis, ac sacra Communione refectis, et pias preces effundentibus juxta mentem Sanctitatis Suae in aliqua ecclesia vel publico oratorio, plenaria omnium peccatorum; sodalibus vero idem exercitium peragentibus in ecclesiis Sodalitatis septem Dominicis immediate praecedentibus festum ejusdem S. Camilli conceditur plenaria indulgentia in una ex iisdem Dominicis cujusque arbitrio eligenda, et in ceteris indulgentia biscentum dierum, prout in Summario. Sodales igitur unam et alteram indulgentiam lucrari poterunt: unam, quia tale peragunt pium exercitium: alteram, quia peragunt in ecclesiis Sodalitatis, et quidem determinatis illis Dominicis. Sic pariter sodalibus interessentibus orationi semel in mense pro decedentibus fieri solitae in ecclesiis Sodalitatis conceditur bis in anno plenaria indulgentia, et in

ceteris mensibus indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, ut videre est in Summario; omnes vero Christifideles privatim recitantes corde saltem contrito eamdem orationem cum corona benedicta a sacerdotibus Ministrantium Infirmis, vel ab aliis, quibus talis facultas commissa fuerit, lucrantur semel in die indulgentiam centum annorum. Sodales igitur, qui praedictae orationi assistunt in ecclesiis Sodalitatis, si coronam adhibeant, ut supra, benedictam, utramque indulgentiam lucrabuntur, quia scilicet duplici conditioni satisfaciunt, nempe assistunt in ecclesiis Sodalitatis, et corona utuntur benedicta.

3. Denique animadvertendum, quod ex jure communi indulgentiae, gratiae, et privilegia, quae communicantur a supremo Archisodalitatis moderatore ceteris Sodalitatibus ejusdem nominis et instituti ubique existentibus in actu erectionis et aggregationis, promulgari non possunt a respectivis directoribus, nisi praevia cognitione Ordinarii loci, ubi Sodalitas ipsa instituitur.

Suffragia pro sodalibus defunctis. Praeter illas preces, quas singuli sodales quotidie recitare tenentur pro confratribus et consororibus defunctis, anniversarium solemne celebratur pro iisdem, singulis annis, in ecclesia Archisodalitatis feria V. festum B. Mariae Virginis a Salute immediate sequenti. Suadetur autem singulis Sodalitatum directoribus, ut idem praestent in propriis ecclesiis, ubi Sodalitas est canonice instituta.

De facultatibus, quae conceduntur sacerdotibus petentibus. Sacerdotibus tum regularibus, tum saecularibus, qui degunt in locis, ubi nulla exstat domus CC. RR. Infirmis Ministrantium, concedi solent, cum id petierint, a Reverendissimo P. Generali supradicti Ordinis sequentes facultates, videlicet:

1°. Facultas adscribendi fideles piae Sodalitati;

2°. Facultas benedicendi scapularia, eaque imponendi Christifidelibus;

3°. Facultas benedicendi coronas Domini pro agonizantibus cum indulgentia centum annorum, prout ex Decreto S. R. C. sub die 23 Novembris 1865.

Quoad has facultates haec animadvertantur oportet: 1°. facultatem adscribendi Christifideles piae Sodalitati esse personalem, et nemini per subdelegationem committi posse; 2°. non idem tamen dicendum de facultate benedicendi scapularia, eaque imponendi Christifidelibus, quam qui obtinuerint, possunt etiam aliis subdelegare; 3°. tandem posse sacerdotes, de quibus supra, uti obtenta facultate benedicendi coronas Domini pro agonizantibus etiam in favorem illorum Christifidelium, qui Sodalitati nomen non dederunt. Imo hanc facul-

tatem obtinere poterunt etiam independenter a duabus aliis, et quamvis plures illam jam obtinuerint in eadem civitate vel loco degentes.

Nemo uti poterit hisce facultatibus, nisi fuerint prius a respectivis locorum Ordinariis recognitae.

Modus adscribendi Christifideles piae Sodalitati. Quilibet Superior domorum CC. RR. Infirmis Ministrantium facultate pollet adscribendi Christifideles huic piae Sodalitati. In locis vero, ubi nulla exstat horum Religiosorum domus, ii tantum hac uti possunt facultate, qui illam obtinuerint a Reverendissimo Patre Generali supradicti Ordinis Romae residente. Hi omnes debent 1°. nomina fidelium, qui huic Sodalitati adscribi petunt, referre in catalogo sodalium penes ipsos asservando; 2°. ea peragere, quae praescripta reperiuntur in Rituali Sodalitatis.

Attamen animadvertendum, quod sola inscriptio in catalogo sodalium sufficit ad hoc, ut Christifideles indulgentias lucrari possint. Unde haec inscriptio facienda est propria manu eorum, qui aggregandi pollent facultate. Reliqua vero, quae a Rituali Sodalitatis praescribuntur, pertinent tantum ad solemnitatem; et ideo, ut supra dictum est, committi possunt etiam aliis, quoties habentes facultatem id opportunum judicaverint. Et si in aliquo casu ea omissa fuerint, non ideo privantur sic adscripti gratiis et indulgentiis.

Christifideles cooptati in numero sodalium in locis, ubi Sodalitas adhuc non est canonice instituta, pertinere censentur ad Romanam Archisodalitatem. Hinc quolibet anno Romam mittenda erunt nomina eorum, qui ejusdem anni decursu piae Sodalitati adscripti fuerunt.

Modus erigendi Sodalitatem. In omnibus ecclesiis Ministrantium Infirmis, de Episcoporum consensu, erigi potest pia Sodalitas a respectivis Superioribus localibus; et Sodalitates ita institutae gaudent hoc ipso omnibus indulgentiis, gratiis, et privilegiis concessis a Summis Pontificibus Romanae Archisodalitati. In locis autem, ubi non adsunt domus Clericorum Infirmis Ministrantium, pia Sodalitas nonnisi ab Episcopis erigi poterit. Erectione autem canonice peracta moderator Sodalitatis, ut ipsa perfruatur indulgentiis et privilegiis Romanae Archisodalitati concessis, quae in Summario recensentur, expostulabit a Reverendissimo P. Generali Ordinis Ministrantium Infirmis aggregationem, vi cujus omnium indulgentiarum et privilegiorum Archisodalitatis particeps evadit.

76.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum Ordini Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium a Summis Pontificibus concessorum.

Pars prima.

Indulgentiae concessae ipsis Religiosis.

Indulgentiae plenariae.

1. Omnibus Christifidelibus, qui habitum Ordinis a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum susceperint. (Paulus V. *Romanus Pontifex* 23 Maji 1606.)

2. Cuilibet novitio, qui poenitens et confessus ac sacra Communione refectus post completum probationis tempus professionem emiserit. (Idem Paulus V. loc. cit.)

3. Cuilibet Religioso intra claustra sui monasterii viventi, qui in festo S. Camilli de Lellis confessus ac sacra Communione refectus, aut Missam respective celebraverit, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderit. (Idem Paulus V. loc. cit.)

4. In cujuslibet mortis articulo, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus, nomen Jesu ore, si potuerit, sin autem, corde devote invocaverit. (Idem Paulus V. loc. cit.)

5. Religiosis, qui ad presbyteratus Ordinem canonice promoti et confessi primam Missam celebrabunt, necnon etiam iis Religiosis, qui pariter confessi ac sacra Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam respective similiter celebraverint. (Idem Paulus V. loc. cit.)

6. Religiosi, qui de suorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei ca-

tholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis D. N. J. Ch. et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam respective celebraverint, quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum plenaria indulgentia gaudebunt. (Idem Paulus V. loc. cit. Verum Leo XIII. per Rescriptum S. C. Indulgentiarum diei 26 Augusti 1883 benigne indulsit, ut hanc eamdem indulgentiam Religiosi Ministrantes Infirmis lucrari valeant obeuntes spiritualia exercitia per octo tantum dies.)

7. In visitationibus generalibus, cum Superior orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, si Religiosi dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, confessi ac sacra Communione refecti fuerint aut Missam celebraverint, plenariam similiter indulgentiam consequuntur. (Idem Paulus V. loc. cit. Idem Leo XIII. per supra memoratum Rescriptum S. C. Indulgentiarum benigne concessit, ut hanc indulgentiam alumni CC. RR. Infirmis Ministrantium consequi valeant, quin Superior orationem praescriptam quadraginta horarum indicere teneatur.)

Item Religiosis vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui propriam ecclesiam, vel adnexum domui oratorium devote visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint,

8. in festo Inventionis Sanctissimae Crucis D. N. J. Ch.; [1])

[1]) Adnotanda. I. Si festum aliquod, cui adnexa est indulgentia, legitime transferatur quoad solemnitatem exteriorem, transfertur pariter et indulgentia, uti ex Decreto S. R. C. sub die 9 Augusti 1852.

9. in festo Exaltationis ejusdem;

10. eo die, quo suis in ecclesiis quotannis pro defunctorum Christifidelium, quibus Instituti ejusdem Fratres praesto fuerunt, dum vita migrarunt, animabus funebria celebrantur. (Leo PP. XIII. *Ad augendam* 15 Junii 1883, et ex Rescript. S. C. Indulg. die 26 Augusti 1883.)

11. Religiosis die per annum cujusque eorum arbitrio eligendo, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti qualibet in Instituti ejusdem ecclesia sive oratorio pro Congregationis ejusdem spirituali bono pias preces effuderint. (Idem Leo XIII. loc. cit.)

12. Omnes Ministrantes Infirmis, utpote cooptati in numero sodalium Ven. Archiconfraternitatis Confalonis Romae canonice institutae, lucrari poterunt omnes et singulas indulgentias eidem Archiconfraternitati concessas vel in posterum concedendas. * (Diploma Aggregationis sub die 25 Novembris 1592.)

Indulgentiae partiales.

1. Iidem Religiosi intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint, consequuntur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequerentur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitaverint. (Idem Paulus V. loc. cit.)

2. Omnibus item Religiosis intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante altare eorum ecclesiae dixerint, in quolibet die indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum. (Idem Paulus V. loc. cit.)

II. Quoties operibus injunctis ad lucrandas indulgentias in superiori Summario descriptas adnexa sit ex diverso titulo vel adjuncto alia indulgentia, qui primam lucratur, poterit et aliam lucrari, dummodo satisfaciat singulis conditionibus impositis.

III. Ad benedicendas coronas Domini pro agonizantibus adhibenda est formula adprobata a S. R. C., quae reperitur in Rituali Archisodalitatis B. M. V. a Salute, ac SS. Josephi et Camilli.

* IV. Indulgentiae, quas lucrari possunt CC. RR. Ministrantes Infirmis, utpote aggregati Ven. Archiconfraternitati Confalonis, sunt sequentes, videlicet:

3. Religiosis item, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores quinquies eamdem Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum. (Idem Paulus V. loc. cit.)

4. Eisdem Religiosis, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint ac confessi et sacra Communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint, indulgentia sexaginta annorum et totidem quadragenarum. (Idem Paulus V. loc. cit.)

5. Religiosis, qui vere contrito corde et poenitentes eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt et exercitium virtutum facient, indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum. (Idem Paulus V. loc. cit.)

6. Iisdem Religiosis, quoties corde contriti aegrotis adstiterint, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum. (Idem Leo XIII. loc. cit.)

7. Omnibus Congregationis alumnis, qui quolibet per annum die pro infirmis oraverint, indulgentia centum dierum. (Idem Leo XIII. loc. cit.)

Pars secunda.

Indulgentiae plenariae concessae omnibus Christifidelibus visitantibus ecclesias CC. RR. Ministrantium Infirmis.

1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, qui orationi semel in mense pro decedentibus in qualibet ecclesia Ministrantium Infirmis fieri solitae devote interfuerint, ibi-

---

1°. Indulgentia plenaria die, quo per professionem religiosam eidem Archiconfraternitati aggregati censentur, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti pro salute Romani Pontificis, christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

2°. In mortis articulo, si poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, sin autem, corde devote invocaverint, et animam suam Deo commendaverint.

3°. Indulgentia plenaria lucranda in die festo S. Luciae ab iis, qui poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti a primis Vesperis usque ad occasum solis

que pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon pro felici agonizantium transitu pias ad Deum preces effuderint, plenaria bis in anno, videlicet duobus mensibus arbitrio cujusque per annum eligendis; in ceteris vero mensibus indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum. (Innocentius PP. XI. *Coelestium munerum* 26 Sept. 1678.)

2. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quarumcumque domorum Ministrantium Infirmis ubicumque existentibus die 15 mensis Julii festo S. Camilli de Lellis a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Benedictus PP. XIV. *Redemptoris et Domini* 23 Augusti 1746.)

3. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus ac confessis, et sacra Communione refectis, qui expositioni SSmi Eucharistiae Sacramenti de Ordinariorum respective licentia in ecclesiis CC. RR. Infirmis Ministrantium singulis Dominicis et de praecepto Ecclesiae festis diebus faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, qua Dominica seu die ex praedictis id egerint. (Clemens PP. XIII. *Ad augendam* 4 Martii 1760. Summus Pontifex Gregorius XVI. per Rescriptum S. C. Indulgentiarum die 16 Martii 1842 praefatam indulgentiam extendit etiam ad dies festos, qui ex

---

diei hujusmodi, ecclesiam Archisodalitatis sub titulo S. Luciae Romae visitaverint, ibique pro salute Romani Pontificis, christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint.

4°. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum lucranda in die festo Assumptionis B. M. V. et in festivitate B. M. V. ad Nives ab iis qui poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti praefatis diebus Liberianam Basilicam S. Mariae Majoris devote visitaverint ibique oraverint, ut supra.

5°. Indulgentia septem annorum iis, qui confessi ac sacra Communione refecti, in Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis et Assumptionis B. M. V. festis diebus, et in festivitatibus Nativitatis D. N. J. Ch., Paschatis Resurrectionis et Pentecostes

recentioribus SS. Pontificum Constitutionibus ex albo festorum de praecepto expuncti sunt.)

Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis et sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Ministrantium Infirmis a primis Vesperis ad solis occasum devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint,

4. in festo Inventionis Sanctissimae Crucis D. N. J. Ch.;

5. in festo Exaltationis ejusdem;

6. die, quo in praedictis ecclesiis justa funebria persolvuntur pro animabus Christifidelium, quibus ex hac vita decedentibus pie adstiterunt CC. RR. Infirmis Ministrantes. (Leo PP. XIII. ex Rescripto S. C. Indulg. diei 26 Aug. 1883.)

Summus Pontifex Leo PP. XIII. per Rescriptum S. C. Indulgentiarum die 16 Junii 1883 benigne indulsit, ut praefatae omnes indulgentiae applicari possint per modum suffragii animabus Christifidelium in purgatorio detentis.

Pars tertia.

Privilegia et indulta.

1. Omnibus Professis Ministrantium Infirmis conceditur, ut, quotiescumque cujusque propriam J. C. D. N. crucifixi imaginem, quae semel electa, nisi in eventu amissionis mutari nequit, ad quemcumque Christifidelem in articulo mortis constitutum deferet, hic si vere poenitens, confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus, corde devote invocaverit, imaginemque hujusmodi osculatus

---

supradictam ecclesiam Archiconfraternitatis Confalonis, et in festo Epiphaniae ecclesiam B. Mariae de Aracoeli, et capellam in ea sitam S. Helenae de Urbe visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint.

6°. Indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum *recitantibus coronam a S. Bonaventura institutam* qualibet secunda feria cujuslibet mensis, et in die Commemorationis Defunctorum pro eorundem defunctorum animabus.

7°. Indulgentia centum dierum iis omnibus, qui contriti et propositum habentes suo tempore confitendi *a*) *eamdem coronam Domini recitaverint* singulis diebus Dominicis; vel *b*) *Urbis ecclesias in diebus, in quibus Stationes sunt,* visitaverint, ibique oraverint, seu etiam *praedictam coronam dixerint* pro animabus defunctorum; vel *c*) comitati fuerint SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur; vel *d*) pias ad Deum preces effuderint pro defunctis Archisodalitatis; vel

fuerit, seu tetigerit, plenariam indulgentiam consequetur. (Alexander PP. VII. *Ut saluti* 25 Januarii 1656.)

2. Praefecto Generali, deque ejus licentia omnibus cujusque domus Superioribus etiam pro tempore existentibus facultas conceditur Ordini aggregandi pro piis misericordiae operibus exercendis erga infirmos tum saeculares, tum regulares, de licentia tamen suorum Superiorum, laicos, clericos et presbyteros cum communicatione omnium et singularum indulgentiarum et gratiarum Ordinis, dummodo sic aggregati ea praestiterint, quae pro eisdem indulgentiis et gratiis consequendis fuerint praescripta; necnon facultas admittendi benefactores ad participationem omnium bonorum operum et meritorum nostrae Congregationis. (Gregorius PP. XIV. *Illius qui pro gregis* 1 kal. Octobris 1591, et Leo PP. XIII. per Rescript. S. C. Indulg. die 26 Augusti 1883.)

3. Quodvis altare erectum vel erigendum in honorem S. Camilli in ecclesiis Ministrantium Infirmis privilegio quotidiano et perpetuo condecoratur. (Benedictus PP. XIV. *Omnium saluti* 14 Aprilis 1753.)

4. Omnes et singulae Missae, quae a quocumque sacerdote Ordinis CC. RR. Infirmis Ministrantium in vim statutorum seu juxta Ordinis constitutiones pro anima cujuscumque presbyterorum, clericorum et laicorum ejusdem Ordinis celebrari debent, ad quodcumque altare ecclesiarum Ordinis praedicti celebratae fuerint, eodem privilegio gaudent, ac si in altari privilegiato celebratae fuissent. (Clemens PP. XIV. ex Decret S. C. Indulg. 12 Septembris 1769.)

5. Omnibus sacerdotibus Congregationis Ministrantium Infirmis facultas concessa est benedicendi coronas Domini pro agonizantibus cum applicatione indulgentiae centum an-

---

e) pauperibus et miserabilibus personis subvenerint; vel *f*) pacem cum inimicis propriis aut alienis composuerint, seu componi fecerint vel procuraverint.

8°. Indulgentia quinquaginta dierum lucranda semel in die ab iis, qui contriti *recitaverint quotidie coronam Domini*, et semel in anno ab iis, qui visitaverint *a*) ecclesiam S. Mariae Magdalenae de Urbe, et *b*) oratorium dictae Archiconfraternitatis sub invocatione SS. Apostolorum Petri et Pauli in eorum festivitatibus. (Urbanus PP. VIII. *Mediatoris Dei* 23 Maji 1633.)

V. Ministrantes Infirmis extra Urbem degentes lucrari possunt praedictas indulgentias diebus et in ecclesiis (ubi earum visitatio praescripta reperitur) a respectivis Ordinariis semel designandis, vel designatis.

norum semel in die lucrandae ab omnibus Christifidelibus, qui corde saltem contrito illam devote recitaverint. (Pius PP. IX. ex Decr. S. R. C. die 23 Nov. 1865.)

6. In locis, ubi non existunt Ministrantes Infirmis, Praefectus Generalis tribuere potest sacerdotibus tum regularibus, tum saecularibus facultatem benedicendi praedictas coronas cum applicatione ejusdem indulgentiae. (Leo PP. XIII. per Rescript. S. C. Indulg. diei 16 Junii 1883.)

7. Omnibus domorum Superioribus facultas concessa est adscribendi Christifideles piae Sodalitati sub titulo B. M. V. a Salute, ejusque Sponsi S. Josephi, et S. Camilli de Lellis, cum facultate subdelegandi ad id muneris alios sacerdotes quoscumque ejusdem Congregationis, necnon praedictam Sodalitatem erigendi in propriis ecclesiis, de Ordinariorum tamen consensu; quae Sodalitas ita instituta gaudet hoc ipso omnibus et singulis indulgentiis et gratiis concessis Archisodalitati canonice erectae in ecclesia S. Mariae Magdalenae de Urbe. (Item Leo XIII. loc. cit.)

8. Aggregati Ordini Ministrantium Infirmis in locis, ubi praedictus Ordo non exstat, lucrari poterunt indulgentias ipsis a praefato Ordine communicatas visitando, cum id exigitur, propriam ecclesiam, si Regulares, vel respectivam parochialem ecclesiam, si saeculares. (Idem Leo XIII. loc. cit.)

Sanctissimus Dominus Noster Leo PP. XIII. die 27 Augusti 1883 praefatum indulgentiarum, privilegiorum et indultorum Summarium approbari, publicari, typisque mandari posse benigne annuit. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die et anno, ut supra.

A. Card. Bilio.
Franciscus Della Volpe, Secret.

VI. Omnes Christifideles contrito corde peragentes quocumque anni tempore, in publico vel in privato, pium exercitium septem Dominicarum in honorem S. Patris Camilli lucrari poterunt in qualibet Dominica indulgentiam septem annorum et totidem quadragenarum et in postrema plenariam indulgentiam, dummodo confessi ac sacra Communione refecti in aliqua publica ecclesia vel oratorio Deum oraverint juxta mentem Sanctitatis Suae, uti ex Rescript. S. C. Indulgentiarum sub die 8 Aug. 1853.

77.

Summarium indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum Congregationi Primariae Bonae Mortis Romae in templo domus Professorum Societatis Jesu erectae.

Indulgentiae plenariae.

1. Quo die omnes utriusque sexus Christifideles inter sodales recipiuntur, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint in ecclesia, ubi Sodalitas ipsa erecta est, aut ubicumque potuerint. (Benedictus PP. XIII. *Redemptoris Nostri Jesu Christi* 1 Octob. 1729, § 4.)

2. Sodalibus in mortis articulo constitutis, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, si id commode fieri poterit, vel saltem contriti SSmum nomen Jesu corde, si ore nequiverint, devote invocaverint, aut aliquod poenitentiae signum dederint. (Idem Bened. XIII. l. c. § 5.)

3. Iisdem sodalibus semel quolibet mense in una ex sextis feriis hebdomadae, seu in una ex diebus Dominicis cujuslibet mensis ad libitum cujusque sodalis eligenda, prout expositio SSmi Sacramenti vespere in qualibet ex dictis sextis feriis seu diebus Dominicis fiet, dummodo vere poenitentes et confessi in ecclesia Sodalitatis SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint et expositioni SSmi Sacramenti devote interfuerint, et inibi pias ad Deum preces, prout unicuique suggeret devotio, pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, haereticorum et infidelium conversione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ac Romani Pontificis prosperitate devote effuderint. (Idem Benedictus XIII. loc. cit. § 6.)

4. In diebus festis Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis D. N. J. Ch., Pentecostes, SSmae Trinitatis, Corporis Christi, necnon Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. ac Nativitatis S. Joannis Baptistae, et singulorum Apostolorum, videlicet Petri, Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi, Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis, Judae et Mathiae, item S. Josephi et commemorationis Omnium Sanctorum,

dummodo vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum in templo, ubi erecta est Sodalitas, sumpserint ac, uti supra, oraverint. (Idem Benedictus XIII. loc. cit. § 7.)

5. In Dominica tertia post Pascha Resurrectionis, et in Dominica tertia Septembris, si vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti Congregationis ecclesiam vel oratorium devote visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Pius PP. IX. *Ad augendam fidelium religionem* die 23 Januarii 1866.)

6. Sodales consequuntur omnes indulgentias Stationum ecclesiarum Urbis sive intra, sive extra muros illius, si diebus Quadragesimae et aliis anni temporibus ac diebus Stationum hujusmodi ecclesiam seu capellam vel oratorium proprium, si ibi fuerit; alioquin aliam ecclesiam seu capellam in locis, ubi eos pro tempore residere vel morari contigerit, devote visitaverint, et ibi septies Orationem Dominicam et septies Salutationem Angelicam devote recitaverint. (Benedict. XIII. loc. cit. § 11.)

Indulgentiae partiales.

1. Septem annorum et totidem quadragenarum, quoties sodales expositioni SSmi Sacramenti vespere in qualibet ex dictis sextis feriis, seu in qualibet ex dictis diebus Dominicis, uti in num. 3° dictum est, devote interfuerint et ad finem supra dictum oraverint; aut corpus suum flagellaverint, seu, ut vulgo dicitur, disciplinam fecerint. (Idem Benedictus XIII. loc. cit. § 8.)

2. Unius anni, quoties sodalium seu aliorum fidelium defunctorum corpora ad sepulturam ecclesiasticam comitati fuerint; aut infirmi, vel impediti, audito signo campanae genuflexi, si per infirmitatem licebit, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro salute animae defuncti, vel corporis infirmi recitaverint; quique congregationibus tam publicis, quam privatis, ac divinis Officiis, spiritualibus colloquiis, exhortationibus et aliis piis officiis etiam in sodalis seu aliorum Christifidelium defunctorum suffragium per prae-

fatam Primariam Congregationem ordinandis et ab ipso pro tempore existente Praeposito, seu Vicario Generali Societatis Jesu approbandis; ac diebus feriatis Missae sacrificio interfuerint, aut vespertino tempore, antequam cubent, conscientiam suam diligenter examinaverint; seu pauperes infirmos tam sodales, quam alios in hospitalibus vel privatis domibus, necnon carceratos visitaverint. (Idem Benedictus XIII. loc. cit. § 9.)

Sodalibus, quibus ab Urbe abesse, vel alibi commorari contingat, ne ipsi indulgentiarum aliarumque gratiarum effectu et fructu frustrati remaneant, indulgetur, ut in locis, ubi pro tempore resideant seu commorentur, si apud ecclesias eorumdem locorum, aut alibi, prouti poterunt, opera praestiterint, quae ab ipsis forent praestanda in Urbe pro singularum indulgentiarum consecutione, omnes supradictas indulgentias similiter consequantur. (Idem Benedictus XIII. loc. cit. § 10.)

Omnes praefatae indulgentiae applicari possunt per modum suffragii animabus fidelium defunctorum. (Idem Benedictus XIII. loc. cit. § 17. Pius PP. IX. *Ad augendam fidelium religionem* die 23 Januarii 1866.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praesens Summarium denuo recognitum uti authenticum approbavit ac typis imprimi et publicari posse censuit. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 22 Septembris 1883.

Franciscus Della Volpe, Secret.

78.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum Fratribus et Monialibus Ordinis Servorum B. Mariae Virginis a Romanis Pontificibus concessorum.

I. *Indulgentiae plenariae.*

1. Omnibus Christifidelibus, qui habitum Ordinis a legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam Religionem, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum

sumpserint. (Paulus PP. V. Constit. *Romanus Pontifex* die 23 Maji 1606.)

2. Cuilibet Novitio, qui poenitens et confessus ac sacra Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit. (Item Paulus V. loc. cit.)

3. Quibuslibet Fratribus vel Monialibus intra claustra sui monasterii viventibus, qui in festo principali Ordinis confessi, ac sacra Communione refecti fuerint, aut Missam respective recitaverint, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Item Paulus V. loc. cit.)

4. In cujuslibet vero Fratris vel Monialis mortis articulo, si pariter vere poenitens et confessus ac sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu, ore si potuerit, sin autem, corde devote invocaverit. (Item Paulus V. loc. cit.)

5. Fratribus, qui ad presbyteratus Ordinem canonice promoti, et confessi primam Missam celebrabunt, necnon etiam iis Fratribus ac Monialibus, qui pariter confessi ac sacra Communione refecti eidem Missae interfuerint, aut ipso die Missam respective similiter celebraverint. (Item Paulus V. loc. cit.)

6. Fratres vel Moniales, qui de suorum Superiorum licentia a negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conversatione separati, in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animos ad devotionem et spiritum inducentium lectiónibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis D. N. Jesu Christi, et aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore Confessionem generalem, aut annualem, vel ordinariam, SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, aut Missam respective celebraverint, quoties pro quolibet praedictorum exercitiorum plenaria indulgentia gaudebunt. (Item Paulus V. loc. cit.)

7. Quotiescumque Fratres de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum in ditiones et terras infidelium aut haereticorum ad concionandum, aut catholicos docendum, vel infideles et haereticos ipsos ad fidem catholicam convertendum et Ecclesiae gremio reducendum missi fuerint, si poenitentes et confessi, ac SSma Communione refecti fuerint, vel Missam celebraverint, ut melius ad hujusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri sese accingent, et quando in provinciam, ubi praedicta opera exercenda erunt, ingressi fuerint, plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia perfruuntur. (Item Paulus V. loc. cit.)

8. In visitationibus generalibus, cum Superior orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, si Fratres vel Moniales dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diverso tempore interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, Romani Pontificis salute, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, necnon disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces, ut supra dictum est, effuderint, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, aut Missam celebraverint, plenariam similiter indulgentiam consequuntur. (Item Paulus V. loc. cit.)

9. Eisdem Fratribus et Monialibus expresse professis vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, ecclesias Ordinis in festivitatibus Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, et Assumptionis B. Mariae Virginis a primis Vesperis usque ad occasum solis visitantibus, ibique pias ad Deum preces pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione effundentibus: infirmitatis vero aut gravis senii causa hoc facere impeditis, aliquod tamen aliud pium opus peragentibus ad arbitrium Superioris regularis localis, singulis sex festivitatibus supradictis conceditur plenaria indulgentia. (Clemens PP. XII. *Unigeniti Filii Dei* die 9 Decembris 1734.)

10. Indulgentia plenaria omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti, dummodo id commode fieri poterit, secus sal-

tem contriti, antequam ex hac vita migraverint, in mortis articulo, vel etiam post illorum obitum in signum interioris poenitentiae humiliter petierint, si viri, deferre habitum Fratrum, sin autem mulieres, habitum Tertiariarum. (Item Clemens XII. loc. cit.)

II. *Indulgentiae partiales.*

1. Iidem Fratres et Moniales intra claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint, et, ut praefertur, oraverint, consequuntur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam diebus Stationum consequerentur, in omnibus diebus, perinde ac si ipsas Urbis ecclesias personaliter visitaverint. (Item Paulus V. loc. cit.)

2. Omnibus item Fratribus et Monialibus intra claustra, ut supra, viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante altare suae ecclesiae dixerint, in quolibet die indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum. (Item Paulus V. loc. cit.)

3. Fratribus, qui de suorum Superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes tamquam praedicatores et lectores quinquies eamdem Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam ante quodlibet altare similiter dixerint, indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum. (Item Paulus V. loc. cit.)

4. Eisdem Fratribus et Monialibus, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint, ac confessi, et sacra Communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint, indulgentia sexaginta annorum et totidem quadragenarum. (Item Paulus V. loc. cit.)

5. Fratribus et Monialibus, qui vere contrito corde, et poenitentes suas culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, et spiritualiter communicabunt, et exercitium virtutum facient, indulgentia trium annorum et totidem quadragenarum. (Item Paulus V. loc. cit.)

6. Fratribus et Monialibus confessis ac sacra Communione refectis, jejunantibus de Superiorum licentia in omnibus et singulis vigiliis festivitatum B. Mariae V. in pane

et aqua, aut hoc facere nequeuntibus in pane et vino, et etiam id facere nequeuntibus, ultra panem et vinum addito ad arbitrium Superioris uno ex ferculis in communi mensa appositis, et per dimidium horae de eadem B. Maria V. devote meditantibus, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quoties id egerint. (Clemens XII. *Unigeniti Filii Dei* 9 Decembris 1734.)

Omnes indulgentiae tam plenariae, quam partiales Ordini concessae sunt applicabiles per modum suffragii animabus Christifidelium defunctorum. (Benedictus XIV. Litteris in forma Brevis *In supremo* datis die 4 Septembris 1745; et Leo XIII. ex Decreto S. Congreg. Indulg. diei 26 Maji 1883.)

Privilegia.

Omnes Missae defunctorum a sacerdotibus Ordinis celebratae juxta Ordinis statuta pro animabus Fratrum et Monialium in ecclesiis tantum ejusdem Ordinis privilegiatae existunt. (Clemens XII. *Unigeniti Filii Dei* 9 Dec. 1734.)

Fratres et Moniales in casu verae impotentiae integram coronam Septem Dolorum B. M. V. recitare nequeuntes, plenariam indulgentiam etiam consequuntur recitantes tantummodo aliquem hymnum in honorem B. M. V. (Item Clemens XII. loc. cit.)

Fratres et Moniales de omnibus et singulis indulgentiis confratribus Societatis Septem Dolorum B. M. V. concessis et concedendis vere participant et illas valide lucrari possunt, servatis tamen operibus dictis confratribus injunctis. (Item Clemens XII. loc. cit.)

Altare B. Mariae V. Dolorosae in omnibus ecclesiis Ordinis gaudet privilegio quotidiano perpetuo pro omnibus fidelibus defunctis, etiamsi aliud altare existat eodem gaudens privilegio. (Benedictus XIII. 24 Jan. 1725.)

Paulus V. per Breve *Cum certae* datum die 14 Februarii 1607, concessit Reverendissimo P. Gener. Ordinis facultatem erigendi et instituendi Confraternitates Septem Dolorum B. Mariae V. laicorum utriusque sexus in ecclesiis Ordinis, ubi sunt Conventus saltem sex aut quinque Fratrum professo-

rum sacerdotum, de Ordinariorum licentia et consensu, atque illis communicandi omnes indulgentias et gratias spirituales Confraternitati concessas, servata tamen forma praescripta in Constitut. *Quaecumque* fel. rec. Clementis PP. VIII.

Idem vero Pontifex alio Brevi *Cum Nos nuper* die 28 Julii 1607 dictam facultatem concessit etiam Vicario Generali, absente tamen ipso Generali, eamque ita ampliavit, ut Confraternitas hujusmodi etiam erigi possit in ecclesiis, in quibus non sunt praedicti sex vel quinque Fratres sacerdotes professi.

Urbanus PP. VIII. per Breve *Pastoris aeterni* datum die 18 Septembris 1628 facultatem fecit Reverendissimo P. Priori Generali erigendi, ut supra, dictam Confraternitatem etiam in ecclesiis saecularibus, de expresso tamen Ordinariorum locorum, ac rectoris ecclesiae consensu, et semel tantum ibidem designandi septem altaria pro lucrandis indulgentiis concessis visitantibus septem altaria in ecclesia S. Petri in Vaticano.

Tandem Leo PP. XIII. facultatem fecit Moderatori Generali, ejusque Vicariis erigendi et benedicendi juxta ritum a S. Congregatione Rituum approbatum Stationes *Viae Matris Dolorosae* nuncupatae cum adnexis indulgentiis, omnibus in ecclesiis vel publicis oratoriis privatisque sacellis, praevio in scriptis Ordinariorum, necnon parochorum aliorumque Superiorum consensu, in quorum jurisdictione *Via Matris* erigi contigerit, sub poena nullitatis ipsiusmet erectionis ipso facto incurrendae; cum potestate communicandi facultatem erectionis et benedictionis praefatae *Viae Matris* aliis ecclesiasticis viris sibi benevisis. (Brevi *Deiparae Dolorosae* die 8 Maji 1883.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefatum Summarium denuo recognovit typisque imprimi permisit. Ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 12 Januarii 1884.

Franciscus Della Volpe, Secret.

79.

Summarium indulgentiarum et privilegiorum Tertiariis utriusque sexus Ordinis Servorum B. Mariae Virg. a Summo Pontifice Leone XIII. per Rescriptum S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sub die 15 Decembris 1883 concessorum.

Indulgentiae plenariae.

Tertiarii ex utroque sexu singuli, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, plenariam indulgentiam consequentur:

I. Die, quo Ordini nomen dederint.

II. Quo die singuli primitus Ordinem profitentur.

III. Diebus festis 1° Corporis Christi, 2° Conceptionis immaculatae B. Mariae Virg., 3° Nativitatis, 4° Annuntiationis, 5° Purificationis, 6° Assumptionis ejusdem B. M. V., 7° B. M. V. Perdolentis (feria sexta Passionis), 8° S. Josephi Sponsi B. Mariae V. (19 Martii), 9° S. Peregrini Latiosi, dummodo, uti supra, dispositi ecclesiam aliquam vel publicum oratorium visitaverint, ibique juxta mentem Summi Pontificis devote aliquandiu oraverint.

IV. Semel in anno, si per octo dies continuos spiritualibus exercitiis operam dederint.

V. In mortis articulo, si rite dispositi, uti supra, vel sin minus, contriti Jesu nomen voce, aut si loqui posse desierint, corde saltem invocaverint.

VI. Item diebus Stationum in Missali Romano descriptis, si suam ecclesiam vel oratorium vel capellam visitaverint, ibique rem christianam Deo commendaverint, easdem indulgentias consequentur, quas consequerentur praefatis diebus personaliter visitantes ecclesias Urbis et extra eam.

VII. Semel in mense, si qui Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam cum Gloria Patri quinquies recitaverint pro incolumitate sanctae Matris Ecclesiae, et semel ad mentem Summi Pontificis, indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, locorum Jerusalem, S. Jacobi in Compostella consequentur.

VIII. Bis in anno benedictionem Summi Pontificis nomine accepturi, si juxta mentem ipsius S. Pontificis per aliquod

temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, itemque hac ipsa lege preces effundendi accepturi benedictionem diebus infrascriptis: 1°. Natalis D. N. J. Ch., 2°. die solemni Paschatis Resurrectionis, 3°. die solemni Pentecostes, 4°. in festo solemni Virginis Perdolentis (mense Septembri), 5°. in festo Septem BB. Fundatorum, 6°. in festo S. Philippi Benitii, 7°. in festo S. Julianae de Falconeriis.

Indulgentiae partiales.

Quo die Fratres et Sorores ad menstruam concionem seu *conferentiam* conveniunt, indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum perfruuntur.

Privilegia.

Missae, quae ubivis celebrabuntur in suffragium Fratrum et Sororum, erunt privilegiatae.

Omnes supra enumeratae indulgentiae per modum suffragii applicari poterunt animabus Christifidelium in purgatorio detentis.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefatum Summarium uti authenticum recognovit typisque imprimi posse benigne permisit. Ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 12 Januarii 1884.

Franciscus Della Volpe, Secret.

80.

Summarium indulgentiarum confratribus et consororibus Societatis Septem Dolorum B. Mariae Virginis concessarum.

I. *Indulgentiae plenariae.*

1. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus die, quo parvum habitum B. M. V. Dolorosae suscipientes Confraternitatem fuerint ingressi, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint. (Paulus V. Brevi *Cum certas* d. d. 14 Februarii 1607.)

2. Confratribus et consororibus, uti supra, dispositis dictae Confraternitatis, qui ecclesiam, in qua hujusmodi Confraternitas erecta fuerit, in festo principali ejusdem Confraternitatis a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpa-

tione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint. (Item Paulus V. loc. cit.)

3. Confratribus et consororibus in mortis articulo constitutis, qui poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem vere poenitentes, nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint. (Item Paulus V. loc. cit.)

4. Confratribus et consororibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui solemni processioni de Ordinarii loci licentia in una ex cujuslibet mensis diebus Dominicis peragendae devote interfuerint, et pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Paulus V. *Volentes Nos* 7 Junii 1611, et Urbanus VIII. *Pastoris aeterni* 18 Sept. 1628.)

5. Confratribus et consororibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti suae respective Confraternitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium Dominica Passionis a primis Vesperis usque ad occasum solis annis singulis devote visitaverint, ibique pias considerationes Septem Dolorum B. Virginis et praecipue Passionis D. N. Jesu Christi fecerint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione oraverint. (Innocentius XI. Brevi *Commissae Nobis* d. d. 1 Septembris 1681.)

II. *Indulgentiae partiales.*

1. Septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti Confraternitatis ecclesiam sive oratorium vel capellam in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. V. festivitatibus similiter a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatum hujusmodi visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Paulus PP. V. *Cum certas* d. d. 14 Februarii 1607.)

2. Septem annorum totidemque quadragenarum confratribus et consororibus, qui singulis sextis feriis in memoriam

et honorem Passionis D. N. Jesu Christi quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitaverint, dummodo poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint. (Item Paulus V. loc. cit.)

3. Quinque annorum totidemque quadragenarum iisdem confratribus et consororibus, qui SSmum Eucharistiae Sacramentum, quando ad infirmos defertur, comitati fuerint, et pro eorum salute preces Deo effuderint. (Item Paulus V. loc. cit.)

4. Centum dierum, quando Officium B. Mariae Virg. in ecclesia seu oratorio dictae Confraternitatis insimul recitaverint. (Item Paulus V. loc. cit.)

5. Sexaginta dierum, quoties antiphonae B. M. V. *Salve Regina* et Litaniis ejusdem B. M., quae singulis diebus Sabbati sub Vesperis decantantur, interfuerint; aut eodem die septies Orationem Dominicam, et toties Salutationem Angelicam in honorem Septem Dolorum ejusdem B. Mariae recitaverint; aut Missis et aliis divinis Officiis per dictos confratres in ecclesiis vel oratoriis ejusdem Confraternitatis pro tempore celebrandis et recitandis, aut congregationibus publicis vel privatis dictae Confraternitatis ubivis faciendis similiter interfuerint; aut corpora defunctorum tam confratrum, quam aliorum, ad sepulturam comitati fuerint, aut quodcumque aliud pietatis vel caritatis opus egerint. (Item Paulus V. loc. cit.)

6. Centum dierum per annum exercentibus se in piis meditationibus Septem Dolorum B. Mariae V. et Passionis D. N. Jesu Christi, ac praesertim Oratione Dominica et Salutatione Angelica cum cantico *Stabat Mater dolorosa* etc. in ecclesiis praedictis recitari, aliisque spiritualibus exercitiis ibidem fieri solitis, ac orantibus juxta mentem Summi Pontificis. (Innocentius XI. *Commissae Nobis* d. d. 1 Septembris 1681.)

7. Indulgentiae Stationum Urbis, prout describuntur in Missali Romano, ac si ipsi confratres et consorores personaliter ecclesias tam intra, quam extra eamdem Urbem positas ad id destinatas diebus Stationum devote visitaverint, dummodo ecclesiam sive capellam vel oratorium suae re-

spectivae Confraternitatis devote adeant. (Item Innocentius XI. loc. cit. — Vide has indulgentias supra pag. 239 in Rescr. 313.)

Privilegia.

Omnes confratres et consorores Confraternitatis Septem Dolorum B. Mariae Virg. etiam regulares utriusque sexus cujuscumque Ordinis, qui ob infirmitatem, vel aliud legitimum et grave impedimentum nequeant ecclesiam Confraternitatis visitare, possunt indulgentias omnes lucrari, dummodo visitatio, de qua supra, a respectivo confessario in aliud pium opus commutetur. (Clemens XIII. per Decretum S. Congreg. Indulgentiar. d. d. 17 Augusti 1762.)

Omnes praefatae indulgentiae confratribus et consororibus concessae sunt applicabiles per modum suffragii animabus fidelium defunctorum. (Innocentius XI. *Commissae Nobis* d. d. 1 Septembris 1681.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefatum Summarium uti authenticum recognovit typisque mandari benigne permisit, ejusque exemplaria Confraternitatibus aggregandis tradenda praecepit, ut manu Procuratoris Generalis Ordinis Servorum B. Mariae Virginis subscribantur, et ejusdem Procuratoris sigillo muniantur. Ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 12 Januarii 1884.

Franciscus Della Volpe, Secret.

Appendix. Indulgentiae a Summis Pontificibus Benedicto XIII. Brevi Redemptoris Domini *d. d. 26 Septembris 1724, et a Clemente XII. Brevi* Unigeniti Filii Dei *d. d. 12 Decembris 1734 concessae omnibus Christifidelibus recitantibus coronam Septem Dolorum B. Mariae Virg., et in Collectione authentica precum a SS. PP. indulgentiis ditatarum relatae, typis edita S. Congreg. de Propag. Fide anno 1877.*

I. Indulgentia ducentorum dierum pro qualibet Oratione Dominica, et totidem pro qualibet Salutatione Angelica omnibus Christifidelibus, qui vere poenitentes et confessi, aut saltem cum vero proposito Confessionis peragendae recitabunt hujusmodi coronam in ecclesiis Ordinis Servorum Mariae. (Benedictus PP. XIII. loc. cit.)

II. Item indulgentia ducentorum dierum illis, qui hujusmodi devotionem exequentur in quocumque loco, in omnibus feriis sextis, in Quadragesima, ac in festivitate et tota octava Septem Dolorum B. Mariae Virg. (Benedictus XIII. loc. cit.)

III. In reliquis vero totius anni diebus indulgentia centum dierum. (Benedictus XIII. loc. cit.)

IV. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, quando recitabitur integra corona, aut per se, aut cum socio. (Benedictus XIII. loc. cit.)

V. Indulgentia centum annorum Christifidelibus, qui receperint immediate ab aliquo Religioso Ordinis Servorum Mariae dictam coronam, quoties vere poenitentes et confessi, aut firmum propositum confitendi habentes illam devote recitaverint. (Clemens XII. Breve *Unigeniti Filii Dei* d. d. 12 Decembris 1734.)

VI. Indulgentia centum quinquaginta annorum illam devote recitantibus in feriis secunda, quarta et sexta, ac in diebus festivis de praecepto, dummodo vere poenitentes et confessi coronam, ut supra, receperint, eamque secum deferant. (Item Clemens XII. loc. cit.)

VII. Indulgentia ducentorum annorum omnibus Christifidelibus, qui suae conscientiae examine rite peracto, vere poenitentes et confessi devote recitabunt eamdem coronam, et preces effundent pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, pro haeresum exstirpatione, et pro augmento catholicae religionis. (Item Clemens XII. loc. cit.)

VIII. Indulgentia decem annorum illis, qui retinentes apud se aliquam ex dictis coronis, eamque frequenter recitantes, vere poenitentes, confessi et sacra Communione refecti assistent Missae sacrificio, aut cum debita attentione sacris concionibus interfuerint, aut comitati fuerint SSmum Sacramentum, quando ad infirmos defertur, aut inimicos reconciliaverint, aut peccatores ad poenitentiam reduxerint, aut devote recitaverint septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam, aut aliquod misericordiae opus sive spirituale sive temporale egerint in honorem Domini N. Jesu Christi, aut B. Mariae V. aut alicujus Sancti eorum Patroni. (Clemens XII. loc. cit.)

IX. Indulgentia plenaria semel in anno omnibus, qui piam consuetudinem habentes recitandi eamdem coronam quater in unaquaque hebdomada, ea die ad arbitrium eligenda, qua vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti eam devote recitaverint. (Item Clemens XII. loc. cit.)

X. Indulgentia plenaria semel in mense illis, qui eam recitaverint quolibet die per integrum mensem, dummodo vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti preces effundant pro exaltatione sanctae Matris Ecclesiae, pro pace et concordia inter principes christianos, et pro haeresum exstirpatione. (Item Clemens XII. loc. cit.)

Ad supradictas indulgentias lucrandum requiritur, ut coronae benedicantur a Superioribus Ordinis Servorum Mariae, aut ab aliis ejusdem Ordinis deputatis ab ipsis Superioribus. Coronae vero hujusmodi non poterunt neque venumdari, neque commodari ad indulgentias aliis communicandas, alioquin statim indulgentiae cessabunt, juxta dispositionem citati Brevis Benedicti XIII.

Leo vero XIII. in Audientia habita a Secretario S. Congregat. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 19 Januarii 1884 sanavit, quatenus opus fuerit, facultates benedicendi coronas concessas a Reverendissimo Priore Generali quoad praeteritum, eidemque benigne indulsit, ut in posterum valeat sacerdotibus quibuscumque etiam saecularibus demandare benedictionem coronae Septem Dolorum B. Mariae Virginis ad effectum consequendi supradictas indulgentias.

81.

Summarium indulgentiarum omnibus utriusque sexus Christifidelibus visitantibus ecclesias Ordinis Servorum B. Mariae Virginis concessarum.

I. *Indulgentiae plenariae.*

1. A primis Vesperis usque ad occasum solis omnibus, qui vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti Ordinis ecclesiam visitaverint in una ex solemnitatibus D. N. Jesu Christi et in duabus ex septem festivitatibus B. Mariae V. a Superioribus localibus semel tantum eligendis, et in festivitate Septem Dolorum nuncupata Dominica tertia mensis

Septembris celebrari solita, etiamsi illa in aliam diem canonice transferri contingat, dummodo tamen septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam aut Vesperas Defunctorum recitent, atque preces Deo effundant pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac inter christianos principes concilianda et fovenda pace, concordia et unione, ac pro tempore existentis Romani Pontificis salute; et quoad ultimo dictam festivitatem, apud altare seu capellam Septem Dolorum B. M. V. nuncupatae etiam devote orent. (Clemens XII. *Unigeniti Filii Dei* 19 Decembris 1734.)

Quae tamen indulgentia ceteris supradictis adimpletis conditionibus lucrifieri potest a Christifidelibus vel visitantibus aliquam ecclesiam Ordinis, vel etiam solemniorem supplicationem comitantibus, quae in praefata festivitate locum habet in ecclesiis Ordinis. (Benedictus XIV. Decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 3 Augusti 1748.)

Dies vero, quibus indulgentiae supradictae acquiri possunt, erunt in posterum, quoad primam, solemnitas Paschatis Resurrectionis, quoad alteras, festa Assumptionis et Nativitatis B. Mariae Virg.

2. Eisdem utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, et confessi ac sacra Communione refecti Orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum, de locorum Ordinariorum licentia in qualibet ex dictis ecclesiis semel in anno tantum instituendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et pias ad Deum preces effuderint. (Item Clemens XII. loc. cit.)

3. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ecclesiam Ordinis, etiam Monialium, in uno ex septem diebus ante vel post festum B. Mariae V. Septem Dolorum, diversis tamen temporibus pro commoditate locorum celebrari solitum, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum

preces effuderint, quo die ex praedictis, ad sui libitum eligendo, praescripta adimpleverint. (Benedictus XIV. *In supremo* 6 Septembris 1745.)

4. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam Ordinis ecclesiam in una tantum festivitate vel die cujuslibet anni in singulis ecclesiis hujusmodi per respectivum illarum Superiorem Provincialem designanda devote visitaverint, ibique juxta mentem Summi Pontificis pie oraverint. Insuper in una tantum festivitate vel die cujuslibet anni, uti supra, in singulis ecclesiis Ordinis, Prior cujuslibet Conventus, extra Urbem tantum, vel alius sacerdos per dictum respectivum Superiorem Provincialem pariter eligendus benedictionem nomine Summi Pontificis impertire poterunt Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis et orantibus per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis. (Benedictus XIV. Decreto S. Congr. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 12 Aprilis 1747.)

Dies designata visitationi ecclesiae ad acquirendam hanc indulgentiam erit in posterum festum SSmi Corporis Christi. Quoad vero benedictionem papalem servetur consuetudo cujuslibet Conventus.

5. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis tam Fratrum, quam Monialium dicti Ordinis die 23 Augusti in festo S. Philippi Benitii a primis Vesperis usque ad occasum solis festivitatis hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Clemens X. *Redemptoris et Domini* d. d. 4 Julii 1673.)

6. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque Conventuum tam Fratrum, quam monasteriorum Monialium Ordinis die festo S. Peregrini Latiosi (quod celebratur die 30 Aprilis) a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote

visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Benedictus XIII. *Redemptoris et Domini* 30 Septembris 1727.)

7. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque Conventuum tam Fratrum, quam monasteriorum Monialium Ordinis die festo S. Julianae Falconeriae (quod celebratur die 19 Junii) a primis Vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi devote visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint. (Clemens PP. XII. *Redemptoris et Domini* die 3 Julii 1737.)

8. Omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui expositioni SSmi Eucharistiae Sacramenti de licentia Ordinariorum respective locorum in ecclesiis Fratrum Ordinis Servorum B. Mariae Virg. ubicumque existentibus feria sexta, vel alia die cujuslibet hebdomadae, per eosdem Ordinarios, prout opportunitas locorum id exigere contigerit, etiam respective semel tantum designanda, in honorem Septem Dolorum B. Mariae Virg. ac in memoriam Passionis Jesu Christi D. N. fieri solitae seu faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat quolibet mense in una ex feriis sextis seu diebus supradictis per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda lucrifaciendam. (Clemens PP. XIII. *Ad augendam fidelium religionem* 20 Decembris 1762.)

9. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex praefatis ecclesiis in feria sexta post Dominicam Passionis devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium, uti supra, oraverint. (Pius PP. VI. Brevi d. d. 8 Julii 1785.)

10. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui ali-

quam ex supradictis ecclesiis semel in anno, die ab Ordinario loci eligenda, devote visitaverint et, uti supra, oraverint. (Pius PP. VI. Brevi d. d. 8 Julii 1785.)

Dies electa ad indulgentiam consequendam est solemnitas Septem BB. Patrum Ordinis Nostri Fundatorum.

11. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis, qui die ab Ordinario loci eligenda, qua solemne anniversarium defunctorum confratrum et consororum Confraternitatis Septem Dolorum B. Mariae V. celebratur, ecclesiam Ordinis devote visitaverint. (Pius PP. VI. Brevi d. d. 8 Julii 1785.)

Dies anniversaria pro commemoratione defunctorum confratrum et consororum est (Bononia excepta) prima dies ferialis immediate sequens Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum. Bononiae vero dies octava Omnium Fidelium Defunctorum.

12. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis prima et ultima die novemdialium Natalis D. N. Jesu Christi, dummodo in ecclesiis Ordinis dictis novemdialibus precibus devote interfuerint. (Pius PP. VI. Brevi d. d. 8 Julii 1785.)

II. *Indulgentiae partiales.*

1. Indulgentia quinquaginta dierum Christifidelibus, qui saltem contriti ecclesias Ordinis quocumque anni die devote visitaverint, inibique saltem Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam pro Christifidelibus tam viventibus, quam in Christi caritate defunctis per modum suffragii semel recitaverint. (Clemens XII. *Unigeniti Filii Dei* 19 Decembris 1734.)

2. Indulgentia centum dierum iis, qui Horis canonicis in ecclesiis Ordinis hujusmodi decantandis seu recitandis, et qui antiphonae *Salve Regina* inibi pariter singulis anni diebus decantari seu recitari solitae respective devote interfuerint et pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac inter christianos principes concilianda et fovenda pace, concordia et unione, ac pro tempore existentis Rom. Pontificis salute pias ad Deum preces effuderint. (Item Clemens XII. l. c.)

3. Indulgentia pariter centum dierum illis, qui ecclesias Ordinis in earum dedicationum respective diebus a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint. (Item Clemens XII. loc. cit.)

4. Indulgentia centum dierum illis, qui vere poenitentes et confessi singulis sabbati diebus respective devote visitaverint et ibi, uti supra, oraverint. (Item Clemens PP. XII. loc. cit.)

5. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus, ut supra, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti a Dominica Septuagesimae usque ad Dominicam Palmarum inclusive, ac feria quarta et quinta majoris hebdomadae, et feria sexta in Parasceve, semel in unoquoque die, ecclesias Ordinis visitaverint, ac septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitaverint. (Item Clemens XII. loc. cit.)

6. Indulgentia pariter septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti praefatas ecclesias visitaverint singulis tertiis cujuslibet mensis sextis feriis, exceptis illis, quae intra Septuagesimae et Palmarum Dominicas hujusmodi inclusive occurrunt, inibique septies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam, sive Vesperas Defunctorum devote recitaverint. (Item Clemens XII. loc. cit.)

7. Indulgentia similiter septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui adimplentes omnia opera superius praescripta, Ordinis ecclesias visitaverint diebus festis S. Joseph, S. Augustini, et omnium Sanctorum Ordinis, quorum festivitas celebratur idibus Novembris. (Item Clemens XII. l. c.)

8. Indulgentia similiter septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui Ordinis ecclesias visitaverint a primis Vesperis usque ad occasum solis diebus Inventionis et Exaltationis S. Crucis et in diebus totius octavae respective, dummodo adimpleverint omnia, ut supra, atque aliquam eleemosynam impertiverint. (Item Clemens XII. l. c.)

9. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum illis, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti ecclesias praedictas visitaverint in omnibus aliis festivitatibus D. N. Jesu Christi, et in reliquis quinque B.

Mariae V., et per octo dies festivitatem ejusdem B. M. V. Dolorosae in Dominica tertia mensis Septembris celebrari solitam sequentes, etiamsi illa ad aliam diem canonice transferri contingat. (Item Clemens XII. loc. cit.)

10. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum illis, qui vere poenitentes, confessi, ac sacra Communione refecti expositioni SSmi Eucharistiae Sacramenti de licentia Ordinarii respective locorum in ecclesiis Fratrum Ordinis Servorum B. M. V. ubicumque existentibus feria sexta vel alia die cujuslibet hebdomadae per eosdem Ordinarios, prout opportunitas locorum id exigere contigerit, etiam respective semel tantum designanda in honorem VII Dolorum B. M. V. ac in memoriam Passionis Jesu Christi D. N. fieri solitae seu faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, singulis feriis sextis seu diebus supradictis, ea excepta, qua plenariam fuerint consequuti, per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligenda. (Clemens PP. XIII. *Ad augendam* 20 Decembris 1762.)

11. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quolibet die lucranda precum novemdialium Natalis D. N. Jesu Christi ab iis, qui dictis precibus in ecclesiis Ordinis peragendis corde saltem contrito ac devote interfuerint. (Pius PP. VI. Breve d. d. 8 Julii 1785.)

12. Indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum omnibus Christifidelibus, quoties tempore primae Missae in ecclesiis Ordinis publicae recitationi coronae Septem Dolorum B. Mariae Virginis devote interfuerint. (Gregorius PP. XVI. Rescripto S. Congregationis Indulgent. Sacrisque Reliquiis praepositae 11 Julii 1831.)

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita praefatum Summarium uti authenticum recognovit, typisque mandari benigne permisit. Ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 12 Januarii 1884.

Franciscus Della Volpe, Secret.

Supplementum ad Summarium n. 33 pag. 471.
(Indulg. Confrat. SS. Nominis Dei.)

Aliis Litteris Apostolicis *„Pias Christifidelium"* d. d. 28 Septembris 1612 in forma Brevis idem S. P. Paulus V. indulgentias adjunxit plenarias pro supplicatione seu processione a confratribus SS. Nominis Jesu habenda qualibet secunda Dominica mensis. „Cum .... dilecti filii confratres Confraternitatum in ecclesiis Fratrum Praedicatorum ubique canonice sub invocatione Nominis Jesu institutarum ex antiquo ipsarum Confraternitatum instituto secunda Dominica cujuslibet mensis solemnem processionem peragere soleant, Nos ipsas Confraternitates .... ampliori dono decorare volentes .... omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus in aliqua ex dictis Confraternitatibus ubique in ecclesiis Fratrum Praedicatorum Ordinis hujusmodi canonice institutis, nunc descriptis et pro tempore describendis vere poenitentibus et confessis ac sacra Communione refectis, qui processioni secunda Dominica cujuslibet mensis, ut praefertur, per dictas Confraternitates celebrari solitae devote interfuerint, et pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, haeresum exstirpatione ac christianorum principum concordia pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur, contrariis non obstantibus quibuscunque. Volumus autem, ut si alias Christifidelibus in dictis Confraternitatibus seu aliqua earum descriptis, praemissa peragentibus aliquam aliam indulgentiam perpetuo vel ad tempus nondum elapsum duraturam concesserimus, illa nulla sit."

Et in Litteris *„Cum, sicut nuper"* d. d. 1 Aprilis 1613 in simili forma Brevis idem Pontifex ita loquitur: „Cum autem, sicut nuper accepimus, in praedictis ecclesiis dicta processio secunda Dominica cujuslibet mensis celebrari ob varia impedimenta ubique locorum non possit, Nos ipsos confratres amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ne propterea praedictae Nostrae concessiones frustrentur effectu, eisdem utriusque sexus confratribus non solum in secunda hujusmodi, sed in una ex aliis mensis Dominica juxta locorum consuetudinem processionem praedictam celebrantibus illique interessentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem per Nos, ut praefertur, in secunda Dominica hujusmodi concessam suffragari volumus, ipsisque de novo, quatenus opus sit, misericorditer in Domino, servata in reliquis secundo dictarum Litterarum forma, concedimus et elargimur, praemissis ceterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Ad Summarium n. 53 pag. 565.
(Indulg. Archisodal. B. M. V. a SS. Corde Jesu. Cf. notam 1 pag. 565.)

(Ex Brevi s. m. Pii PP. IX. d. d. 24 Augusti 1877.)

.... De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Archiconfraternitatem Romanam vel aliam piam Unionem sub eodem titulo legitime erectam vel erigendam, eidem Archiconfraternitati aggregatam vel aggregandam in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam; ac tam adscriptis, quam pro tempore adscribendis in dictam Archiconfraternitatem Romanam vel aliam piam Unionem sub eodem titulo legitime erectam vel erigendam, eidem Archisodalitati aggregatam vel aggregandam confratribus et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam plenariam; necnon eisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Archiconfraternitatis vel alius piae Unionis sub eodem titulo legitime erectae vel erigendae, eidem Archisodalitati aggregatae vel aggregandae confratribus et consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui respectivi Sodalitii ecclesiam seu capellam vel oratorium festis Nativitatis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis et Ascensionis D. N. J. C., feria sexta post octavam Solemnitatis SSmi Corporis Christi immediate sequenti, necnon festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis, et Maternitatis B. Mariae V. immaculatae a primis Vesperis usque ad solis occasum dierum hujusmodi, item secunda mensis Julii Dominica, qua titulare festum Dominae Nostrae a S. Corde Jesu debitis facultatibus celebratur,[1]) vel uno ex septem diebus continuis immediate sequentibus, cujusque confratrum et consororum sive Archisodalitatis sive alius piae Unionis, ut supra, arbitrio sibi eligendo singulis annis devote visitaverint,[2]) et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum

[1]) Festum hoc celebratur nunc die ultima mensis Maji, ut in Summario.

[2]) Haec visitatio ecclesiae respectivi Sodalitii etc. fieri debet etiam ad indulgentiam plenariam semel in mense acquirendam, si recitatur quotidie corona in honor. Nostrae Dominae a S. Corde, ut in Summario sub I, 7. Quod autem ad indulgentiam plenariam zelatoribus et zelatricibus concessam (ibid. n. 8) attinet, Breve Apostol. d. d. 27 Martii 1877 visitare praecipit propriam cujusque parochialem ecclesiam.

conversione, ac sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictae Archiconfraternitatis Romanae vel alius piae Unionis sub eodem titulo legitime erectae vel erigendae, eidem Archisodalitati aggregatae vel aggregandae confratribus et consororibus, qui corde saltem contriti respectivae Sodalitatis ecclesiam seu capellam vel oratorium feria V. vel Dominica cujuscumque hebdomadae, festivitatibus Praesentationis, et Visitationis Deiparae Virginis Mariae, ac diebus festis S. Joannis Baptistae, S. Joannis Ap. et Ev., S. Bernardi, S. Augustini, et S. Francisci Salesii, ac quatuor aliis anni festis diebus per respectivum Ordinarium semel tantum statutis vel statuendis, necnon uno alio anni die per respectivum Ordinarium pariter semel eligendo devote visitaverint, et ibidem, ut supra dictum est, oraverint, quo ex hisce die id praestiterint, septem annos totidemque quadragenas . . . . . de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus . . . . . .

APPENDIX.

(Dabimus hic Rescripta a S. Congregatione Indulgentiarum post diem 16 Decembris 1882 edita — cf. notam in fine pag. 342 —, praemissis paucis antiquioribus, quae nobis suo tempore praesto non erant.)

426.

1862 5 Aprilis. Archiconfraternitas SS. Cordis Jesu quoad aggregationes.

Beatissime Pater! Inter multas illas concessiones a s. m. Pio PP. VII. factas Archiconfraternitati sacerdotum saecularium S. Pauli Apostoli relate ad devotionem SS. Cordis Jesu illa etiam est data jam inde a die 23 Aprilis 1805 per Rescriptum Cardinalis Doria, quod scilicet in aggregandis Congregationibus SS. Cordis Jesu uti possint formula hucusque adhibita et typis edita, quae quidem in paucis rebus non substantialibus differt ab illa per Constitutionem s. m. Clementis VIII. praescripta; et quod obligati non sint ad inserendam in diplomate aggregationis dictam Constitutionem neque catalogum indulgentiarum, qui separatim traditur. Ut tamen omnis dubitatio tollatur, quae etiam in posterum posset exurgere de valore hujus concessionis propter verba Decreti a S. Congregatione Indulgentiarum die 8 Januarii 1861 emanati, a Sanctitate Vestra humiliter confirmatio ejusdem expetitur. Pro qua gratia etc.

Urbis. Ex Audientia SSmi die 5 Aprilis 1862. SSmus D. N. Pius PP. IX. attentis expositis confirmavit Rescriptum s. m. Pii PP. VII. dat. die 23 Aprilis 1805, necnon sanavit quemcunque defectum incursum in aggregationibus praeteritis post Decretum hujus Sacrae Congregationis diei 8 Januarii superioris anni 1861. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die et anno, ut supra.

F. Card. **Asquinius**, Praef.
A. Archipr. **Prinzivalli**, Substit.

427.

1872 28 Octobris. De novo parvo scapulari SS. Cordis Jesu.

Beatissime Pater! Paulus Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Beatitudini Vestrae eo, quo par est, obsequio exponit, fideles in Hibernia, Anglia alioque ab aliquibus annis solere gestare parvam imaginem sacri Cordis Jesu lana alba acu depictam vel alias eidem lanae affixam e collo supra pectus pendentem, modo fere parvi scapularis, et cum hisce verbis in lingua vernacula impressis: Cessa, Cor Jesu nobiscum est. Orator ad magis augendam fidelium devotionem ac fiduciam erga sacratissimum Cor Jesu Vestram Beatitudinem enixe rogat, ut benigne concedere dignetur aliquam indulgentiam iis fidelibus, qui praedictam imaginem, ut supra, devote gestaverint. — *Rescriptum manu SSmi exaratum:* — Die 28 Octobris 1872. Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam benigne concedimus Christifidelibus deferentibus signum supradictum, recitando aliquam piam precem, videlicet *Pater, Ave, Gloria.*

Pius PP. IX.

Praesens Rescriptum manu SSmi exaratum exhibitum fuit in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum hac die 18 Decembris 1872 ad formam Decreti ejusdem Sacrae Congregationis diei 14 Aprilis 1856. In quorum fidem etc.[1])

Dominicus Sarra, Substit.

---

[1]) Praeter hoc Rescriptum duae editae sunt Litterae Apostolicae in forma Brevis, quae ad hoc SS. Cordis Jesu scapulare pertinent. In altero Brevi d. d. 28 Martii 1873 idem S. Pontifex Pius IX., „ut piis etiam supplicationibus, quas Venerabilis Frater Episcopus Ratisbonensis Nobis porrexit," faveret, supra memoratum Rescriptum omnino confirmavit ac, ut infra, indulgere statuit. „Itaque omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui parvum scapulare laneum albi coloris, imaginem S. Cordis Jesu in medio referens gestaverint, et corde saltem contriti Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Gloria Patri quolibet anni die recitaverint, centum dumtaxat dies semel in die lucrifaciendos de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis . . . relaxamus. Quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse impertimus . . . Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris . . . . .

In altero Brevi d. d. 20 Junii 1873 de hoc scapulari duo statuuntur: 1°. enim „prioris concessionis leges omnino servandas" esse edicitur. In priori autem concessione d. d. 28 Octobris 1872 S. Pontifex scapulare illud a S. Corde Jesu nuncupatum non tamquam scapulare proprie dictum et in stricto sensu designat, sed tantummodo ut signum quoddam. Hinc illa, quae de parvis scapularibus proprie dictis statuta sunt, huic signo applicari non debent; quare neque ejusdem

428.

1873 21 Julii. **Societas catholicis negotiis provehendis instituta.**

Ex Audientia SSmi. — Inter cetera pietatis opera, quae primaria Societas Romana catholicis negotiis provehendis juxta propositum sibi finem solerti cura suscepit, maximoque studio excoluit, duo inprimis numeranda sunt: nimirum primum opus contra scelus profanandi mercenariis laboribus dierum festorum sanctitatem, necnon pium opus resarciendae impiae violationi feriae sextae majoris hebdomadae, quo die Christifideles toto terrarum orbe Dominicae Passionis mysteria solemni ritu recolunt. Quae quidem opera a praefata Societate primum excogitata sociorum consilio ac sedulitate ita feliciter increverunt, ut ad ipsa perficienda subalternas, ut ajunt, sectiones seu specialia Sodalitia ipsi Societati propterea arctissima communione conjuncta moderatores universi coetus constituerint. Haec porro SSmus D. N. Pius divina providentia PP. IX. spiritualium thesaurorum muneribus per Apostolicas Litteras diebus 20 Martii ac 10 Sept. 1872 datas locupletare dignatus est, ita tamen, ut indulgentias praedictas etiam alii ex Christifidelibus lucrari possent, qui, licet Societati a catholicis negotiis minime sint adscripti, uni tamen vel alteri ex piis hujusmodi Sodalitiis nomen dederint. Postea praedictae Societatis moderatores vehementer exoptantes, ut saluberrima haec instituta etiam extra Urbem, quantum fieri posset, ad fidelium utilitatem diffunderentur, humilibus et enixis precibus ab eodem SSmo D. N. petierunt 1°: Ut quemadmodum Societatis praesidibus potestas facta est indulgentias coetui universo tributas communicandi omnibus Societatibus ejusdem instituti ac nominis, ita ipsis facultas concederetur communicandi spirituales gratias praedictis Sodalitiis peculiariter elargitas Societatibus rei catholicae provehendae extra Urbem existentibus ac primariae Romanae aggregatis vel in posterum

---

benedictio seu impositio requiritur neve aliqua adscriptio; et sufficit, ut hoc signum laneum albi coloris, imaginem S. Cordis Jesu in medio referens, e collo supra pectus pendens deferatur. 2°. „Ad appositam scapulari SS. Cordis Jesu inscriptionem quod attinet, neque unam neque alteram omnino necessariam esse“ declaratur; ita ut ejusmodi inscriptio sive retineri sive omitti possit.

aggregandis, quae specialia Sodalitia in ipso earum gremio ad praedicta opera excolenda, legitime de consensu Episcopi erigenda curaverint, tum pro iis sodalibus, qui ad eadem incumbant, tum aliis fidelibus, qui illis se socios adjunxerint. Cum vero Sodalitiorum hujusmodi titulus atque institutum generali titulo atque instituto Societatis catholicis negotiis curandis contineatur, petierunt 2°: Ut potestas fieret communicandi easdem indulgentias memoratis peculiaribus Sodalitiis ad eadem pia opera sanctitatis dierum festorum tuendae, ac Passionis Dominicae commemorandae ad resarciendas impias feriae VI. majoris hebdomadae violationes singulari titulo canonice erectis vel erigendis iis in locis, quibus ob speciales circumstantias coetus catholicis negotiis curandis institui non potuit.

Quas quidem supplices preces cum Card. Praefectus SSmo D. N. in Audientia diei 21 Julii anni Domini 1873 retulisset, Sanctitas Sua, ut universum coetum de re catholica bene meritum ad majores usque animos sumendos et praesertim ad propagandum extra Urbem utrumque hoc pium Sodalitium ab ipso incoeptum inflammaret, in omnibus juxta petita libentissime annuendum censuit, servata tamen in reliquis Constitutione s. m. Clementis VIII. incip. *Quaecumque a Sede Apostolica,* necnon Decreto hujus S. Congregationis Indulgentiarum sub die 8 Januarii 1861.

Quo autem facilius Christifideles Societatibus extra Urbem erectis adscripti memoratas indulgentias utrique pio operi concessas lucrari possent, statuit Sanctitas Sua, ut quoad pium Sodalitium contra scelus profanandi dierum festorum sanctitatem pro die festo S. Joseph, immaculatae Virginis Sponsi, dies Patrocinii ejusdem S. Joseph, Dom. III. post Pascha, ac pro die festo S. Philippi, sequens dies Dominica infra octavam ad plenariam indulgentiam lucrandam designaretur. Insuper, quod spectat ad pium Sodalitium resarciendae impiae feriae VI. majoris hebdomadae violationi, mandavit, ut respectivi Ordinarii constituant ecclesiam, in qua pium exercitium a praefata Sodalitate singulis sextis feriis celebretur, et indulgentiae ab iis, qui adfuerint, acquiri possint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla

Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 21 Julii 1873.

Laurentius Card. **Barili**, Praef.

429.

1876 23 Aprilis. **Facultas subdelegandi ad benedicendam chordam S. Francisci.**

Beatissime Pater! Fr. Antonius M. Adragna, Minorum Conventualium Vicarius Generalis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit, quod fel. rec. Sixtus V. (Constit. *Ex supernae* ann. 1585) concessa Minorum Conventualium Generali pro tempore facultate erigendi Chordigerorum Confraternitates in ecclesiis Franciscanis tam Conventualium, quam Observantium ac Capucinorum; et (Constit. *Divinae caritatis* ann. 1587) eadem facultate itidem Generali pro tempore Minorum Observantium concessa pro ecclesiis sui Ordinis, in duabus supradictis Constitutionibus statuit, chordam benedicendam esse (in qua chordae benedictione Chordigerorum adscriptio consistit) a Superioribus, intelligendo per Superiores etiam Guardianos et Praesidentes.

Porro interdum accidit, ut tam Guardianus, quam Praesidens vel Vicarius impediti sint vel ad chordam benedicendam, vel ad indulgentiam plenariam impertiendam Christifidelibus in articulo mortis constitutis, antea jam Chordigeris adscriptis. Orator idcirco petit, ut Superiores locales Minorum Conventualium et Minorum Observantium in casibus personalis impedimenti, ut supra, facultatem habeant alium ex propria communitate delegandi ad effectum sacrae chordae benedicendae, vel indulgentiae plenariae in articulo mortis impertiendae Christifidelibus antea jam inter Chordigerorum numerum adscriptis. Quod Deus etc. — SSmus D. N. Pius PP. IX. in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 23 Aprilis 1876 Oratorum precibus annuens clementer indulsit, ut Superiores locales utriusque Ordinis, nempe Minorum Conventualium et Minorum Observantium, videlicet Guardiani et Praesidentes, in casu tantum legitimi

impedimenti quemlibet Religiosum ex familia sibi benevisum, qui tamen ad audiendas Confessiones sit adprobatus, subdelegare possint tum ad benedicendam chordam pro Christifidelibus Societatem Chordigerorum ingredientibus, tum ad absolutionem et benedictionem iisdem Chordigeris in articulo mortis constitutis impertiendam, juxta privilegia a Summis Pontificibus iisdem praefatis Ordinibus collata, servata in reliquis forma et tenore primaevarum concessionum, et ceteris de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 23 Aprilis 1876.

J. Card. **Ferrieri**, Praef.
Dominicus Sarra, Substit.

430.

1879 21 Junii. **Indulgentia pro oratione S. Thomae Aquin.**

Beatissime Pater! Cum catholicarum scholarum in sanae philosophiae principiis consensio et profectus, quibus Tua Beatitudo tantopere studet, inter ea dona perfecta adnumerentur, quae desursum a Patre luminum descendere debent, necesse est, ut non secus discipuli ac magistri divum Thomam Aquinatem perfectissimum eorum exemplar imitantes optatissimum hunc finem fervente oratione non minus, quam diligenti studio prosequantur. Ad hoc porro officium implendum efficaciter adservabuntur, si Tua Beatitudo tercentum dierum indulgentiam iis concedere dignetur, qui ante lectionem aut studium sequentem orationem recitabunt, quam Angelicus Doctor composuit et quotidie cum lacrymis inclinatus recitabat, ut videre est apud Bollandianos in appendice ad vitam sancti Thomae:

Concede nobis, quaeso, misericors Deus, quae tibi sunt placita, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte implere ad laudem et gloriam nominis tui. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 21 Junii 1879 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne

in perpetuum concessit indulgentiam tercentum dierum omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui ante lectionem aut studium corde saltem contrito praefatam orationem devote recitaverint. Praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 21 Junii 1879.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
A. Panici, Secret.

431.

1882 16 Decembris. Benedictio papalis cum indulgentia plenaria.

Beatissime Pater! Ordinis Servorum Mariae Pater Generalis pedibus Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus supplicat, ut Tertiarii Ordinis sui bis in anno benedictionem papalem cum adnexa indulgentia plenaria accipere possint. Pro qua gratia etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 16 Decembris 1882 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia in omnibus juxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.[1]) Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 16 Decembris 1882.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

432.

1883 17 Februarii. Indulg. pro oratione ante Missam.

Beatissime Pater! Fr. Maria Bernardus Abbas Lirinensis et Vicarius Congregationis *de Senanque* ad pedes S. T. humiliter provolutus postulat, ut presbyteri tum saeculares, tum regulares adscripti piae Sodalitati *Nostrae Dominae de*

[1]) Idem Pontifex simili Rescripto sub dat. Romae die 15 Decembris anni 1883 eandem gratiam confirmavit, adjiciens conditionem praeter Confessionem et Communionem, ut singuli Summi Pontificis nomine benedictionem accepturi juxta mentem ipsius pias ad Deum preces effundant, ut dicitur in Summario (supra n. 79) indulgentiarum et privilegiorum pro Tertiariis utriusque sexus Ordinis Servorum Mariae, num. 8.

Presbyteris recitantes ante Missam orationem sequentem, lucrari valeant indulgentiam centum dierum. Et Deus etc.

O Mater pietatis et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde et affectu, et precor pietatem tuam, ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori et sacerdotibus omnibus hic et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus clementer adsistere digneris, ut tua gratia adjuti dignam et acceptabilem hostiam in conspectu summae et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 17 Februarii 1883 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne indulsit, ut nedum sacerdotes, de quibus in precibus, sed omnes tum saeculares, tum regulares propositam orationem corde saltem contrito ante celebrationem Missae devote recitantes lucrari valeant indulgentiam centum dierum. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 17 Febr. 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

433.

1883 17 Februarii. **Extensio temporis, intra quod indulgentiam lucrari possunt fideles.**

Beatissime Pater! Carolus Princeps ab Isenburg-Birstein, director Unionis S. Raphaelis Archangeli, ad Sanctitatis Vestrae pedes humillime provolutus exponit: Sanctitas Vestra per Breve diei 9 Julii 1878 dignata est concedere Christifidelibus in alias regiones migraturis, qui se curae Sodalitatis S. Raphaelis Archangeli committant, indulgentiam plenariam sub consuetis conditionibus lucrandam ipso profectionis die, antequam navem conscendant. Quia vero dicto die fideles migraturi, prout diuturna experientia nos docuit, nimiis curis et negotiis sunt distenti, ideoque SS. Sacramenta vel omnino non, vel saltem non cum debita recollectione et devotione recipere possunt, ideo Sanctitatem Vestram quam humillime rogat, ut concedere dignetur, quod

dicti fideles illam indulgentiam lucrari valeant uno ex quinque diebus, antequam navem conscendant. Pro qua gratia etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 17 Februarii 1883 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia juxta petita, servata in reliquis forma et tenore primaevae concessionis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

434.

1883 26 Maji. Indulg. conceduntur pio Operi.

Beatissime Pater! Praeses pii Operis Vocationum ecclesiasticarum Parisiis canonice erecti, quod hunc sibi finem proponit adjuvandi juvenes clericos precibus eisque suppeditandi necessaria auxilia, ut ad sacros Ordines promoveantur, supplex adit Sanctitatem Vestram, ut omnibus Christifidelibus praefato pio Operi adscriptis concedere dignetur sequentes indulgentias, nempe plenarias die adscriptionis; in festo Purificationis B. M. Virginis; necnon semel in anno in una ex feriis Quatuor Temporum ante festum SSmae Trinitatis, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces juxta mentem Summi Pontificis effuderint; ac tandem in mortis articulo, si, ut supra, dispositi, vel secus impediti, saltem contriti SSmum Jesu nomen, sin minus ore, corde saltem devote invocaverint. Partialem denique centum dierum, semel in die lucrandam, favore illorum, qui pro pio Opere aliquam quotidianam precem persolverint, vel aliquid egerint, quod in bonum cedat praedicti pii Operis. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infrascripto Substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita, servatis de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non ob-

stantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. **Coselli**, Substit.

435.

1883 26 Maji. **Indulg. conceduntur piae Sodalitati.**

Beatissime Pater! Sacerdos Josephus Fabre, Superior Generalis Congregationis Missionariorum Oblatorum SSmae et Immaculatae Virginis Mariae, ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus exponit, quod pluribus abhinc annis (ann. 1840) instituta fuit a Religiosis suae Congregationis pia Sodalitas vulgo dicta *Les juniorats ou Oeuvre des jeunes missionnaires*, cujus finis est praebere juvenibus pauperibus, in quibus elucent signa vocationis religiosae et sacerdotalis, media acquirendi scientiam et virtutes necessarias. Jam pia Sodalitas plures missionarios in Asiam, in Africam, in Americam misit, plures habet domos, in quibus instituuntur juvenes in Gallia, in Britannia majori, in America. Ad augendum zelum piorum sodalium enixe postulat Orator, ut eis dignetur Beatitudo Vestra concedere indulgentiam plenariam, defunctis etiam applicabilem, die inscriptionis; in festo immaculatae Conceptionis B. M. V.; in festo S. Josephi, dummodo sodales vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti per aliquod temporis spatium pie oraverint juxta mentem Summi Pontificis; ac tandem in mortis articulo, si, ut supra, dispositi, vel secus impediti, saltem contriti SSmum Jesu nomen, sin minus ore, corde saltem devote invocaverint. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infrascripto Substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. **Coselli**, Substit.

436.

1883 26 Maji. Indulg. pro recitatione orationis *Suscipe*.

Beatissime Pater! Petrus Beckx, Praepositus Generalis Societatis Jesu, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus quam humillime petit, ut infrascriptae orationi *Suscipe* ex S. Ignatii libello exercitiorum desumptae aliquam indulgentiam ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus lucrandam adnectere dignetur. Pro qua gratia etc.

Suscipe, Domine, universam meam libertatem. Accipe memoriam, intellectum atque voluntatem omnem. Quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es: id tibi totum restituo ac tuae prorsus voluntati trado gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones et dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infrascripto Substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote praefatam orationem recitaverint, indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. Coselli, Substit.

437.

1883 26 Maji. Indulg. conceduntur piae Sodalitati.

Beatissime Pater! Joannes Balp, Societatis Missionariorum in dioecesi Montis Pessulani Superior, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter deprecatur, ut piae Sodalitati sub titulo *SSmi Sacramenti* in ecclesia Adorationis Perpetuae in civitate Montis Pessulani canonice erectae benigne concedere dignetur sequentes indulgentias, nempe plenariam omnibus sodalibus vere poenitentibus, confessis ac sacra Communione refectis 1°. semel in mense, die cujusque sodalis arbitrio eligenda, iis, qui per integrum spatium unius horae juxta methodum a statutis praefinitam SSmum Eu-

charistiae Sacramentum devote adoraverint; 2°. iisdem sodalibus, qui saltem quindecim vicibus devote interfuerint pietatis exercitiis peragi solitis per mensem Junium in ecclesia Sodalitatis, die quo praefata exercitia absolventur; 3°. in festo Corporis Christi sodalibus, uti supra, dispositis et per aliquod temporis spatium juxta mentem Summi Pontificis pie orantibus. Insuper indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum 1°. iis sodalibus, qui corde saltem contrito, praeter horam semel in mense a se jam peractam vel peragendam, ne deficiat continuum adorationis exercitium, onus suscipiunt peragendae adorationis loco alterius sodalis legitime impediti, quominus statuta sibi hora SSmum Eucharistiae Sacramentum devote adoret; 2°. iis pariter sodalibus, quotiescumque per dimidium horae ipsi adoraverint in ecclesia Sodalitatis SSmum Eucharistiae Sacramentum. Supplicat tandem Sanctitati Vestrae, ut velit benigne declarare privilegiatas Missas, quae in suffragium praedictorum sodalium celebrabuntur. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infrascripto Substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita, servatis de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. Coselli, Substit.

438.

1883 26 Maji. Indulg. pro expositione SSmi Sacramenti.

Beatissime Pater! Gaspar Mermillod, Episcopus Lausannen. et Geneven., ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus exponit, quod cum adhuc Vicarii Apostolici Genevensis munere fungeretur, in hoc Vicariatu instituerat expositionem SSmi Eucharistiae Sacramenti ad reparationem praecipue injuriarum Deo illatarum per schismaticum cultum in catholicis ecclesiis a gubernio usurpatis. Cum vero pau-

peres omnino sint et absque ullo subsidio catholicae ecclesiae, nonnisi per singulas Dominicas dies praedictam expositionem fieri praecepit in ecclesiis Vicariatus juxta ordinem a se determinatum. Ut vero magis ac magis accrescat spirituale bonum fidelibus exinde profluens, a Sanctitate Vestra Orator humillime flagitat participationem omnium et singularum indulgentiarum a Summis Pontificibus pro expositione per modum quadraginta horarum concessarum pro fidelibus, qui hac dominicali expositione SSmum Eucharistiae Sacramentum visitaverint. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infrascripto Substituto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti expositioni SSmi Sacramenti hujusmodi devote interfuerint et ibi juxta mentem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, plenariam indulgentiam; iis vero, qui vere poenitentes et firmum confitendi propositum habentes egerint, ut supra, singulis vicibus indulgentiam decem annorum totidemque quadragenarum benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. Coselli, Substit.

439.

1883 26 Maji. Indulgentiae conceduntur piae Congregationi.

Beatissime Pater! Superiorissa Generalis Congregationis Sororum, quae vocantur *Servae Mariae,* canonice institutae Lutetiae Parisiorum, quae juxta finem instituti bono tam spirituali, quam materiali pauperum ancillarum, praesertim periclitantium, occupantur, provoluta ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime petit, ut dictae Congregationi concedantur sequentes indulgentiae plenariae: Die festo SS. Cordis Jesu, Immaculatae Conceptionis B. V. M., et S. Zitae, si Sorores supradictae Congregationis vere poenitentes, confessae et

sacra Communione refectae sacellum proprium visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Vestrae oraverint; denique in articulo mortis, si, ut supra, dispositae, aut si id fieri nequit, saltem contrito corde devote vel ore vel saltem corde sanctissimum nomen Jesu invocaverint. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infrascripto Substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita, servatis de jure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. Coselli, Substit.

440.

1883 26 Maji. **Designantur dies indulgentiae plenariae, communicationis bonorum et benedictionis Papalis Chordigeris elargiendae.**

Beatissime Pater! Quum Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita Decreto dato 22 Martii 1879 a SSmo D. N. Leone PP. XIII. approbato [1]) constituerit, Chordigeris loco absolutionis generalis dari solitae alumnis nonnullorum Ordinum vere regularium plenariam indulgentiam esse concedendam quater in anno diebus a Summo Pontifice designandis, et pro communicatione bonorum operum cum sodalibus Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis pariter quater in anno, Papalis vero benedictionis privilegium semel in anno tantum, praeses generalis pii Operis a S. Francisco Salesio nomen habentis supplex adit S. V., ut dies, quibus praefati Chordigeri, quorum plurimi adnumerantur inter sodales praedicti pii Operis S. Francisci Salesii, gaudere possunt plenaria indulgentia loco absolutionis generalis necnon privilegio benedictionis Papalis, clementer designare dignetur. Quam gratiam etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 26 Maji 1883 ab infra-

[1]) Cf. Decr. auth. n. 444 ad 13.

scripto Substituto Secretariae Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne indulsit, ut Chordigeri praefata indulgentia necnon communicatione bonorum operum elargienda juxta formulam praescriptam ab hac Sacra Congregatione Indulgentiarum Decreto diei 25 Februarii 1739 [1]) incipiendo ab iis verbis „Communicamus vobis, fratres, orationes, jejunia etc.“ gaudere valeant diebus festis S. Francisci Assisiensis, S. Clarae Virginis, S. Antonii Paduani et SS. Stigmatum S. Patris Francisci; privilegio autem benedictionis nomine Summi Pontificis elargiendae in festo Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis, dummodo vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti per aliquod temporis spatium juxta mentem SSmi pie oraverint. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 26 Maji 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Josephus Maria Can. **Coselli**, Substit.

441.

1883 21 Julii. Indulgentiis ditantur preces in honorem S. Dominici.

Beatissime Pater! Archiepiscopus Bononiensis ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humiliter supplicat, ut pro recitatione sequentium precum in honorem S. Patriarchae Dominici Comprotectoris Bononiensis indulgentiam quotidianam centum dierum concedere dignetur, necnon plenariam pro iis, qui easdem per integrum mensem recitaverint et ad SS. Sacramenta Confessionis et Communionis accesserint, petendo etiam, ut utraque animabus quoque purgatorii applicari possit. Pro qua gratia etc.

Preces in honorem S. Patriarchae Dominici.

I. Signor mio Gesù Cristo, che col vostro preziosissimo sangue la vostra Chiesa formaste e colla predicazione degli Apostoli l'avete stabilita, propagata ed estesa pel

I. Domine Jesu Christe, qui pretiosissimo sanguine tuo Ecclesiam tuam formasti et Apostolorum praedicatione eandem constituisti, propagasti et per totum

[1]) Vide Decr. auth. n. 127.

mondo tutto, e dopo di loro anche il S. Padre Domenico avete mandato a riabbellirla, illustrarla e difenderla collo splendore de' suoi meriti e della sua dottrina; degnatevi di ascoltare i voti, che quest' uomo apostolico incessantemente vi porge per la sussistenza de' beni temporali di lei e per l'accrescimento de' suoi spirituali vantaggi. *Pater, Ave* e *Gloria.*

II. Clementissimo Redentore, che S. Domenico donaste al mondo acciocchè vi servisse di coadjutore nel gran ministero della salute delle anime, e tante infatti colla vostra grazia e collo zelo suo ne guadagnò alla Chiesa, e di eretici, che si erano da lei separati, e di peccatori, che colle loro scostumatezze la addoloravano. Deh! mandate, o mio Dio, sempre nuovi operai nella vostra vigna a faticare per la vostra gloria ed a raccogliere frutti di vita eterna. *Pater, Ave* e *Gloria.*

III. O buon Gesù, che vi compiaceste di vedere ogni notte S. Domenico dinanzi al vostro altare prostrato adorarvi con fede vivissima nascosto nell'eucaristico sacramento ad alternare i gemiti, le preghiere, le penitenze a favore della Chiesa allora perseguitata dai suoi nemici e dai suoi domestici profanata; difendetela questa vostra sposa per l'intercessione di S. Domenico dagli insulti e trame del comune infernale nemico. *Pater, Ave* e *Gloria.*

mundum extendisti, quique post illos etiam S. Patrem Dominicum misisti ad eam formosam denuo reddendam, illustrandam et defendendam meritorum et doctrinae ipsius splendore; exaudire propitius digneris vota, quae vir ille apostolicus exhibere tibi non cessat, ut illa temporalibus non careat subsidiis et spiritualibus augeatur incrementis. *Pater, Ave* et *Gloria.*

II. Clementissime Redemtor, qui S. Dominicum mundo donasti, ut tibi inserviret tamquam coadjutor in magno salutis animarum ministerio, quarum revera tam multas gratia tua suoque zelo lucratus est Ecclesiae tum ex haereticis, qui se ab ipsa separaverant, tum ex peccatoribus, qui perversis suis moribus eam contristabant; mitte, quaeso, Deus meus, novos semper operarios in vineam tuam, ut pro gloria tua laborent fructusque vitae aeternae colligant. *Pater, Ave* et *Gloria.*

III. O bone Jesu, qui tibi complacuisti in S. Dominico, quem quavis nocte ante altare tuum vidisti prostratum ad adorandum vivissima fide te in S. Eucharistiae Sacramento absconditum et ad gemitus, preces et poenitentias ingeminandas pro Ecclesia tunc temporis ab inimicis insectata et a domesticis suis profanata; protege istam tuam sponsam per intercessionem S. Dominici ab injuriis et insidiis communis inimici infernalis. *Pater, Ave* et *Gloria.*

℣. Ora pro nobis, sancte Dominice,

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, beati Dominici confessoris tui patrocinio sublevemur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

SSmus D. N. Leo PP. XIII. omnibus utriusque sexus Christifidelibus pias preces cum tribus *Pater, Ave* et *Gloria*, Versiculo et Oratione adnexis in supplici libello corde saltem contrito ac devote recitantibus centum dierum indulgentiam, semel tantum in singulis diebus acquirendam, benigne concessit. Insuper ipsis Christifidelibus praelaudatas preces per integrum mensem, ut supra, recitantibus plenariam etiam indulgentiam in una ejusdem mensis die uniuscujusque arbitrio eligenda, dummodo tamen ea die vere poenitentes, confessi sacraque Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium devote visitaverint, ibique juxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, clementer est elargitus. Praesentibus in perpetuum valituris absque ulla Brevis expeditione et cum facultate easdem indulgentias in suffragium fidelium defunctorum applicandi. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 21 Julii 1883.

A. Card. Bilio.

Josephus Maria Can. Coselli, Substit.

442.

1883 31 Julii. Sanatio erectionum Viae Crucis.

Beatissime Pater! Fr. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, ex publicata in ephemeride, cui titulus: *Acta Ordinis Minorum*, instructione de Stationibus S. Viae Crucis erigendis fuisse compertum, ejusmodi Stationes non semel invalide erectas fuisse. Quum autem admodum difficile videatur, ut hujusmodi erectiones renoventur, hinc ne fideles visitantes tales Stationes invalide erectas indulgentiis a S. Sede concessis privati existant, humiliter supplicat Orator, ut Sanctitas Tua omnes S. Viae

Crucis Stationes hucusque invalide erectas convalidare ac ratas habere dignetur. Quam gratiam etc. — Vigore specialium facultatum a SSmo D. N. Leone PP. XIII. tributarum, Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita defectus omnes, de quibus in supplici libello, benigne sanavit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 31 Julii 1883.

A. Card. Bilio.
Franciscus Della Volpe, Secret.

443.

1883 10 Septembris. De indulgentiis Viae Crucis.

Beatissime Pater! Nicolaus Josephus Dabert, Episcopus Petrocoricensis in Gallia, humiliter postulat: *Utrum toties in die lucrari valeant indulgentiae exercitio Viae Crucis adnexae, quoties illud iteratur?* — Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit: *Ex documentis non constat, indulgentias pro pio exercitio Viae Crucis concessas toties lucrari, quoties praefatum pium exercitium iteratur.* Ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 10 Sept. 1883.

A. Card. Bilio.
Franciscus Della Volpe, Secret.

444.

1883 12 Septembris. De facultate quatuor scapularia sub una formula benedicendi.

Beatissime Pater! Procurator Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Recollectorum et Discalceatorum ad pedes S. T. provolutus humiliter exponit, quasdam provincias ad praefatam procuram pertinentes a S. Sede obtinuisse Breve, quo omnibus et singulis earumdem presbyteris ad decennium concessum fuit, ut quatuor scapularia SSmae Trinitatis, immaculatae Conceptionis, B. M. V. Septem Dolorum, ac de Monte Carmelo uno opere conjuncta, dummodo sint confecta ad normam a S. Sede approbatam, sub una tantum formula, qua Congregationis SSmi Redemptoris presbyteri saeculares impetrata sibi venia ab Apostolica Sede utuntur, benedicere cum applicatione indulgentiarum,

quae respectivis scapularibus adnexae sunt, eademque fidelibus juxta normam a praefatis presbyteris adhibitam imponere libere ac licite possint valeantque.

Praefata facultas memorata quatuor scapularia uno opere conjuncta benedicendi et imponendi sub unica formula obtineri etiam potest mediantibus Secretaria Memorialium, SS. Rituum Congregatione, necnon S. Congregatione de Propaganda Fide.

Quum autem de hujusmodi concessionis extensione exortum fuerit dubium, hinc ne fideles ex invalida scapularium benedictione et impositione indulgentiis privati existant, Orator suppliciter petit, ut S. T. sequentia dubia declarare dignetur: 1. *Utrum hujusmodi concessio mediantibus Secretariis Brevium et Memorialium necnon Sacris Congregationibus de Propaganda Fide ac SS. Rituum obtenta,* sola *sufficiat ad validam memoratorum scapularium benedictionem et impositionem, an vero insuper necessarium sit, ut habeatur vel obtineatur facultas dicta scapularia benedicendi et imponendi a respectivi Ordinis Superiore?* Et quatenus affirmative ad primam et negative ad secundam, 2. *An hac sola facultate a S. Sede obtenta memorata quatuor scapularia valide benedici et imponi valeant etiam singillatim, ita scilicet, ut unum vel duo ex his scapularibus valide benedici et imponi valeant, quin benedicantur et imponantur cetera?* 3. *An qui dicta quatuor scapularia benedicendi imponendique facultatem obtinuit a respectivi Ordinis Superiore, licite ac valide uti possit breviori formula a SS. Rituum Congregatione approbata, non obtenta ad hoc a S. Sede facultate speciali?* Et quatenus ad primum dubium respondeatur negative ad primam partem, affirmative ad secundam, 4. *Humiliter supplicatur, ut S. T. benigne sanare et ratas habere dignetur praefatorum scapularium benedictiones et impositiones, quae usque nunc peractae sunt et ex ignorata hujusmodi declaratione bona fide peragentur* sola *memorata facultate a S. Sede obtenta.* — Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondit: Ad 1^{m}: *Negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam;* Ad 2^{m}: *Ad Sacram Rituum Congregationem;* Ad 3^{m}: *Valide quidem, sed non licite;* Ad 4^{m}: *Supplex ex-*

hibeatur libellus pro postulatis. Datum ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 12 Septembris 1883.

A. Card. Bilio.

Franciscus Della Volpe, Secret.

445.

1883 15 Decembris. Extensio indulgentiarum piae Unionis S. Raphaelis Archangeli.

Beatissime Pater! Carolus Princeps ab Isenburg-Birstein, director Unionis S. Raphaelis Archangeli in dioecesi Moguntina canonice erectae, cujus sodalibus id propositum est, ut catholicos, ac praesertim Germanos, qui sive in Americam, sive in alias regiones migrare solent, consilio suo operaque adjuvent, ad Sanctitatis Vestrae pedes provolutus humillime exponit, ante aliquot hebdomadas dictam Unionem in America septemtrionali sedem fixisse, ut fideles, qui ipsius curae in via se commiserant, in nova patria quoad animam et quoad corpus protegerentur et defenderentur. Quare Orator S. V. enixe rogat, ut indulgentias praefatae piae Unioni S. Raphaelis Archangeli in Moguntina dioecesi canonice erectae concessas ab Apostolica Sede ad sodales ejusdem piae Unionis in America degentes et ad fideles, de quibus agitur, benigne extendere dignetur. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 15 Decembris 1883 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro petita extensione indulgentiarum ad sodales et Christifideles, de quibus in precibus, sub iisdem conditionibus lucrandarum, quae praescriptae fuerunt sodalibus et Christifidelibus piae Unionis ejusdem nominis et instituti in Moguntina dioecesi canonice erectae. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 15 Decembris 1883.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano, Praef.

Franciscus Della Volpe, Secret.

446.

1883 15 Decembris. Indulg. pro quibusdam precibus.

Beatissime Pater! Felix Comes de Loe, dioecesis Monasteriensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus suo et plurimorum amicorum nomine petit, ut S. V. infrascriptae orationi aliquam indulgentiam a Christifidelibus nationis Teutonicae lucrandam adnectere benigne dignetur:

Dulcissime Jesu, ago tibi gratias, quod mihi veram donasti fidem. Fac, quaeso, ne unquam eam perdam; et omnes ad sanctam nostram Ecclesiam reducere dignare.

Dei Mater carissima, ora pro patria nostra.

Sancti Angeli Custodes, adjuvate nos.

Beate Petre Canisi, ora pro nobis.

Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 15 Decembris 1883 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus Teutonicae gentis supradictas preces corde saltem contrito ac devote recitantibus indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 15 Decembris 1883.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

447.

1884 19 Januarii. Indultum pro crucifixis Viae Crucis vulgo nuncupatis.

Beatissime Pater! Fr. Bernardinus a Portu Romatino, Minister Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus humiliter exponit, saepe saepius fideles, qui exercitium S. Viae Crucis peragere legitimo impedimento prohibentur, etiam impediri, quominus indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas lucrifaciant adhibendo crucifixum ad hunc effectum benedictum, [1]) eo quod

[1]) In Decr. auth. n. 387 insertum est Rescriptum d. d. 26 Januarii 1773, a quo primum ejusmodi crucifixorum usus originem duxit. — Litteris porro Apostolicis d. d. 18 Decembris 1877 Pius PP. IX. s. m. Reverendissimo Patri Fr. Bernardino

hujusmodi crucifixum non possident, sicuti accidit in familiis pauperum, in hospitalibus aliisque hujus generis locis piis.

Hinc, ut devotio erga Passionem D. N. J. Ch. magis magisque augeatur, neve fideles, imprimis animae in purgatorio detentae, ob expositum crucifixi defectum a participatione praedictarum indulgentiarum arceantur, Orator enixis precibus supplicat, ut Sanctitas Tua ad crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos benigne extendere dignetur Indultum a s. m. Pio PP. IX. in ordine ad rosarium sub die 22 Jan. 1858 *(Decr. auth. n. 384)* concessum, ita ut omnes utriusque sexus Christifideles praescripta viginti *Pater, Ave* et *Gloria* in communi recitantes lucrari valeant indulgentias Viae Crucis exercitio adnexas, licet manu non teneant crucifixum benedictum, ac sufficiat, ut una tantum persona, quaecumque ea sit ex communitate, illum manu teneat, ceterique omnes, ceteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quae tenet crucifixum. Quam gratiam etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 19 Januarii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia juxta petita ad tramitem Indulti jam concessi pro recitatione SSmi Rosarii, ut nimirum Christifideles, de quibus in precibus, ita se componant pro pio exercitio Viae Crucis peragendo una cum persona, quae tenet crucifixum, ut Viae Crucis indulgentias lucrari queant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstan-

---

a Portu Romatino, praesenti Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, sequens Indultum concessit: „Tibi, dilecte fili, ut, donec Ministri Generalis tui Ordinis munus exerceas, Christifidelibus utriusque sexus, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut praefata pietatis opera *(i. e. sacrarum Stationum visitationem, aut vicies repetitam Orationis Dominicae, Salutationis Angelicae et laudis Gloria Patri recitationem)* ad consequendas indulgentias Viae Crucis nuncupatas praestare nequeant, haec eadem opera in brevem aliquam precationem ante imaginem SSmi D. N. crucifixi ad id benedictam recitandam tuo arbitrio et prudentia commutare libere ac licite possis et valeas, auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium concedimus et impertimus . . .“ — Reverendissimus P. Minister Generalis ista facultate utens iis, qui gravi morbo ita afficiuntur, ut recitandis 20 *Pater, Ave* et *Gloria* impares sint, indulsit, ut eorum loco semel recitent actum contritionis, vel invocationem: *Te ergo quaesumus, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.* (Cf. Acta Ordinis Minorum, Septemb. 1882, p. 132.)

tibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 19 Januarii 1884.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

448.

1884 15 Martii. **Auctoritas Ordinis Minorum relate ad erigendas Vias Crucis et benedicendos crucifixos cum indulg. Viae Crucis.**

Beatissime Pater! Fr. Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Fratrum Minorum Minister Generalis, ad pedes Sanctitatis Tuae venerabundus provolutus humiliter exponit, Ordinis alumno a se commissam esse disponendam e documentis authenticis instructionem de sacris Viae Crucis Stationibus erigendis visitandisque, quam in lucem edendi mens est post obtentam a Sacra Congregatione Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita (si ita Sacrae huic Congregationi visum fuerit) approbationem. Cum vero non omni, qua par est, certitudine ac claritate e documentis authenticis, quae praesto sunt, pateat, quousque se extendat Stationes Viae Crucis erigendi auctoritas praefato Ordini ab Apostolica Sede benigne concessa, hinc Minister Generalis totius Ordinis Minorum consuevit statim ab ingressu sui Generalatus Summum Pontificem supplex adire, ab Eoque impetrare confirmationem omnium facultatum, quas circa Vias Crucis erigendas ac benedicendos crucifixos Viae Crucis vulgo nuncupatos Sancta Sedes Apostolica praedecessoribus suis indulsit; quod et praestitit et impetravit humillimus Orator.

Praxis autem hujus curiae habuit et habet, ut Minister Generalis

a) deleget tum intra, cum extra Ordinem facultatem erigendi Viam Crucis, etiam in oratoriis privatis, ex Indulto tamen Apostolico erectis, necnon benedicendi crucifixos cum applicatione indulgentiarum Viae Crucis;

b) concedat aliis, praesertim locorum Ordinariis, Vicariis Apostolicis, Missionum exterarum Praefectis etc., auctoritatem etiam subdelegandi seu committendi subditis Viae Crucis erectionem.

Praeterea considerato tenore Brevis *Exponi Nobis* Clementis PP. XII. (d. d. 16 Januarii 1731) [1]) dicendum videtur, non solum Ministrum Generalem, sed etiam alios in Ordine Superiores ac ex eorum commissione etiam ceteros Fratres concionatores vel confessarios approbatos Viae Crucis Stationes erigere posse etiam in privatis seu domesticis oratoriis, saltem proprie dictis, i. e. quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam. In praefato enim Brevi praelaudatus Summus Pontifex, extendens indulgentias ad Viae Crucis Stationes per *Fratres dicti Ordinis* erectas vel in posterum erigendas in locis Ministro Generali non subjectis, inter hujusmodi loca enumerat etiam *oratoria,* quin ulla addatur distinctio seu restrictio. — Ut igitur omnis dubitandi ratio tollatur, et memorata instructio plenior esse queat, Orator enixis precibus supplicat,

1°. Ut Sanctitas Tua Ministro Generali totius Ordinis Minorum pro tempore existenti vi muneris confirmare ac, in quantum opus est, de novo concedere dignetur facultates ab ipso exerceri diuturna praxi consuetas ac superius sub litteris *a* et *b* expositas;

2°. Ut Sanctitas Tua declarare ac, in quantum opus est, de novo concedere dignetur, omnes in Ordine Superiores ac ex eorum commissione etiam ceteros Fratres concionatores vel confessarios approbatos Viae Crucis Stationes licite ac valide constituere posse etiam in oratoriis privatis seu domesticis, quae gaudent privilegio celebrandi in iis Missam.

Tandem humillimus Orator supplicat, ut Sanctitas Tua auctoritate Apostolica sanare dignetur defectus quoad praeteritum in praedictis forsan existentes. Quam gratiam etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 15 Martii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, praevia sanatione quoad praeteritum, de qua in precibus, benigne annuit pro gratia in omnibus juxta petita. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione; contra-

[1]) Vide Decr. auth. in appendice, n. VI, pag. 453.

riis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 15 Martii 1884.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

449.

1884 15 Martii. Indulgentiae in S. Missionibus lucrandae.

Beatissime Pater! Quum fideles tempore Missionum plures indulgentias plenarias diversis diebus lucrari possint, sed temporis brevitate vel inopia confessariorum impediantur, quominus ad eos accedant, Praepositus Generalis Societatis Jesu humillime petit, ut omnes utriusque sexus Christifideles, qui tempore sacrarum Missionum a sodalibus praedictae Societatis habendarum ad Poenitentiae Sacramentum semel accesserint, plenarias indulgentias acquirere valeant, quae intra idem tempus occurrent, ceteris servatis conditionibus ad eas lucrandas injunctis. Et Deus etc. — SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 15 Martii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae benigne annuit pro gratia juxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 15 Martii 1884.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

450.

1884 15 Martii. Indulg. pro oratiuncula quadam.

Beatissime Pater! Procurator Generalis Congregationis Missionis ad osculandum pedem S. V. prostratus nomine Filiarum Mariae centum millium et amplius a Filiabus Caritatis directarum et permultorum aliorum fidelium supplicat S. V., ut velit indulgentia centum dierum ditare invocationem:

O Maria concepita senza peccato, pregate per noi, che ricorriamo a Voi;

O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad Te confugimus;

quae oratio jaculatoria in omni lingua et tam saepe quotidie recitatur. Pro qua gratia etc. — SSmus D. N. Leo

PP. XIII. in Audientia habita die 15 Martii 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui praefatam oratiunculam corde saltem contrito ac devote recitaverint, indulgentiam centum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit.[1]) Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 15 Martii 1884.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

451.

1884 17 Maji. **Indulgentia donantur preces pro animam agentibus.**

Beatissime Pater! Canonicus Dominicus Salvatori, moderator piae Unionis in favorem animam agentium in universo mundo, humiliter exorat Sanctitatem Vestram, ut concedere dignetur tercentum dierum indulgentiam devote recitantibus breves, quae sequuntur, preces:

Eterno Padre, per l'amore che portate a S. Giuseppe da Voi eletto fra tutti a rappresentarvi in terra, abbiate pietà di noi e dei poveri agonizzanti. *Pater, Ave* e *Gloria.*

Eterno divin Figlio, per l'amore che portate a S. Giuseppe vostro fedelissimo custode in terra, abbiate pietà di noi e dei poveri agonizzanti. *Pater, Ave* e *Gloria.*

Aeterne Pater, propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, inter omnes a Te selectum ad Tuas in terris implendas vices, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave* et *Gloria.*

Aeterne divine Fili, propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, Tuum in terris fidelissimum custodem, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave* et *Gloria.*

[1]) Eadem Sanctitas Sua Leo PP. XIII. Brevi d. d. 10 Septembris 1878 in perpetuum „omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contriti qualibet vice et quovis idiomate, dummodo tamen versio sit fidelis, post supradictam jaculatoriae (scil. *Sia benedetta la santa, immacolata e purissima Concezione della Beata Vergine Maria — Benedicta sit sancta, immaculata et purissima Conceptio Beatae Virginis Mariae)* recitationem verba addiderint *„Madre di Dio" (Matris Dei),* tercentum dies de injunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta" relaxat, „quas poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in caritate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse" impertit.

Eterno divino Spirito, per l'amore che portate a S. Giuseppe, il quale con tanta sollecitudine custodì Maria SSma vostra prediletta Sposa, abbiate pietà di noi e dei poveri agonizzanti. *Pater, Ave* e *Gloria.*

Aeterne divine Spiritus, propter amorem, quo prosequeris S. Josephum, custodem studiosissimum SSmae Virginis Mariae, Tuae praedilectae Sponsae, miserere nostri pauperumque animam agentium. *Pater, Ave* et *Gloria.*

SSmus D. N. Leo PP. XIII. in Audientia habita die 17 Maji 1884 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui supra relatas preces corde saltem contrito ac devote recitaverint, indulgentiam tercentum dierum, semel in die lucrandam, benigne concessit. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria ejusdem Sacrae Congregationis die 17 Maji 1884.

Al. Card. **Oreglia a S. Stephano**, Praef.
Franciscus Della Volpe, Secret.

Conspectus

præcipuarum rerum, quae in hujus voluminis Parte I. continentur, quaeque ad illustrandam indulgentiarum praxin et doctrinam conferunt.

Remittitur lector non ad paginas voluminis, sed ad *numerum* Rescriptorum, quo Rescripta ex ordine recensita sunt: majoris commodi causa simul additur uncis inclusus numerus Decretorum (D.), quando in volumine „Decreta authentica“ similis causa tractatur.

A. Generales notiones circa indulgentias.

I. Ex parte eorum, quibus indulgentiae lucrandae conceduntur.

1. De dispositione necessaria.

Quamquam pro qualibet indulgentia, quam fideles sibi acquirant — de indulgentiis pro defunctis S. Indulg. Congr. rem noluit dirimere *(D. 253. 341.)* — status gratiæ requiritur (hoc sensu intelligendum est illud „corde contrito“ in indulgentiis partialibus, secundum *D. 427),* isque plerumque, si peccato amissus erat, in plenariis indulg. per Confessionem atque sacramentalem absolutionem denuo restitutus *(D. 214. 231):* tamen singulari privilegio *Missionariis* quibusdam in regione infidelium concessum est olim, ut, deficiente confessario, ipsis sufficiat ad acquirendas indulgentias „actus contritionis et Confessio in voto“ 100.

2. De operibus, quae injungi consueverunt.

a. Visitatio ecclesiæ.

Nisi certa ecclesia visitanda praescribitur, oratoria publica (saltem quae praebent per viam publicam accessum,) loco ecclesiarum haberi, exempla docent 176. 183; *(non vero oratoria domestica monasteriorum, seminariorum etc. D. 310.)*

Si certa ecclesia praescribitur, non potest loco ejus parochialis vel alia ecclesia eligi 47. 111; — idque ex speciali privilegio tantum conceditur, ut *Cincturatis* 336; —

Confraternitati Boni Pastoris datur facultas *quamlibet* ecclesiam visitandi, si propria visitari non possit 337.

Regularibus autem (Soc. Jesu) datur facultas, qua visitando propriam ecclesiam lucrentur indulgentias, quas visitatione cujuslibet ecclesiae loci ubi degunt lucrari possent. Summ. 74, I, 13.

(Visitatio ecclesiæ fieri potest sive post, sive ante *Confessionem et S. Communionem, etiamsi dicatur „confessi et S. Communione refecti," dummodo fiat* die assignato *D. 214 U. et O.)*

Infirmis cujuslibet Confraternitatis facultas datur, ut possint commutationem visitationis ecclesiae accipere 207 *(quod postea concessum est pro omnibus habitualiter infirmis vel physico impedimento detentis, qui non in Communitate aliqua vivunt D. 393).*

b. Oratio ad intentionem S. Pontificis.

Quamquam communiter praescribitur in indulgentiis plenariis, tamen in sex Dominicis Aloysianis neque hae preces neque specialis visitatio ecclesiae praescribuntur 117.

(Ceteroquin in ejusmodi precibus non requiritur intentio expressa et explicita earum intentionum, quas S. Pontifex commemorat D. 344;

neque certæ preces praescribuntur, sed arbitrio fidelium relinquuntur D. 291;

sed non possunt offerri preces aliunde jam praescriptae D. 291.)

c. Eleemosyna.

(Praeterquam in jubilaeo, raro præscribitur vel etiam permittitur eleemosyna tanquam conditio indulgentiae D. 98.)

Si praescribitur, pauperes satisfaciunt, nisi commutationem omnimodam obtinuerint, minima quantitate 374.

d. Jejunium.

Pium in regno Neapolitano institutum, quod ad implorandum S. Josephi auxilium in ultimo agone singulos anni dies ad agendum jejunium inter fideles distribuit, indulgentia plenaria semel in anno et in articulo mortis donatum est 72;

item semel in anno plenaria indulgentia conceditur pro simili jejunio in honorem immacul. Conceptionis B. Mariae V. 77.

(Qualitas et rigor jejunii in jubilaeo ille per se exigitur, ut ipsa lex ecclesiastica in se spectata attendatur, ratione non habita indulti, quod alias vigeat D. 425.)

e. Confessio et Communio.

Singulari tantum privilegio, non generali, permittitur, ut Confessio, quae fieri consueverit infra 14 quoslibet dies, sufficiat ad omnes indulgentias occurrentes lucrandas 363;

Generali concessione sancitum est, ut tempore Missionum PP. Soc. Jesu Confessio, quae tum temporis peragatur, sufficiat pro omnibus indulgentiis occurrentibus 449;

(quum alioquin requiratur consuetudo hebdomadalis Confessionis D. 231. 364.

Quamquam Confessio requiritur, pro eo, qui mortali peccato non est obnoxius, absolutio sacramentalis non est absolute necessaria D. 295.)

Quum frequens usus Sacramentorum sit una ex causis indulgentiarum, quæ intendatur, a S. Communione sumenda raro dispensatur *(cfr. tamen D. 393 relate ad infirmos).*

Pro Communione III. Dominica cujuslibet mensis peragenda indulgentia plenaria ecclesiis Soc. Jesu concessa in Helvetia 344.

In Communione generali Missionariis S. J. Japoniae etc. libertas data est determinandi et mutandi Dominicas dies 134.

(Tum Confessio, tum Communio peragi potest pridie illius diei, cui annexa est indulgentia, excepto jubilæo D. 426.

Communio die Paschatis sufficere potest ad lucrandam indulgentiam benedictionis Papalis et ad satisfaciendum praecepto Paschali D. 288.)

II. Ex parte ejus, qui potestate concedendarum indulgentiarum potiatur.

1. Apocryphae declaratae indulgentiae:

quae Sodalitio Pacis concessae esse ferebantur 172 et 173.

(Cfr. in Decretis edicta quam plurima: D. 18 elenchus multar. ind. apocr. usque ad annum 1678 7. Martii; D. 42 elenchus non genuinus indulg. caerulei scap.; *D. 72 Summarium apocr.* Ord. SS. Trinit.; *D. 75 Compendium indulg.* Tertiar. S. Fr.; *item Summarium Confrat. domus et hospitalis* Dominæ N. de Victoria; *D. 78 Indulgentiæ* coronarum ex urbibus Bethleh. et Hierosolym. *asportatarum; D. 93 item coronarum, quæ dicebantur* ab Abbate Montis Serrati benedictae; *D. 106 Summarium pro* confratribus Ord. SS. Trinit.; *D. 109 Summarium gratiarum etc.* regiae capellae Granatensi *in honor. Conceptionis Dominae N. concessarum; D. 121 Brevis recensio indulg.* Ordinis Carmelit.; *D. 123* Decretum generale *non edendi Summaria etc. indulgentiar. sine praevia approbatione S. Indulg. C.* [*cujus moderationem v. in D. 383 et App. XII.*]; *D. 125 Tres elenchi indulgentiarum* in Sinarum regno *impressi; D. 159 Folium indulg.*

pro Sodalitio Cortonensi; *D. 203 Summarium indulgentiarum* regibus catholicis *concess.; item* Societati SS. Sacramenti *a Paulo III. concess.; D. 370 indulgentiae* numismatis quod Laureti *distribuebatur; D. 371, quo invalidae declarantur concessiones indulgentiarum generales quaelibet, quae non exhibeantur S. Congr.; D. 372 et 373 indulgentiæ* altaris „del Perdon“ *in ecclesia cathedrali Mexicana, et quae per eam communicatae sint; D. 376 indulgentiae, quae* quibusdam crucifixis *annexae dicebantur a Pio VII. et Pio IX. cum potestate eas ad haeredes crucifixi transmittendi; D. 448 Libell. germanico idiomate in Silesia impressi qui inscribitur* „Ordo pacis, der Orden des Friedens“.)

2. Concessio indulgentiarum.

Episcoporum facultas in concedendis indulgentiis valde restricta est 9.

(Cfr. D. 265. 333. 336. 433, ubi declaratur, etiam Archiepiscopos omnino restringi ad ea, quæ in Pontificali notentur, neque eos post ordinarias functiones sacras plusquam 40 dierum indulgentiam dare posse; neque plurium Episcoporum concessionibus indulgentias unius ejusdemq. rei cumulari posse.

In danda Benedict. Papali omnino declarare debent, se procedere ex delegatione S. Sedis D. 282.)

3. Extensio et communicatio indulgentiarum.

Ab una alicujus Ordinis Congregatione vel domo ad alias ejusdem Ordinis per se quidem existit extensio: tamen in speciali casu expresse data est 108 a Congr. Ss. Salvatoris ad Congr. S. Rufi Ord. S. Aug., 301 ad omnes ecclesias Capucinorum, 304 a Congreg. Hispaniæ ad Congreg. Italiæ FF. Carmelitarum excalc., 308 ab uno ad omnia instituta Ursulinarum, 386 inter diversas Congreg. Cisterciensium.

Per se requiritur, ut domus, monasterium, ad quae indulgentia extenditur, vere sit *ejusdem* Ordinis, non sufficit, ut *ex parte* tantum regulas illius sequatur 180.

(Cfr. tamen D. 166. 172. ubi specialiter quoad Elisabethinas *declaratur, eas, earumque ecclesias habere communicationem indulgentiarum cum Ordine S. Franc., etsi ipsae solum officium parvum B. M. V. recitent.*

Generatim vero quoad Tertiarios S. Franc. sive regulares sive saeculares requiritur, ut sint sub directione FF. Minorum, vel si regulares sunt, ut saltem a directione FF. Minorum translatae tantum sint sub regimen Ordinariorum D. 391. cfr. 117. 375).

Specialis exceptio aliquando datur, ut: Monialibus Ord. S. Aug. Wormatiae, quamquam semper fuerant sub Ordinario atque solum officium parvum B. M. V. recitare consueverant 206;

(Sororibus pauperibus de S. Franc. Aquisgranensibus, saltem personaliter D. 409.

Generalis regula de communicatione indulgentiarum inter Regulares haec est, ut non intelligatur de iis, quae ob specialem causam in certo solum Ordine existentem concessae sunt, intelligatur vero de indulgentiis propter opera, quae ex instituto etiam aliorum Ordinum peragenda sunt, concessis D. 107. 115; non intelligitur simpliciter de altari privileg. D. 233.)

Extensio a Regularibus seu Monialibus ad alios monasterii incolas vel alumnos non existit, nisi speciale S. Sedis indultum habeatur: quae data est *Ursulinis* pro festo S. Angelae Mericiae 221 relate ad *puellas etiam exteras;* Monialibus *a Visitatione* pro omnibus indulgentiis, quae non requirant actionem Monialibus propriam, relate ad *commorantes* 365.

(Extensio ab Ordine ad Confraternitates, quae sunt sub Ordinis regimine, non potest fieri nisi quoad eas indulgentias, quas S. Sedes sic communicabiles declaravit D. 6;

neque fieri potest sine speciali concessione *communicatio aliquarum ad arbitrium, aliis exclusis, sed* debet esse totalis et perpetua *D. 171;*

eaque intelligitur de concessis, et de concedendis *in futuro D. 135.)*

4. Interpretatio.

Quamquam indulgentiæ, utpote favoris concessi, interpretatio sit *late* facienda, *(cfr. D. 160. 161.)* tamen non ultra sensum verborum vel usum Curiæ receptum.

Hinc, si *certa* ecclesia visitanda praescribitur, ubi haec non existit, indulgentia nequit acquiri visitatione alius ecclesiae 47. 111.

Imo etsi infirmis et carceribus detentis facultas data sit accipiendae commutationis; id non extenditur ad eos qui propter pietatis officia a visitatione ecclesiae impediuntur; sed pro iis specialiter ad S. Congr. vel S. Sedem recurrendum est 56.

(Indulgentia „pro peregrinis" alicubi concessa nequit acquiri ab incolis D. 202.

Indulg. quotidiana plenaria *per se intelligitur acquirenda* semel in anno in die pro libitu eligendo *D. 356.*

Indulg. concessa pro certo die cujuslibet anni, si abest limitatio, intelligitur concessa in perpetuum *D. 197.*

Septennium *vel certum tempus, pro quo concedatur indulgentia, intelligitur* a die Datae ipsius Brevis *D. 37; solummodo pro regioni-*

bus remotis intelligitur de die, quo praesentetur Ordinario D. 116: sed mors Episcopi, ad quem dirigebatur Breve, non impedit, quin tempus assignatum impleri possit D. 142.

At tempus jubilaei forte incidentis, quo suspendantur indulgentiæ, non subtrahitur in computando tempore concesso D. 181.

De variis clausulis *in concessione indulgentiarum consuetis, earumque, quod odiosae sint,* stricta, *non lata interpretatione cfr. D. 168. 180. 224. 314 de claus. „Dummodo" et „Volumus"; D. 187 de „non tamen Regularium ecclesiis"; D. 201 „a primis Vesperis"; D. 211 „diebus non impeditis" circa privilegium altaris; D. 267 „defunctis applicabilis".)*

5. Promulgatio et publicatio.

In expositione tabellarum, quibus indulgentiae annuntientur, omnis species abusus praecavenda et interdicenda est 33.

(Cfr. circa annuntiationem indulgentiarum Viae Crucis D. 100;

circa impressionem, quae et qualis nunc tantum ex Sacrae Congregationis approbatione fieri liceat, D. 383;

circa exhibitionem cujuslibet generalis *concessionis apud S. Congregationem, ne nulla sit concessio D. 205.*

Quamquam publicatio Brevis Summi Pont. per Ordinarium facienda non spectet valorem, tamen licitum usum respicit D. 146.)

6. Suspensio et exstinctio.

Cessante re vel causa, cui indulgentia annexa est, indulgentia cessat, ut diruta ecclesia vel altari, nec reaedificata; cfr. 399 *(et D. 52);*

titulo ecclesiae mutato, indulgentia in festo prioris titularis Sancti cessat 179. *(cfr. tamen aliquatenus contrarium exemplum D. 188.*

Non perit propter solam restaurationem ecclesiae, vel altaris restructionem et translationem D. 85. 317.)

Transeunte re benedicta in alterius possessionem, indulgentia perit 87.

Quando igitur ratione paupertatis religiosæ etiam hæc sacrarum rerum commutatio fit, recurrendum est ad S. Sedem, quae hoc in casu facile dispensat 38.

(Neque commodatio cum intentione transferendi indulgentias D. 151, neque venditio fieri potest salvis indulgentiis D. 82.

In jubilæo ordinario indulgentiae pro vivis consueverunt suspendi, nisi quæ specialiter excipiantur D. 255.

Non suspenduntur indulgentiae in favorem defunctorum D. 182.) [1])

[1]) *Imo omnes, alias non applicabiles defunctis, evadunt iis applicabiles ex Const. Bened. XIII.* „Salvatoris" *et Bened. XIV.* „Nos nuper" *D. app. XVIII. II. §. 1.*

7. Translatio.

Propter festum translatum antea non consuevit concedi indulgentiarum translatio 79.

Solum ob speciales circumstantias ex speciali gratia occurrunt exempla 145. 315. 370. *(Cfr. D. 46. 101. 344.*

Tandem generali decreto sancitum est, ut fiat translatio indulgentiarum, si fiat solemnitatis *festi translatio, non vero si festum solummodo transferatur quoad officium, manente solemnitate fori in suo loco D. 359 et 360.*

Dein quoad ea festa, quae sine populi solemnitate et publica functione peragi solent: si perpetuo *transferuntur, cum festo transfertur indulgentia, etsi translatio sit solum pro certa dioecesi, vel certa Ordinis religiosi provincia; si translatio festi fit solum* per accidens, *indulgentia manet suo diei affixa. D. 435.*

Similiter, translata Confraternitate in aliam ecclesiam, transferuntur indulgentiae ecclesiae Confraternitatis annexae D. 126.)

In aliis casibus singularibus opus est speciali concessione, ut in transferenda indulgentia processionis SSi Rosarii 151; in transferenda indulgentia ab ecclesia in sacellum pro tempore restaurationis ecclesiæ 390.

B. Praecipua genera indulgentiarum.

I. Jubilaeum et indulgentia „ad instar jubilaei."

Jubilaeum praeter plenariam indulgentiam plures favores secum fert circa absolutionem censurarum, votorum commutationem etc.

(In solo anno ordinarii jubilaei solent aliae indulgentiae pro vivis suspendi D. 255.

Indulgentia plenaria „ad instar jubilaei" per se non secum fert favores illos circa absolutionem etc. D. 2. 4. 24. 26.

In jubilaeis, nisi Bulla currentis jubilaei aliud statuerit, regulae Benedicti XIV. servandae sunt. D. 353.

Circa opera praescripta inspici debet ipsa Bulla indictionis. D. 425.

Jubilaei ordinarii, vel extraordinarii longioris indulgentia quidem solet saepius acquiri posse, sed usus facultatum annexarum semel tantum concedi. D. 425).

Opera praescripta cfr. supra et *D. 217.*

II. Indulgentiae locales, i. e. ratione loci et certorum piorum exercitiorum, quae ibi fiant, concessae.

1. Altaria septem Basilicae Vaticanae.

Indulgentiae concessae communicantur aliis ecclesiis vel capellis illi incorporatis. Sum. 5. §. 47.

(Easdem indulgentias consuevit S. Pontifex aliquoties in anno acquirendas concedere, praecipue Monialibus, si in claustro sui monasterii septem altaria vel capellas designatas visitaverint: non autem sufficit visitare septem icones. D. 103).

2. Altare privilegiatum.

(Distinguitur privilegium personale altaris a locali, ita ut in priore casu celebrans in altari per se non privilegiato privilegio uti possit D. 351).

Altare privilegiatum generatim fixum esse debet; at sufficit lapis consecratus mensae insertus 405. *(Cfr. D. 219. 234. 318. 324. 334.)*

Consuevit concedi unum vel plura altaria privilegiata in ecclesiis Regularium: cfr. indicem rerum sub voce „Altare privileg."; *(in ecclesiis diversarum Confraternitatum pro sodalibus defunctis D. 97;*

in ecclesiis cathedralibus D. 238 et 241, abbatialibus, collegiatis, parochialibus — iisque sensu lato *— singulis septenniis renovandum D. 215. 218. 219. 221. 225. 234;*

in die Omnium Fidelium Def. omnes Missae sunt privilegiatae D. U. et O. 228.

Intelligitur indulgentia plenaria pro defuncto, cujus effectus nihilominus relinquitur misericordiae divinae D. 283.

Quare qui ex obligatione Missam dicere debuit in altari privilegiato, et alibi celebravit, debet indulgentia plenaria aliter acquirenda compensationem facere D. 339; verum non licet ante factum sic secum statuere D. 357.

Privilegium altaris uni, non pluribus applicatur. D. 402. 451.

Generatim ei applicandum est, pro quo dicitur Missa; aliquando tamen applicatio Missae et applicatio privilegii seu indulgentiae separabiles sunt. D. 348).

Ut aliquis re vera utatur privilegio, diebus per rubricas non impeditis Missam in nigris celebrare debet 300. *(cf. D. 339;*

imo si pro certis vicibus in hebdomada privilegium conceditur, dies non impediti, si occurrunt, eligi debent. D. 402.

Missa in nigris intelligitur Missa de Requiem. D. 357.)

Diebus impeditis sufficit Missa de festo, feria, votiva 300. 396: *(impediti autem censentur, quoties Missam de Requiem dici aut non licet, aut non decet sive ob solemnitatem, ob stationem ecclesiae, sive ob expositionem SSi in ecclesia vel altari. D. U. et O. 404.)*

3. Septem Basilicae Urbis.

Indulgentiae pro earum visitatione concessae nonnunquam communicantur aliis piis operibus vel Unionibus: cfr. Summ. 57.

4. Portiuncula.

Ea indulgentia gaudent non solum ecclesiae FF. Minorum, sed etiam Monialium S. Clarae 122.

(Sodales tertii Ordinis S. Franc. Assis. saeculares, qui sunt sub directione *FF. Minorum, eâdem gaudent indulgentiâ; non vero per se illo favore gaudent pro omnibus fidelibus eorum capellae in ecclesiis parochialibus D. 375.*

Congregationes mulierum tertii Ordinis, ut per se gaudeant eodem privilegio, ut ipse Ordo FF. Min., debent aut sub directione eorum esse, aut saltem primitus fuisse, ita ut ab eorum directione translatae sint in plenam jurisdictionem et directionem Ordinariorum D. 391.

In Gallia ecclesiae, quae olim Franciscanorum erant, Portiunculae privilegio gaudent, at translato in Dominicam D. 406.

Aliis etiam ecclesiis aliquando hoc privilegium conceditur, prius cum clausula, ut ab ecclesiis Franciscanor. milliario saltem distent, nunc jam omissa illa clausula D. 441.

Confratribus Cincturatis seu Confraternit. SS. Aug. et Monicae sub titulo B. M. V. de Consolatione concessa est indulgentia Portiunculae pro festo Nativ. B. M. V., si ecclesiam Ordinis et altare vel capellam Confraternitatis visitaverint, ibique 5 Pater et Ave dicant ad intentionem S. Pontificis, et pro die Dominica sequente festum S. Nicolai Tolentini, si visitaverint capellam S. Nicolai et altare Confraternitatis, ibique oraverint ut supra D. 446.

Si transfertur ex favore S. Sedis indulgentia Portiunculae in diem Dominicam, non potest acquiri ipso die 2. Augusti D. 406.

Omnino declaratum est, hanc indulgentiam acquiri posse toties quoties, *neque necesse esse, in ipsa ecclesia privilegiata sumpsisse S. Communionem, sed sufficere, ubilibet communicasse D. 344.*

Distinguitur haec indulgentia ab alia, quae ipsi ecclesiae S. Mariae Angelorum concessa est D. 128.)

5. Scala sancta.

Scala sancta vera in Urbe existens quibus indulgentiis dotata sit 333.

Scalis sanctis ad verae scalae imitationem factis indulgentiae conceduntur 11. 14. 16.

Distantia viginti milliariorum sufficit, ut nova scala sancta erigi et indulgentiis ditari possit 78.

6. Stationes Urbis.

Indulgentiae Stationum determinantur 313;

(quamquam antea decretum erat, eas non esse determinate annuntiandas D. 12).

7. Via Crucis.

Erectio et indulgentiae non conceduntur, nisi 14 consuetis stationibus 88.

(Sed tabulae seu imagines non sunt essentiales, imo substitutio crucium non benedictarum in minori numero non obest valori indulgentiarum D. 258. 264. 270. 275. 311.

Cruces autem debent esse ligneae, *populoque* conspicuae *D. 261. 442).*

Facultas erigendi Viam Crucis reservatur Ordini Minorum S. Franc. de Observantia, cum potestate eam dandi in certis locis Germaniae et Helvetiae PP. Capucinis 112. 187. *(Cfr. D. 108. 112. 137. — Quoad modum in erectione servandum atque documenta ad id necessaria cfr. D. 175. 194. 294. 325. 445).*

Non necessario in ipsa ecclesia erigitur; sed si alioquin perturbatio oritur, laudabiliter erigitur in porticu ecclesiae 209.

(Excluduntur loca profana, *eaque etiam in ipsis monasteriis D. 236; si concessio datur pro „ecclesiis," excluduntur* coemeteria *et* oratoria privata *D. 382; sed non excluduntur* oratoria publica *Episcopi auctoritate erecta et per viam publicam populo patentia D. 365. Erectio jam fieri potest in qualibet ecclesia, non attenta distantia certa ecclesiae Franciscanorum, ut antea praescribebatur D. 429 14 Maji 1871).*

Imo pro sacellis domesticis, etiam familiae nobilis, exempla concessionis occurrunt 321. 387; tandem generali concessione permittitur, ut erectio fiat in quibuslibet oratoriis, ubi, etiamsi ex privilegio, liceat Missam celebrare 448.

Atque ipsa erectio in dormitorio alicujus monasterii remittitur judicio Generalis FF. Minorum S. Franc. de Observantia 375.

Methodus peragendi in certa aliqua provincia illa concessa est ut legitima, secundum quam et in publico, et in privato exercitio fidelibus liceat in suo loco consistere, facto tantum aliquo motu corporali: verum additur clausula „ne trahatur in exemplum" 407. (1868 10 Martii).

(Alioqui necesse est, ut in privato exercitio transeatur ab una statione ad aliam D. 287; in publico, ut saltem sacerdos cum ministris sic circumeat D. 210. — De cetero sufficit in privato exercitio meditatio Dominicae passionis D. 100; actus contritionis et recitatio „Pater noster" et „Ave" ad singulas stationes est tantum de consilio D. 259. — Totum exercitium debet non interrumpi longiore mora vel genere actionis, quae unionem moralem perimat D. 385; neque tamen Confessio vel Communio interposita pro tali interruptione habetur D. 223. — Hoc S. exercitium sive diurno sive nocturno tempore fieri potest. D. 245).

Verum non constat, eodem die, si pluries hoc S. exercitium peragatur, pluries etiam acquiri adnexas indulgentias 443.

III. Indulgentiae reales, i. e. ratione rerum sacrarum, quae possideantur vel gerantur, concessae.

(Res illae sacrae postquam benedictae et indulgentiis ditatae sunt, non possunt amplius vendi, neque a primo possessore, cui destinatae sint indulgentiae, ad alium transferri neque indulgentiae lucrandae causa commodari: alioquin indulgentiae cessant. D. 151).

1. De coronis.

Facultas benedicendi coronas ordinarias, quarum benedictio per se ad PP. O. Praed. spectat 368.

Indulgentiae, quae iis annexae sunt 51. 373.

Facultas benedicendi coronas Septem Dolorum 136. 285.

Indulgentiae iis annexae. Summ. 79 pag. 650.

Indulgentiae coronis S. Birgittae annexae verae et genuinae 19. 20.

(In annectendis indulgentiis S. Birgittae sufficit signum crucis D. 281; in benedicendis coronis 7 Dolorum, vel rosarii O. Pr. requiritur specialis formula ad valorem indulgentiarum. D. 401.

Distingui debet facultas benedicendi coronas *S. Birgittae, et facultas ordinariis coronis 5 vel 15 decadum annectendi easdem* indulgentias *D. 257. 268. 271.*

Eidem coronae plures *indulgentiae diversae annecti possunt D. 249. 271, quae tamen non acquiruntur* unica *coronae recitatione D. 249.*

Pro materia coronarum, *quae benedici et indulgentiis ditari possint, admittitur vitrum compactum seu solidum, quamquam alias ut materia fragilis excluditur. D. 271.*

Communiter si plures simul coronam recitant, ille vel illi solt indulgentias lucrantur, qui coronam benedictam manu tenent et in recitatione adhibent D. 249. 291; verum pro corona ordinaria O. Pr. concessum est, ut omnes lucrentur indulgentias, qui sese ad orandum communi recitatione semotis aliis curis componunt, si unus coronam teneat. D. 384).

2. De crucibus.

Exemplum facultatis cuilibet moribundo per osculum vel tactum crucifixi applicandi indulgentiam plenariam 137.

Exemplum facultatis benedicendi crucifixos, quibuscum ii, qui impediti sunt, quominus Viam Crucis peragere possint, easdem lucrentur indulgentias, quas per Viae Crucis exercitium lucraturi essent 352.

Atque jam concessum est, ut, si plures in communi hoc pium exercitium peragant, devote ad orationem compositi, omnes indulgen-

tias lucrari possint, etsi *unus* tantum crucifixum privilegiatum manu teneat 447.

(Benedictio, qua qui facultatem habet, indulgentias adnectat, sufficit illa, quae solo signo crucis fiat D. 281. 313.

Quoad crucifixorum materiam excluditur sola materia fragilis, *etsi dicatur, crucifixos debere esse ex* „ottone" *confectos D. 387.)*

Indulgentiae Apostolicae, quae sive crucibus sive coronis etc. adnectuntur: v. Summ. 1.

3. De numismatibus et statuis.

Numismata S. Benedicti. Elenchus indulgentiarum 199.

Facultas in fine Missionis numismata cum indulgentiarum largitione benedicendi 320.

(Ut benedici et indulgentiis ditari possint, debent saltem in una parte imaginem alicujus Sancti *expressam habere; in altera licet exprimi imaginem alicujus* Beati *D. 32).*

Exemplum statuae SS. Trinitatis indulgentia ditatae 275.

4. De scapularibus et cincturis.

Debet servari legitima et consueta forma, neque sufficit pro scapulari pannus vesti insutus 29. *(Cfr. D. 277. 408. 423. — Non tamen necesse est, ut geratur infra alia vestimenta D. 367.*

Qui omisit, etiam diu, gestare, nisi simul noluerit amplius membrum Unionis seu Confraternitatis esse, non ideo eget nova receptione, sed resumere debet scapulare. D. 379.

Necessaria est legitima facultas ad distribuenda scapularia D. 397.

Qui benedicit, idem imponere debet D. 430.

Qui generalem facultatem habet, etiam ipse sibi imponere potest. D. 280.

Formula benedicendi, imponendi, aggregandi eatenus tantum ad valorem *spectat, quatenus non committatur defectus „in verbis essentialibus" D. 421.*

Valide et licite adhibetur formula in plurali „Accipite etc." D. 286.

Non ad lucrandas indulgentias, sed ad lucrandum privilegium Sabbatinum scapularis B. M. V. de monte Carmelo necesse est, ut recitetur quotidie officium parvum B. M. V. D. 419. [pro quo sufficit Officium, quod a clericis sacrorum ordinum ex obligatione recitatur.]

Ad commutandum illud opus requiritur specialis facultas praeter acultatem imponendi scapularia. D. 306.

Singularis facultas distribuendi scapularia Congregationi SS. Redemptoris concessa. D. 350.)

Singula scapularia et indulgentias annexas quaere in indice *rerum* sub voce „scapulare."

Cincturati seu confratres cincturae S. Augustini abundantibus indulgentiis fruuntur (Summ. 40) atque facultate substituendi visitationem *parochialis* ecclesiae, si *propria* deest 336.

(De conditionibus lucrandi illas indulgentias cfr. D. 66. Indulg. Portiunculae pro Cincturatis. D. 446.)

IV. Indulgentiae personales, i. e. ratione sive personarum, sive personalis exercitii devotionis concessae.

1. De articulo mortis

atque indulgentia pro illo tempore concessa.

Facultas dandi benedictionem Apostolicam in articulo mortis, etsi nunc uberrime conceditur, tamen non quibuslibet indiscriminatim dari consuevit 408, pro Monialibus soli Confessario ordinario, si quem habent cum exclusione aliorum *ibid.*

(Cfr. D. 440. — semel tantum danda est in eodem morbo seu eodem morbi statu D. 263. 300. 362;

neque pluries a pluribus sacerdotibus, neque ob diversos titulos, quibus aegrotus jus ad eam habet D. 286. 362;

neque propterea repetenda, quod aegrotus eam in statu peccati acceperit D. 257.

Haec enim omnia non impediunt effectum, si aegrotus in vero *mortis articulo dispositus est:* pro illo momento *videlicet datur indulgentia D. 9.*

Formula nunc praescripta pro omnibus *D. 444.*

Necesse est, excepto casu necessitatis seu mortis jam instantis, „Confiteor" dicere vel iterum dicere, etsi forte ter dici debeat; idque ad valorem spectat D. 286).

2. De Benedictione Papali,

[utique extra articulum mortis.]

Facultas dandae Benedictionis Papalis. Exemplum habes in Superioribus Ord. Servorum B. M. V. 149; in favorem sacrarum Missionum 292. 293.

(Benedictio Papalis requirit moralem praesentiam, *ita tamen, ut ex fenestra domus vicinae accipi possit D. 266;*

non vero a Monialibus per clausuram separatis a populo D. 40; quare illae, ut nihilominus participes fiant, speciali concessione indigent D. 266.

Per Episcopos vel Praelatos, qui delegata potestate eam aliquoties in anno dare possunt, singulis vicibus *applicari debet, idque generatim solemniter D. 433.*

Clausulae praescriptae ita saltem servari debent, ut latino et vulgari sermone clare dicatur, fieri benedictionem ex delegatione S. Sedis D. 282.

Regularium Praelatis, si facultas data est, in suis tantum ecclesiis est potestas eam dandi D. 199): nisi tamen in fine Missionum habeant facultatem populo benedictionem Apostolicam dandi.

At diverso ritu ab eo, quo Episcopi, quilibet presbyteri uti debent 205.

(Formula „absolutionis generalis" pro Regularibus et pro Tertiariis saecularibus nunc uniformiter praescripta D. 444 et app. seq.)

3. De Confraternitatibus.

Non existit generalis aliqua pro qualibet Confraternitate indulgentiarum concessio, sed post erectionem canonicam recurri debet ad eas obtinendas 74. 110. 113.

(Erectio fit per Ordinarium, non opus est Apostolica confirmatione D. 195.

Vicarius generalis ex suo munere non habet facultatem erigendi Confraternitatem vel ejus statuta approbandi D. 420; imo ipse Vicarius capit. „se ab iis abstineat" D. 438.

Certa quaedam statuta non praescribuntur ad acquirendas indulgentias a S. Sede concessas, sed statuta particularia relinquuntur arbitrio Episcopi; neque eorum observatio conditio est indulgentiarum D. 320.

Si semel erecta est, non indiget nova erectione, ut resuscitetur, si quando propter defectum membrorum quasi sopita jacuerit D. 269. 343.

Adscriptio in Confraternitatem debet fieri ad formam praecepti Clem. X., nimirum singulorum, non generalis omnium dioecesanorum D. 158.

Quamquam materialis nominum inscriptio per quemlibet fieri potest, adscriptio tamen seu admissio formalis fieri debet a legitimo rectore seu praeside (ab Ordinariis designando) D. 331.

Praesentia pro adscriptione qualis requiratur, et quomodo dispensari ab ea possit v. D. 437. 453).

Aggregatio, i. e. affiliatio ad aliquam Archiconfraternitatem cum indulgentiarum communicatione, non potest fieri multiplex ad plures Archiconfraternitates 146.

(Sed singuli fideles adscribi possunt compluribus Confraternitatibus atque omnibus earum indulgentiis frui D. 291.

Aggregandi facultatem non habet Confraternitas quaelibet ipsa sua erectione, sed solum ex concessione S. Sedis D. 68.

Aggregatio gratis fieri debet: permittitur tamen pro labore et expensis aliqua retributio usque ad 30 franc., sed non ultra D. 76. 80. 209. 388. cum app. n. XII et XIII.

Aliae quoque clausulae pro aggregatione praescriptae plane servandae sunt, ne invalida fiat aggregatio D. 83. 388.

Aggreganda Confraternitas debet ejusdem instituti *esse, ac Confraternitas aggregans D. 94.*

Confraternitas SSi Sacramenti *omnibus indulgentiis fruitur sine ulla ab Archiconfraternitate aggregatione D. 13. 192. 308.*

Confraternitates Doctrinae Christianae *in aliqua dioecesi eo ipso indulgentiis fruuntur tanquam aggregatae, si modo* una *ex dioecesi Archiconfraternitati legitime aggregata fuerit D. 35).*

NB. Quaere sub suis nominibus in indice reali et indice Summariorum Confraternitates singulas.

4. De indulgentiis pro defunctis.

Cfr. Altare privilegiatum (supra pag. 696);
Heroicus actus 392.

Non omnes indulgentiae applicabiles sunt defunctis; verum id conceditur compluribus Ordinibus religiosis, ex. gr. v. Summar. 74.

(Anno jubilaei omnes indulgentiae, quae alias defunctis non sunt applicabiles, suspenduntur quidem pro vivis, sed jam existunt applicabiles defunctis. Bened. XIII. „Salvatoris" et Bened. XIV. „Cum nuper". D. app. XVIII).

Confraternitas in solamen defunctorum multis exstat indulgentiis ditata 398. 402. (cf. 394.)

5. Exercitia devotionis diversa.

Doctrinam christianam docentibus et addiscentibus indulgentiae datae 200 cf. 272; similiter audientibus explicationem Evangelii, ibid.

Dominicae in honorem S. Aloysii 117. — S. Camilli de Lellis 383. — S. Ignatii 242. — *(in hon. S. Joseph cf. „Raccolta" anni 1877 pag. 291).*

Feriae II. in honorem S. Michaelis Archang. in ecclesiis Cleric. regul. Minorum 314.

Fer. IV. novem antecedentes festum S. Joseph in ecclesiis Carmelit. 224. 241. 243.

Fer. VI. mensis Martii: in iis coronam Domini N. recitantes indulgentiam plenariam singulis vicibus acquirere possunt 340.

Jejunium in honorem Immacul. Conceptionis 77; item in honorem S. Joseph ad implorandam felicem mortem 72.

Mortis bonae exercitium seu praeparatio 60.

Oratio mentalis 101.

SS. Sacramentum, praecipue expositio 40 horarum 4. 42. 44. 55; vel circa dies Bacchanalium 229 — etiam pro minus solemni plenaria indulgentia aliquando conceditur 84 — Adoratio perpetua 35. — Expositio reparatrix 438.

Virtutum theologicarum exercitium 105.

6. Exercitia sacra vel Missiones.

Qui quater saltem sacris Missionibus vel exercitiis PP. Soc. J. interfuerint, plenariam indulgentiam acquirere possunt 341. 423.

Qui interfuerint benedictioni crucis in fine Missionis, 300 dierum indulgentiam lucrantur 423. —

Devotae visitationi crucis Missionis annectitur indulgentia modo partialis, modo plenaria 341. — cfr. etiam 359.

Confessio tempore Missionis a PP. Soc. Jesu habitae sufficit ad lucrandas omnes indulgentias occurrentes 449.

7. Religiosi Ordines.

Festa Sanctorum religiosi Ordinis (fundatorum et patronorum) consueverant plenaria indulgentia donari 17.

(In indulgentiis lucrandis Novitii comprehenduntur nomine „Regularium" D. 57.

Indulgentiae ecclesiis *Regularium concessae pro omnibus fidelibus non comprehenduntur revocatione indulgentiarum a Paulo V. facta D. 17.*

Pro ecclesiis Regularium, in quibus statis diebus Christifideles indulgentias lucrari possint, per se non habentur ecclesiae hospitalium, in quibus Regulares serviunt D. 47;

neque generatim eae ecclesiae, quarum administratio quidem fit a Regularibus, sed quae Ordinis non sunt D. 70: sed ad hoc specialis concessio requiritur.)

Verum provinciae Italiae Capucinorum id datum est 295.

(Item ecclesiae, in quibus Regulares Soc. J. exercent functiones, dummodo id faciant usu legitimo, constanti et pleno, *quoad indulgentias habentur pro ecclesiis Societatis Jesu D. 424.*

Item ecclesiae, quae in Gallia olim erant Ordinis Minorum, fruuntur favore indulgentiae Portiunculae D. 406).

Moniales fruuntur indulgentiis sui Ordinis datis pro exercitiis religiosae vitae cfr. 180. 186.

(Idque sive existunt sub regimine FF. ejusdem Ordinis, sive non existunt vel exstiterunt, sed translatae sunt ad regimen Ordinariorum. D. 58. 59. 143. — Moniales in Gallia manent in possessione indulgentiarum, ac si vota solemnia facerent D. 343.

Indulgentiae Monialibus datae non eo ipso datae sunt pro puellis educandis; sed ad id speciali opus est concessione D. 73).

In ecclesiis Monialium ex regula solis Monialibus conceditur indulgentia lucranda 83. *(cfr. D. 220);* sed multae occurrunt exceptiones.

(Neque expedit in ecclesiis Monialium — etsi latioris sensus — Confraternitates erigere D. 403.)

Singulos Ordines recensitos v. in indice rerum alphab. et in Summariis.

C. Notanda circa S. Reliquias.

Reliquiae ad ecclesiam pertinentes, donari a parocho nequeunt 2. — Imo ut fiat partis alicujus detractio, ad S. Sedem recurrendum est 48.

(Episcopo non est potestas Reliquias alienandi vel extra dioecesin transferendi D. 14.

Reliquiae SS. MM. dignoscuntur ex palma et vase sanguine tincto D. 1.

Episcopus in sua dioecesi jus habet Reliquias authenticas declarandi vel rejiciendi, etiam contra alterius Episcopi sententiam D. 183: modo certitudinem moralem post diligens examen habeat D. 289. 400.

Vicarii Generalis subscriptio non sufficit ad authentiam D. 240.

Ecclesia exoptat, ut de Reliquiarum authenticitate inquiratur, neve ipsae maneant oblivione sepultae, sed ut publicae venerationi exponantur D. 254.

At Reliquias authenticas permixtas cum non-authenticis non licet ita venerationi exponi; sed separandae sunt authenticae D. 335.

Reliquiae S. Crucis a Reliquiis Sanctorum separari debent D. 342.

Insignis Reliquia non habetur os femoris D. 251.)

Index partis II.,

quae continet

Summaria indulgentiarum

a Summis Pontificibus nonnullis objectis devotionis, ecclesiis et aliis locis piis, Ordinibus religiosis, Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Sodalitatibus et piis Unionibus concessarum.

I. Summaria indulgentiarum nonnullis objectis devotionis concessarum.

pag.

1. Summarium indulg., quas SS. D. N. Leo PP. XIII. impertitur Christifidelibus, qui retinentes aliquam ex **coronis, rosariis, crucibus, crucifixis, parvis statuis, numismatibus ab eadem Sanctitate Sua benedictis,** praescripta pia opera adimpleverint 345
2. Summarium indulg. **coronis Terrae Sanctae** concessarum 349
3. Summarium indulg. **rosariis seu coronis S. Birgittae** nuncupatis concessarum 352
4. Summarium indulg. **numismatibus seu crucibus S. Benedicti** concessarum 160

Summarium indulg. recitantibus coronam Septem Dolorum Beatæ Mariæ Virginis concessarum 650

Summarium indulg. numismatibus B. M. V. „de Notre Dame de Moutuset“ nuncupatis concessarum 495

5. Summarium indulg. **scapularis nigri SS. Crucis et Passionis D. N. J. Chr.** (n. 56)[1] 571
6. Summarium indulg. parvi **caerulei scapularis in honorem immaculatae Conceptionis** B. Mariae Virg. (n. 57) 574

Aliorum scapularium ad Confraternitates pertinentium indulgentias vide infra inter Summaria indulg. Confraternitatibus concessarum.

II. Summaria indulgentiarum nonnullis ecclesiis celebrioribus et aliis locis piis concessarum.

7. Summarium indulgentiarum et spiritualium gratiarum, quibus **ecclesiae,** altaria, capellae, **oratoria,** Confraternitates et **pia loca sacrosanctae Vaticanae Basilicae** de Urbe **aggregata** ditantur (n. 5) 356
8. Summarium indulg. **ecclesiae Lateranensi et aliis ecclesiis eidem incorporatis** concessarum (n. 6) 360
9. Summarium indulg. **Basilicae S. Mariae ad Martyres** concess. (n. 7) 362
10. Summarium indulg. **Basilicae S. Mariae trans Tiberim** concessarum (n. 8) 365
11. Summarium indulg. et privilegiorum concessorum **piae domui exercitiorum apud Pontem Palatinum** (Ponte Rotto) **et venerabili ecclesiae S. Eligii** trans Tiberim addictae eidem piae domui (n. 10) 373
12. Summarium indulg. et privilegiorum concessorum **ecclesiae et monasterio perpetuarum adoratricum Sanctissimi Sacramenti Romae** (n. 63) 587

---

[1]) Numeri, qui uncis inclusi post singula Summaria sunt additi, ii sunt, secundum quos Summaria in ipso libro notata reperiuntur.

Indulgentiae Stationum Urbis *pag.* 239
Indulgentiae Scalae Sanctae Urbis 253
13. Summarium indulg. **ecclesiis sacrae aedi Lauretanae aggregatis** concessarum (n. 9) 370
14. Summarium indulg., quae acquiri possunt **in ecclesia S. Mariae de Galliera Bononiae** (ecclesia Congregationis Patrum Oratorii S. Philippi Nerii) (n. 12) 378
15. Summarium indulg. **ecclesiis urbis Fesulanae** concessarum 127
16. Summarium indulg., quae sunt concessae Christifidelibus **ecclesiam** Pontificii et Regalis **hospitalis SS. Apostolorum Petri et Pauli** in civitate **Matriti** visitantibus (n. 11) 376
17. Summarium indulg. visitantibus **ecclesias Ordinis Servorum B. Mariae Virginis** concessarum (n. 81) 652

III. Summaria indulgentiarum Ordinibus religiosis et piis Communitatibus concessarum.

18. Summarium indulg., quibus gaudet **Ordo Seraphicus S. Francisci** (n. 15) 385
19. Summarium indulg. et privilegiorum Fratribus et Monialibus **Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis** concessorum (n. 78) 640
20. Summarium indulg. **Fratribus Ordinis S. Joannis de Deo** necnon eorum ecclesiis ac infirmis in nosocomiis ejusdem Ordinis degentibus concessarum (n. 14) 380
21. Summarium indulg. **Societati Jesu** concessarum (n. 74) 611
22. Summarium indulg. et privilegiorum **Ordini Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium** concessorum (n. 76) 630
23. Summarium indulg. **Societati sacerdotum S. Sulpitii** concessarum (n. 17) 404
24. Summarium indulg. **Monialibus Ursulinis** concessarum 234
25. Summarium indulg. **Ordini Visitationis B. Mariae Virginis** concessarum (n. 19) 406
26. Summarium indulg. **Societati Sororum SS. Cordis Jesu** concessarum (n. 20) 411
27. Summarium indulg. et privilegiorum **Tertii Ordinis saecularis S. Francisci Assis.** (n. 73) 607
28. Summarium indulg. et privilegiorum **Tertiariis Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis** concessorum (n. 79) 646
29. Summarium indulg. **Tertio Ordini S. Francisci de Paula** concessarum (n. 16) 402

IV. Summaria indulgentiarum Archiconfraternitatibus, Confraternitatibus, Archisodalitatibus, Sodalitatibus, piis Unionibus seu Societatibus concessarum. [1])

a. Summaria Archiconfraternitatum et Archisodalitatum.

30. Summarium indulg. et gratiarum concessarum *Archiconfraternitati* **SS. Trinitatis peregrinorum et convalescentium** *Urbis Romae* (n. 25) 440

[1]) Quum denominationes Archiconfraternitatum, Archisodalitatum, Confraternitatum, Sodalitatum etc. in documentis huc pertinentibus et in ipsis Summariis indulgentiarum non sint omnino fixae et stabiles, sed saepe promiscue adhibeantur (confer ex.

31. Summarium indulg. *Archisodalitati* **in adorationem Spiritus Sancti** concessarum (n. 47) *pag.* 540
32. Summarium indulg. *Archiconfraternitati* **SSmi Sacramenti** *in ecclesia S. Mariae supra Minervam de Urbe* canonice erectae concessarum (n. 22) 427
33. Summarium indulg. concessarum venerabili *Archiconfraternitati* existenti *in ecclesia SS. Martyrum Tryphonis, Respicii et Nymphae* sub invocatione **SSmi Sacramenti, Conceptionis B. Mariae V. de Cinctura, dictorum SS. Martyrum et S. Camilli de Lellis** (n. 31) 465
34. Summarium indulg. concessarum *Archisodalitati* **Adorationis Perpetuae SSmi Sacramenti et ad pauperiores ecclesias sacra supellectili instruendas** (n. 52) 561
35. Summarium indulg. concessarum venerabili *Archiconfraternitati* **SSmi Cordis Jesu,** dictae **de saccis albis,** *Romae* (n. 30) 463
Notiorem SSmi Cordis Jesu *Archiconfraternitatem in ecclesia S. Mariae de Pace* existentem vide infra inter pias Uniones sub 70.
36. Summarium indulg. concessarum *Archiconfraternitati* **sanctissimae Conceptionis B. Mariae Virg.** *in ecclesia SS. Laurentii et Damasi, Romae* (n. 32) 468
37. Summarium *Archiconfraternitatis* **B. Mariae Virg. Dolorosae ac Animarum purgatorii** canonice erectae *in cœmeterio sacrosanctae Basilicae S. Mariae trans Tiberim* (n. 28) 455
38. Summarium indulg. et privilegiorum *Archisodalitatis in ecclesia S. Mariae in Monterone* Congregationis SS. Redemptoris *in Urbe* constitutæ sub titulo **B. Mariae Virg. in coelum assumptae ad juvandas animas purgatorii igne detentas** (n. 48) 543
39. Summarium indulg. *Archisodalitatis* **B. Mariae Virginis, Angelorum Dominae** (n. 50) 554
40. Summarium indulg. *Archisodalitati* sub titulo **Beatae Mariae Virg. Nostrae Dominae a Sacratiss. Corde Jesu** concess. (n. 53) 565 et 660
41. Summarium indulg. et privilegiorum venerabilis *Archiconfraternitatis* sub titulo **B. Mariae Virg. a Salute et S. Josephi, ejusdem Sponsi, ac S. Camilli de Lellis** canonice erectae *in ecclesia S. Mariae Magdalenae de Urbe,* Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis (n. 75) 621
42. Summarium indulg. *Archiconfraternitati* **SSmi Rosarii** concess. (n. 21) 418
43. Summarium indulg. concess. *Archiconfraternitati* **Cincturae B. Virg. Mariae, Matris Consolationis, et S. Augustini et S. Monicae** (sive *Societati Cincturatorum sub invocatione B. V. Mariae* etc.) (n. 40) 505
44. Summarium indulg. *Archisodalitati* **S. Josephi** concessarum (n. 54) 567
45. Summarium indulg. *Archiconfraternitati* sub titulo **Vinculorum S. Petri** concessarum (n. 42) 522
46. Summarium indulg. et privilegiorum concess. venerabili *Archiconfraternitati* **Sacrorum Stigmatum S. Francisci** *de Urbe Romae* (n. 24) 436
47. Summarium indulg. Seraphicae *Archiconfraternitati* **Chordigerorum S. Francisci** concessarum (n. 23) 432
48. Summarium indulg. *Archiconfraternitatis* **Doctrinae Christianae** (n. 27) 450

gr. Summarium n. 29 pag. 457, ubi piæ Unioni SS. Cordis Jesu vix non omnes tribuuntur), ideo Summaria secundum eas denominationes accurate disponi non poterant. — In hoc indice haec, quae diximus, Summaria primum in tres classes principales distinximus; deinde unamquamque secundum dignitatem tituli vel objecti ordinavimus, quo pacto speramus fore ut lectores, quae desiderent, sine labore possint invenire; maxime cum titulos ita imprimendos curaverimus, ut quasi sua sponte in oculos incurrant.

49. Summarium indulg. *Archiconfraternitati* **Mortis et Orationis** *de Urbe* concessarum (n. 26) pag. 448

b. Summaria Confraternitatum, Congregationum, Sodalitatum.

50. Summarium indulgent. concessarum *Confraternitatibus* institutis ab Ordine **SSmae Trinitatis** *Redemptionis Captivorum (cum ejusdem scapulari)* (n. 35) 476
51. Summarium indulg. *Confraternitatis* **SS. Nominis Dei** (n. 33) 471 et 659
52. Summarium indulg. et privilegiorum, quibus gaudet venerabilis *Confraternitas* **Devotorum Jesu Christi ad Calvarium** (vulgo „**Sacconi rossi**“) (n. 39) 497
53. Summarium indulg., quas lucrari possunt adscripti piae *Sodalitati* sub invocatione **Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Chr.** (n. 49) 549
54. Summarium indulg. *Sodalitati* **perpetuae adorationis SS. Cordis Jesu** *in ecclesia B. M. V. de Pace Urbis* concessarum 274
55. Summarium indulg. *Sodalitio* **ab Adoratione Reparatrice** nuncupato concessarum (n. 72) 605
56. Summarium indulg. *Congregationi* **primae primariae** sub titulo „**Annuntiationis Beatae Mariae Virginis**“ *in Collegio Romano* Societatis Jesu erectae et ceteris Congregationibus eidem aggregatis concessarum (n. 46) 535
57. Summarium indulg. ac privilegiorum **primariae** *Sodalitati Romanae* titulo **Filiarum Mariae sub patrocinio B. Mariae Virg. Immaculatae et S. Agnetis Virg. et Martyris** *in ejusdem Basilica extra mœnia Urbis* Canonicorum Regularium SS. Salvatoris Lateran. canonice erectae concessorum (n. 51) 556
58. Summarium indulg. et privilegiorum, quibus gaudet *Congregatio* erecta *in Lyceo Pontificio seminarii Romani* sub titulo **immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis** (n. 43) 525
59. Summarium indulg. concessarum piae *Sodalitati* **S. Cordis B. Mariae Virg.** canonice erectae *Romae in insigni* collegiata et parochiali *ecclesia S. Eustachii* (n. 61) 586
60. Summarium indulg. et gratiarum *Confraternitati* **Beatae Virginis Mariae de Monte Carmelo** *(et ejusdem scapulari)* concess. (n. 34) 473
61. Summarium indulg. et gratiarum *Confraternitatibus* Ordinis **B. Mariae V. de Mercede** concessarum *(et ejusdem scapulari)* (n. 36) 483
62. Summarium indulg. *Confraternitati (Societati)* **Septem Dolorum Beatae Mariae Virg.** *(cum parvo ejusdem habitu seu scapulari)* concessarum (n. 80) 647
63. Summarium indulg. et privilegiorum *Confraternitatum* seu *Sodalitatum* sub titulo **Sancti Amoris Beatæ Mariæ Virg. Auxiliatricis** *in Lusitania, Algarbiis* etc. canonice erigendarum (n. 55) 570
64. Summarium indulg., quae regiae *Confraternitati* sub titulo **Beatae Mariae Virginis** nuncupatae **Notre Dame de Moutuset** *civitatis Burdigalensis* concessae sunt (n. 38) 494
65. Summarium indulg. concessarum insigni *Congregationi* dictae „**dei Virtuosi**“ sub invocatione **S. Joseph de Terra Sancta** existenti *in antiqua ecclesia S. Mariae ad Martyres, vulgo „della Rotonda“* (n. 44) 529
66. Summarium indulg. aliorumque bonorum spiritualium *Congregationis* **Devotorum S. Annae,** renovatae *in ecclesia S. Laurentii „in Borgo“* PP. Clericorum Regularium Piarum Scholarum (n. 45) 533

67. Summarium indulg. concessarum *Congregationi* **primariae Bonae Mortis** *Romae in templo domus Professorum Soc. Jesu* erectae (n. 77) *pag.* 638
68. Summarium indulg. concessarum *Congregationi* **SSmae Communionis generalis** erectae *in oratorio B. Mariae Virginis Pietatis* et *S. Francisci Xaverii Urbis* (n. 41) 518
69. Summarium indulg. *Sodalitati* **Catechismi Perseverantiae** *in dioecesi Cenomanensi* concessarum 271

c. Summaria piarum Unionum, Societatum et Institutorum.

70. Summarium indulg. *piae Unioni* **Sacri Cordis Jesu** *in ecclesia S. Mariae de Pace in Urbe* existenti concessarum (n. 29) 457
71. Summarium indulg. concessarum *piae Unioni* **Perpetuae Adorationis Sanctissimi Sacramenti** *Romae in* venerabili *ecclesia S. Mariae Magdalenae in Quirinali,* Monialium Perpetuarum Adoratricum SSmi Sacramenti, erectae (n. 64) 593
72. Summarium indulg. *Societati* sub titulo **Sanctae Familiae** *in dioecesi Bellicensi* erectae seu alibi erigendae concessarum (n. 67) 600
73. Summarium indulg., quae concessae fuerunt *piae Unioni* seu *Societati* **immaculatae Conceptionis Mariae** Sanctissimae, erectae *Romae in ven. ecclesia Aracoeli* (cui aggregatum est **Pactum Marianum** *Ingolstadii in Bavaria* canonice erectum) (n. 58) 580
74. Summarium indulg. ac bonorum spiritualium concessorum *piae Unioni* sub titulo **B. Mariae Virg. Boni Consilii** *in oppido Genestani, Praenestinae dioeceseos* (n. 59) 583

Summarium indulg. *Societatis* Septem Dolorum B. Mariae V. vide supra inter Summaria Confraternitatum sub 62.

75. Summarium indulg., quae concessae sunt *piae Societati Parisiis* institutæ sub titulo et protectione **S. Francisci Regis, concubinariorum matrimonia in facie Ecclesiae procurandi causa** (n. 65) 597
76. Summarium indulg. et privilegiorum *Societati* **Propagationis Fidei** concessorum 279
77. Indulgentiae concessae *Societati,* **quae curam agit militum** 287 et 301
78. Summarium indulg., quae *piae Unioni* nuncupatae **„Oeuvre de bons livres"** *in dioecesi Burdigalensi* concessae sunt (n. 68) 602
79. Summarium indulg., quae *piae Societati* nuncupatae **Calobibliophilorum** *in civitate Imolensi* concessae sunt (n. 69) 603
80. Summarium indulg. concessarum confratribus **Oratorii Nocturni** canonice erecti *in ecclesia S. Mariae de Pace, de Urbe* (n. 37) 490
81. Summarium indulg. et privilegiorum concess. **Scholis** *(religionis)* **Nocturnis** *Romae,* et quidem sociis exercentibus et contribuentibus, et adolescentibus adscriptis (n. 66) 598

Index rerum

quae in toto hoc volumine continentur.

NB. Lectorem non ad paginam, sed ad *numerum*, secundum quem ipsa Rescripta in hoc libro ex ordine data sunt, remittimus; si quando ad Summaria, numero additur „Summ." vel „Summar."

A.

Absolutio generalis. Facultas eam pluries in anno dandi conceditur Ordini SS. Trin. 237 et 238. (1766 6 Maji et 10 Junii).

In Ordine B. M. V. de Mercede „absolutio gener. cum indulgentiarum communicatione", ubi praescribitur Confessio et S. Communio, intelligitur per se indulgentia *plenaria*. 190 (175 219 Aug.)

Adoratio perpetua SS. Sacr., Confraternitas. Conceduntur indulgentiae, etiam defunctis applicabiles 146 et 147. (1747 21 Jan.) — indulgentiae Monialibus Florent. S. Mar. Angelorum concessae 23. (1715 18 Julii.)

— Sodalitati in Urbe datur praeter alias indulgentias communicatio indulgentiarum cum Monialibus perpetuae Adorationis 401. (1861 23 Aug.) Cfr. Summ. (63 et) 64.

— Archisodalitas Belgica a Sororibus perp. Ador. dependens transfertur Romam, eique Romana adunatur, cum facultate alias Sodalitates sibi aggregandi 410. (1879 1 Febr.) Cfr. Summ. 52.

— Indulgentia pro quibusdam, qui die sibi assignato per horam SSmum adoraverint 35. (1719 8 Aug.)

— Sodalitium adorat. reparatricis v. Summ. 72.

Ador. perp. SS. Cordis Jesu. Uberes indulgentiae conceduntur 361. (1841 14 Dec.)

Aegroti v. Infirmi.

Aggregatio. Multiplex — cum indulgentiarum cumulatione non conceditur 146. (1727 21 Jan.)

— exemplum sanationis 92. (1733 19 Maji).

— formula aggregationis pro Archiconfraternitate SS. Cordis Jesu approbata 426. (1862 5 Apr.)

Agonia D. N. in cruce seu devotio trium horarum. Indulgentiae, quae huic pio exercitio adnectuntur 332. (1815 14 Febr.)

Alexiani. Eorum ecclesiis in festo S. Alexii adnectitur plenaria indulgentia secundum regulam aliorum Ordinum 1. (1710 22 Sept.)

Aloysius S. In ejus festo, quocumque die celebratur ex Ordinarii determinatione, fideles plenariam indulgentiam lucrari possunt 133. (1742 12 Apr.)

— sex Dominicae Aloysianae eaeque singulae plenaria indulgentia donantur, idque sine praescripta visitatione ecclesiae 117. (1740 7 Jan.)

Altare privilegiatum. Diebus per rubricas impeditis privilegium habetur in Missa, quae non est de Requie, etiamsi in privilegio est clausula „quandocumque sacerdos Missam defunctorum celebraverit" 300. (1771 7 Martii); 396. (1859 24 Jan.)

Altaria quo sensu *fixa* requirantur in privilegio altaribus inhaerente 405. (1867 26 Martii.)

Favoris concessi publicatio non est in *arbitrio* Ordinarii posita 18. (1713 25 Sept.) Primo parce tantum hoc privilegium concedebatur 99. (1734 30 Apr.); 102. (1735 5 Febr.) determinatio pro Ord. SS. Trin. 61. (1727 29 Julii); pro Carthus. 67. (1729 16 Febr.); pro FF. Min. Recoll. in Germania 68. (1729 20 Julii); pro FF. Min. excalc. 69. (1729 14 Sept.); pro Conventual. 73. (1731 19 Maji). — Restrictio quoad

certos sacerdotes certosq. dies in privilegio locali mitigatur 12. (1712 18 Apr.), 15. (1712 21 Nov.)

A tempore Benedicti XIV. amplior consuevit dari hujus privilegii communicatio ut: Ordini S. Joann. de Deo 119. (1741 31 Maji); O. S. Bened. cum Monial. 120. (1741 15 Julii), 132. (1742 10 Martii); O. S. Birgittae 121. (1741 11 Aug.), 129. (1741 23 Dec.); Ordinibus S. Aug. 126 et 127. (1741 18 Oct.), 144. (1746 28 Sept.), 222. (1765 12 Martii pro altari S. Ubaldi), 262. (1768 17 Maji item); O. Capuc. 135. (1742 15 Julii), 138. (1742 19 Sept.), 142. (1745 10 Apr.), 277. (1768 20 Sept.); O. Cisterc. 139. (1744 16 Dec.); Conventualibus 182. (1751 4 Sept.); Ord. B. M. V. de Mercede 178. (1751 24 Apr.) — ejus Monial. in favorem defunctorum consang. 192. (1753 28 Martii); Congreg. Silvestr. 148. (1747 12 Apr.); Barnabitis 150. (1747 12 Apr.), 171. (1750 8 Aug.); Ord. S. Pauli, primi Eremit. 168 et 169. (1749 22 Nov.); Maristis 170. (1750 18 Martii); O. SS. Trinit. 174 et 175. (1750 11 Dec.), 350. (1832 15 Febr.); Orat. S. Phil. Neri 193. (1754 7 Sept.); O. S. Hieron. 195. (1755 10 Maji); Congr. Bursfeld. 196. (1755 19 Julii), 201 et 202. (1757 8 Febr. et 28 Martii), 230. (1765 23 Julii); Ord. Cisterc. 211. (1763 1 Martii); Ord. S. Cam. de Lellis 288. (1769 12 Sept.); Congr. SS. Redempt. 218. (1764 15 Oct.); Congreg. Mission. 227. (1765 20 Junii); O. S. Franc. de Observ. 274. (1768 23 Aug.); omnibus altaribus Archiconfr. S. Mar. de suffragio in Urbe 214. (1763 23 Aug.); item ecclesiae Archiconfr. B. M. Orationis et Mortis in Urbe 225. (1765 21 Maji); piis Unionibus sacerdotum 228. (1765 16 Julii), 234. (1766 4 Martii); in favorem eorum, qui supremo supplicio affecti sint 256. (1767 17 Nov.); Ord. Camald. 318. (1780 19 Febr.); Archisodalit. in ecclesia B. V. in Monterone Urb. 398. (1860 26 Martii).

Angeli Ss. Custodes. In eorum festo propter populi confluxum concessa invenitur plenaria indulgentia 80. (1731 10 Dec.)

Anna S., Congregatio devotorum et devotarum S. Ann. v. Summ. 45.

Antonius S. Erem. Ordini ejus nominis in quibus festis plenar. indulg. detur 96. (1733 16 Nov.)

— item Congreg. hujus Ord. nomine S. Isaiae in Syria datur facultas quoscumque fideles admittendi ad participationem bonorum operum 130. (1742 10 Jan.)

Archiconfraternitas, Confrat., Sodalit. quaere sub suis nominibus, ut: **Trin., B. Mar. V., Adorationis** etc.

Augustinus S., Augustiniani. Ecclesiae Canonic. reg. S. Aug. in *Hietzing* in favorem Imperatoris Rom. et Mar. Theres., Imperatricis, amplissimae indulgentiae conceduntur 161. (1749 9 Febr.)

— Canonic. reg. S. Aug. in Germania super. iisdem fruuntur indulgentiis, ut Can. eccl. Lat., quibus aggregantur, etsi subjecti sint Ordinariis locorum 39. (1722 23 Febr.)

— Moniales Ord. Canonic. reg. Wormatiae indulgentiis Ordinis fruuntur, etsi recitant solum officium B. M. V. 206. (1758 30 Julii).

— Eremit. S. Aug., Ordo. Enumerantur festa, in quibus eorum ecclesiis indulgentia annectitur 140. (1745 13 Febr.); additur festum S. Patritii 232. (1765 19 Nov.)

— iisdem ex Ord. discalceatorum conceditur pro S. Communione, quam ex regula offerunt pro defunctis sodalibus, plenaria indulgentia defunctis applicabilis 220. (1765 8 Jan.)

B.

Barnabitae. Conceditur illis facultas erigendi confraternitates scholarium et non scholarium, cum indulgentiis 184. (1752 15 Jan.)

Basilii S. Ordo (Melchitarum Graec. — Congreg. S. Joannis B. in Soario) Elenchus indulgentiarum 203. (1757 6 Aug.)

Beati, Beatificatio. In festis Beatorum, nondum canonizatorum, non consuevit dari indulgentia 114. (1738 30 Aug.) — Occasione autem ipsius beatificationis celebrandae indulgentia, etiam plenaria, conceditur 323. (1783 19 Dec.) (Cfr. 269. 1768 21 Julii).

Benedictio papalis. Facultas eam dandi non includit facultatem subdelegandi 212. (1763 22 Martii) — quae tamen in favorem Missionum aliquando datur 292. (1769 5 Dec.), 293. (1770 9 Jan.) 297. (1770 3 Julii).

Exemplum personalis concessionis 347. (1831 26 Apr.)
Ordini Servorum B. M. V. datur facultas, eam bis in anno impertiendi suis Tertiariis 431. (1882 16 Dec.)
Benedictio *in articulo mortis*. Conceditur Societati Jesu pro sodalibus 233. (1766 21 Jan.)
— quis confessarius delegari possit pro Monialibus votorum simplicium 408. (1868 2 Dec.)
Benedictus, S., Patriarcha v. „Numismata".
Benedictus Josephus, S., Labre, oratio in ejus honorem cum indulg. 419. (1882 21 Jan.)
Beneventano Archiepiscopo confirmatur facultas dandi indulgentiam 100 dierum 250. (1767 23 Junii).
Bernardus S., D. E. Novendialis devotio ante ejus festum in ecclesiis Cisterciensium indulgentiis ditatur 384. (1853 8 Aug.)
Birgittae S., coronae. Indulgentiae concessae 19. (1714 5 Sept.), 20. (1714 4 Dec.) Cfr. Summ. 3.
— festum in ecclesiis ejus Ordinis plenaria indulgentia donatur 45. (1723 7. Junii).
— in ejus Ordinis ecclesiis, etiam Monialium, datur plenaria indulg. in die festo omnium Sanctorum Ordinis 329. (1797 29 Nov.)

C.

Camillus S., de Lellis. Devotio 7 Dominicarum in ejus honorem indulgentiis donatur 383. (1853 8 Aug.) Cfr. „Infirmis ministrantium Ordo".
Canonizatio. Ejus solemnitas ratio est, cur plenaria indulgentia concedatur 251 et 252. (1767 4 Aug.) Aliquando occasio est, cur detur facultas certum numerum coronarum etc. benedicendi cum indulgentiarum applicatione 253. (1767 4 Aug.), 255. (1767 10 Nov.)
Capitulum generale. Ejus convocatio occasio erat plenariae indulg. Ordini Praedic. concedendae 312. (1777 12 Apr.)
Captivorum Redemptio, Ordo, v. sub voce „Maria".
Capucinorum Ordo. Sodales possunt semel in anno indulgentias certarum peregrinationum lucrari 317. (1779 25 Sept.) Festa, in quibus eorum ecclesiae indulgentia ditatae sint 17. (1713 25 Sept.) — additur festum titulare 283. (1769 17 Jan.), dies 14 Januarii 290. (1769 7 Nov.) — extensio ad ecclesias Monialium 301. (1771 9 Julii). — Ecclesiae, quae per eos administrantur (in provincia Italiae), iisdem fruuntur indulgentiis, sicut propriae ecclesiae Ordinis 295. (1770 6 Martii). — Ecclesiis provinciae Tyrolensis conceduntur indulgentiae Stationum Urbis 303. (1775 7 Junii).
Carmelus, Sodalitas de monte Carmelo, v. sub voce „Maria".
Catechismus. Sodalitas Catechismi Perseverantiae; indulgentia concessae 358. (1837 25 Febr.) Cfr. **Doctrina christiana.**
Cellitae v. **Alexiani.**
Celsi et Juliani SS., eorum ecclesia pluribus plenariis indulgentiis ditatur 27. (1716 28 Jan.)
Centenaria festa facile plenaria indulgentia donantur 37. (1721 9 Junii).
Cessatio indulgentiarum. Ecclesia diruta, cessat indulgentia, neque consuevit dari pro visitantibus locum vel ruinas 30. (1716 28 Apr.) Cfr. **Indulgentia.**
Chordigeri S. Franc. Ass. — designantur dies, quando indulgentia plenaria, quando benedictione Papali fruantur 440. (1883 26 Maji). Cfr. Summ. 23.
— Facultas benedicendi chordas delegari potest a localibus Superioribus in casu personalis impedimenti 429. (1876 23 Apr.)
Cincturati. — Eorum Confraternitati conceditur, ut sodales impediti a visitatione ecclesiae Ordinis, substituant visitationem parochialis ecclesiae 336. (1819 3 Aug.)
— Exemplum aggregationis ad Archiconfrat. Bononiensem 163. (1749 14 Maji). Cfr. Summ. 40.
Cistercienses. In eorum ecclesiis novendialis devotio ante festum S. Bernardi indulgentiis ditatur 384. (1853 8 Aug.)
Clerici instituendi. — Pia Unio ad hunc finem adjuvandum ditatur indulgentiis 434. (1883 26 Maji).

Columna. Confraternitas sub titulo D. N. J. Ch. ad columnam ligati 367. (1849 15 Dec.) vide sub voce „Jesus".

Communicatio indulgentiarum inter varias familias ejusdem Ordinis 386. (1854 13 Febr.) — Per se requiritur, ut illa familia vel domus sequatur ex integro, non ex parte tantum ejusdem Ordinis regulas 180. (1751 20 Julii); at ex gratia fit etiam amplior communicatio 206. (1758 30 Julii).

— Communic. indulg. quinquies in anno fieri solita in Confraternitatibus Ordinis SS. Trin. Redempt. Captiv. 189. (1752 10 Maji). Cfr. **Indulgentia, Extensio.**

Communio S. pro defunctis sodalibus ditatur indulgentia in Ordine FF. Eremitar. discalc. S. Aug. 220. (1765 8 Jan.)

C. generalis v. Summ. 41. — Pro Missionibus Japoniae etc. conceditur, ut dies Dominica ad arbitrium Missionariorum eligatur vel mutetur, sine dispendio indulgentiarum 134. (1742 18 Junii). — S. Communionem sumentibus tertia Dominica cujuslibet mensis in ecclesiis Soc. J. Helvetiae concedebatur plenaria indulgentia 344. (1826 12 Apr.)

Commutatio *operum* pro indulgentiis praescriptorum v. **Impediti, Infirmi.**

— *rerum sacrarum* (donatione, commodatione), etiam per haereditatem, amittere facit indulgentias 87. (1732 15 Nov.) — Si vero haec coronarum vel numismatum commutatio fit ratione religiosae paupertatis, S. Pontifex facile dat dispensationem: quae nihilominus requiritur 38. (1721 9 Junii).

Conceptio immaculata, Sodalitas, Festum, jejunium in ejus honore v. sub voce „Maria".

Concio. Qui intersunt, alicubi indulgentia donati 271. (1768 2 Aug.) Cfr. **Missiones.**

Confessio. Exemplum singularis privilegii, quo permittitur, ut in dioecesi Bajocensi confessio infra duas hebdomadas facta sufficiat ad indulgentias interea occurrentes 363. (1843 4 Dec.)

Confluxus peregrinantium qualis pro causa sufficienti habitus sit indulgentiae dandae 58 et 59. (1727 28 Jan.)

Confraternitas. Non est aliqua concessio generalis indulgentiarum pro omnibus Confraternitatibus; sed pro novis Confraternitatibus ad S. Sedem recurrendum est *post erectionem* 74. (1731 19 Maji), 110. (1736 3 Dec.), 113. (1737 13 Sept.)

— ante concordatum Gallicum anni 1801 erectae (in dioecesi Gandav.) sanantur 399. (1860 26 Martii).

NB. Singulas Confr. quaere sub suis nominibus.

Consilium Bon. — Confraternitas B. M. V. Boni Consilii v. sub voce „Maria".

Contritionis actus. Exemplum concessae pro eo indulgentiae 24. (1716 28 Jan.)

Conventuales, Min. Ordinis ecclesiis in provincia Argentina adnectitur plenar. indulgentia pro die 14 Nov. 296. (1770 8 Maji).

Cor SS. Jesu quaere sub voce „Jesus". Domina N. a S. Corde Jesu, Archisodal. v. sub voce „Maria".

Coronae. Earum benedictio cum adjunctione indulgentiarum est facultas, quae non promiscue datur 63 et 64. (1728 6 Apr.), 123. (1741 18 Oct.) — Coronam D. N. J. C. recitantes *singulis feriis VI. Martii* plenariam indulgentiam lucrari possunt 340. (1824 11 Aug.) — C. Septem Dolorum. Generali Ordinis Servorum B. M. Virg. conceditur facultas ad has coronas cum indulgentiarum concessione benedicendas delegandi alios sacerdotes in locis, ubi Ordo Servorum B. Mariae V. non existit 136. (1742 18 Julii). — Intra Confraternitatem 7 dol. haec facultas extenditur 285. (1769 27 Junii). — Facultas conceditur benedicendi coronulas proConfrat. S. Cinguli 155. (1748 5 Maji). — Coronae S. Birgittae cfr. Summ. 3. — Terrae S. Summ. 2.

Crucifixus. Exempla singularium concessionum tum personalis tum realis indulgentiae ratione crucifixi 137. (1742 19 Sept.), 349. (1831 17 Dec.), 364. (1845 13 Nov.)

D.

Defuncti. Confraternitas in eorum levamen instituta — elenchus indulg. 394. (1854 27 Nov.) — Novendialis devotio in suffragium defunctorum: exemplum concessae indulgentiae 382. (1853 11 Julii).

Archiconfratern. B. M. V. in coelum assumptae et ad juvandas animas defunctorum in ecclesia Congr. SS. Redempt. v. Summ. 48. — altaris privilegium amplissimum 398. (1860 26 Martii) — pro visitatione ecclesiae dispensatur a conditione alioqui praescripta, qua debeat ibi asservari SS. Euchar. *(ibid.)* — facultas alias Confraternitates aggregandi datur amplissima 402. (1861 23 Aug.) et subdelegandi sacerdotes ad fideles inscribendos *(ibid.)*, pro adscriptis benedicendi coronas Angelicas *(ibid.)*

Archiconfr. in honorem B. M. V. dolorosae et animar. cf. defunct. v. Summ. 28. Cfr. **Heroicus actus, Hebdomadae sacrae triduum.**

Dei, SS. Nominis. Confraternitas v. Summ. 33. et supplement. pag. 659.

Doctrina christiana. Eam docentibus et addiscentibus concessae indulgentiae, cf. 200. (1756 31 Julii); — iis qui ei intersunt, concessa alicubi indulg. plen. 272. (1768 2 Aug.) — Archiconfr. v. Summ. 27. Cfr. **Catechismus.**

Dolores septem B. M. V.: Confratern. 7 Dolorum, Meditatio, Processio in ejus honorem vide sub voce „Maria".

Dominicus S. Orationes in ejus honorem cum indulg. 441. (1883 21 Julii).

E.

Eligius S. Ecclesia S. Elig. et domus exercit. Rom. v. Summ. 10.

Episcopi. Eorum facultas in concedendis indulgentiis restricta est 9. (1711 16 Nov.)

Evangelii explicatio — qui ei intersunt, indulgentiis donati 200. (1756 31 Julii.)

Exercitia sacra. Conditio indulgentiarum antea erat, ut peragerentur separatim a viris et separatim a feminis 36. (1719 26 Sept.) — Nunc cfr. **Missiones.**

Exercitium Bonae Mortis sub directione PP. Soc. J., vel in eorum defectu sub directione aliorum, indulgentia donatur 7. (1711 4 Aug.), 60. (1727 20 Maji).

Extensio indulgentiarum. Magna cautela adhibita in extendendis et admittendis novis indulgentiis vel novis indulgentiarum causis 56. 57. 58. (1727 28 Jan.), 71. (1730 23 Sept.), 72. (1731 29 Jan.), 74. (1731 19 Maji), 94. (1733 16 Nov.)

— existente *eadem* causa, ab una regione ad aliam indultum quoddam extenditur 100. (1734 20 Sept.)

— ab una alicujus Ordinis Congregatione vel domo ad aliam ejusdem Ordinis omnino facile expresse extenditur indulgentia 108. (1736 22 Febr.); 301. (1771 9 Julii), 304. (1775 9 Aug.), 308 (1776 23 Martii), 386. (1854 13 Febr.)

— imo ab uno Ordine ad alium propter earumdem sacr. functionum exercitium, ut indulgentiae pro Missionibus peragendis extensae sunt ad collegia Missionum Ordinis B. M. V. de Redempt. Captiv. 181. (1751 20 Julii).

F.

Familia Sacra. Societas S. Familiae dioec. Bellic. v. Summ. 67.

Fesulanae ecclesiae. Amplissimae indulgentiae iis confirmantur 164. (1749 2 Julii).

Francisca S., de Chantal. Facultas aperiendi capsam illius Reliquiarum 259. (1768 12. Jan.)

Franciscus S. Assisiensis. Archiconfraternitas S. Stigmatum S. Fr. quibus fruatur indulgentiis 131. (1742 27 Jan.) Cfr. Summ. 24. — Ordo S. Fr. cfr. **Conventuales, Minores** (de Observantia), **Capucini.** — Moniales S. Francisci in Urbe: indulgentiae iis concessae 286. (1769 29 Aug.) Cfr. Summ. Ordinis Seraph. 15., Tertiar. 73. Cfr. etiam **Chordigeri.**

Franciscus S., de Paula. Indulgentiae in ejus festo cum octava 124. (1741 18 Oct. (Ejus tertius Ordo cfr. Summ. 16.)

Franciscus S., Regis. Pia societas ejus nomine insignita v. Summ. 65.

Franciscus S., Sales., Associatio catholica, enumeratio indulgentiarum 406. (1868 10 Martii).

G.

Germania. Pro conversione Germaniae seu reditu ad fidei unitatem recitantibus oratiunculam, omnibus Christifidelibus Teutonicae gentis indulgentia conceditur 446. (1883 15 Dec.)

Gregorius S., Nyssenus. Festum ejus indulgentia donatur 89. (1733 20 Jan.)

H.

Hebdomada sacra, Triduum: indulgentiae in levamen defunctorum concessae 141. (1745 10 Apr.) — extenduntur ad eos, qui sacris functionibus intersunt, si modo orent 177. (1751 3 Apr.)

Heroicus actus in favorem defunctorum, indulgentiae et privileg. altaris 392. (1854 20 Nov.)

Hospitalia. Eorum visitationi indulgentiae concessae pro toto orbe 403. (1861 23 Aug.)

I.

Januarius S., ejus statua cum indulgentia locali 261. (1768 10 Maji).

Jesus, SS. Cor. In ejus festo plenaria indulg. 245. (1767 2 Junii) 249. (1767 23 Junii).

— Monialibus SS. Cordis in monte Libano primis feriis VI. cujuslibet mensis indulg. conceditur 266. (1768 7. Junii) — item compluribus aliis diebus 267 et 268. *(eod. die).* — Cfr. pro tota hac Societate Summ. 20.

Archiconfraternitas SS. Cord. — formula aggregationis approbatur 426. (1862 5 Aprilis). — Cfr. Summ. 29. — Aliam Archiconfr. Rom. (de saccis albis) v. Summ. 30.

Confraternitas sub titulo D. N. J. Ch. ad columnam ligati: indulgentiae quae conceduntur 367. (1849 15 Dec.)

Confratern. devotorum Jesu Ch. ad Calvarium (Sacconi rossi) v. Summ. 39.

— Infantia. Pia Unio ab Infantia Jesu. Presbyteris praefectis privilegium altaris ter in hebdomada datur 412 (1879 19 Julii).

— Nomen. Confrat. SS. Nominis Jesu. Facultas eam erigendi cum indulgentiis archiconfraternitati datis 156. (1748 5 Maji); cf. Summ. 33 et supplem. pag. 659. — Festum SS. Nom. Jesu: plenaria indulgentia pro ditione Austriaca 41. (1722 11 Maji).

— Pretios. Sanguis. Sodalitas ejus nominis accipit communicationem bonorum operum cum omnibus relig. Ordinibus, et indulgentiam plenar. in festo B. M. V. Aux. Christian. vel infra ejus octavam 376. (1852 30 Sept.) Cfr. Summar. 49.

Ignatius S. de Loyola. Visitantibus ecclesias Soc. J. in singulis ex decem Dominicis in honorem S. Ignatii celebratis plenaria indulg. conceditur 242. (1767 27 Jan.) — idem conceditur incolis monasterii S. Marthae in Urbe visitantibus suam ecclesiam 249. (1767 23 Junii).

— Ejus oratio „*Suscipe*" donatur indulgentia 436. (1883 26 Maji).

Impediti v. **Infirmi**, *notam;* cfr. etiam **Tertiarii.**

Indulgentiae. Cautio ne apocryphae vel dubiae circumferantur 172. (1750 8 Aug.) causa indulgentiarum aliquando, sed raro sumitur a merito et nobilitate petentis 348. (1831 15 Julii).

— Apostolicae, elenchus Summ. 1.

Cfr. **Communicatio, Extensio.**

Infantia S., — Pia Unio ab Infantia Jesu vocata v. sub voce „Jesus".

Infirmi cujuscumque Confraternitatis seu Sodalitii — si modo Ordinarii auctoritate erecta est — impediti, quominus ecclesiam visitent, commutationem accipere possunt 207. (1760 2 Aug.) [1] — Idem expresse Ordini Cisterciens. conceditur 211. (1763 1 Martii); Ord. Visitat. 365. (1847 4 Maji). — Carmelitar. excalc. Ordini concessum erat, ut infirmi, si nequeant in ecclesia, in suo cubiculo preces recitare possint 118. (1741 7 Martii). — Infirmis propter visitationem sacelli cujusdam nosocomii indulgentiae plures conceduntur 307. (1776 28 Febr.)

— Confraternitati infirmis in incurabilium hospitali inservientium multae conceduntur indulgentiae 25. (1716 28 Jan.)

— Infirmis ministrantium Ordo S. Camilli de Lellis v. Summ. 76. — Archiconfrati hujus Ordinis cfr. Summ. 75.

---

[1]) Postea (v. Decr. 393 U. et O. 18 Sept. 1862) concessum est, ut, qui habitualiter domi detinentur physico aliquo impedimento, — nisi vivant in communitate, — commutationem non tantum ecclesiae visitandae, sed etiam S. Communionis sumendae a suo confessario accipere possint.

Joannes Bapt. S. Confraternitati ejus nominis in festo nominis B. M. V. et diebus praeviis indulgentia conceditur 273. (1768 9 Aug.)
Joannes Cantius S. In ejus festo visitationi ecclesiarum ei dedicatarum plenaria indulg. adnectitur 263. (1768 17 Maji).
Joannes de Deo S. Hospitalibus illius Ordinis indulgentiae conceduntur 197. (1755 19 Julii). Indulg. Ordinis v. Summ. 14.
Joannes Nepomuc. S. Confoederationi ejus nominis in *Stalka* indulgentiae in perpetuum conceduntur 239. (1766 2 Sept.) — extenduntur ad aliam Confoederationem 246. (1767 16 Julii).
Joseph S., nutritius D. N. In una ex novem feriis IV. ante ejus festum in ecclesiis Carmelitarum fideles indulgentiam plenar. lucrari possunt 224. (1765 21 Maji) — idque etiam in ecclesiis Monialium 241. (1766 2 Dec.), 243. (1767 17 Febr.) Lucrari possunt plenar. indulg. in ejus festo vel infra octavam (in provincia Hispan.) 226 (1765 5 Junii).
— Preces in ejus honorem indulgentiis ditatae: „*Potentissime Patriarcha*“ 420. (1882 4 Martii), — jaculatoria oratio „*Fac nos*“ etc. 422. (1882 18 Martii) — preces pro obtinenda bona morte et pro agonizantibus 451. (1884 17 Maji).
— Archisodalitas S. Jos. v. Summar. 54.
Junius mensis, SS. Cordi Jesu consecratus, indulgentiis donatur 409. (1873 8 Maji).

L.

Labre S. Benedictus Josephus, oratio in ejus honorem 419. (1882 21 Jan.)
Lateranensis ecclesia. Indulgentiae ei et aliis, per incorporationem cum ea, annexae, v. Summ. 6.
Laurentii B. eremum ob S. Benedicti commorationem celeberrimum partiali indulgentia donatur 355. (1834 28 Febr.)
Lauretanae aedes. Indulgentiae ecclesiarum, quae aedibus Laur. aggregatae sunt v. Summ. 9.
Lauretanae litaniae. Indulgentiae annexae extenduntur ad 300 dies 334. (1817 30 Sept.)
Leoninae civitati in Urbe propter ecclesiae visitationem in certis festis indulgentiae dantur 276. (1768 20 Sept.)
Libri. Pia Unio ad bonos libros divulgandos dioec. Burdig. v. Summ. 68. — Aliam P. Un. dioec. Imol. v. Summ. 69.

M.

Macrina S. In ejus festo ecclesiis Ordinis S. Basilii indulgentia plenaria adnectitur 75 et 76. (1731 19 Maji et 4 Oct.)
Maria B. V. Congregatio Prima Primaria: Indulgentiae ei concessae applicabiles fiunt defunctis 160. (1748 7 Dec.) Cfr. Summar. 46.
— Filiarum Mariae Sodalitati Aquensi conceduntur complures indulgentiae 162. (1749 7 Maji). Cfr. Summ. 51.
— Confraternitatis S. Amoris B. M. V. Auxiliatricis erigendae facultas datur pro regno Lusitaniae 353. (1833 26 Jan.) Cfr. Summ. 55.
— Archiconfratern. B. M. V. Angelorum Dominae v. Summ. 50.
— Archiconfratern. B. M. V. in coelum assumptae et ad juvandas animas defunctorum (Romae in ecclesia C. SS. Red.) v. Summ. 48.
— Confraternitas B. M. V. de Monte Carmelo a PP. Carmelitis dirigi debet, quum primum in illo loco subsistant 208. (1760 20 Sept.) Cfr. Summ. 34, et voc. „Scapulare“.
— Sodalitas Conceptionis Immacul. B. M. V. in Urbe in „*Ara coeli*“ habet indulgentias Sodalitatis scap. caerulei 393. (1854 20 Nov.) Cfr. Summ. 58 et voc. „Scapulare“. — Congregatio ejusdem nominis in Lyceo Pontificio v. Summ. 43. — Item Archiconfr. SS. Conceptionis in ecclesia SS. Laurent. et Damasi Romae v. Summ. 32.

Maria B. V. Confraternitas Boni Consilii. Eam erigendi facultas Ordini Eremit. S. Aug. conceditur 216. (1764 7 Aug.) Cfr. Summ. 59.
— Archisodalitas B. M. V. (Dominae N.) a Sacro Corde Jesu (Exsoldunensis): ejus jura determinantur 411. (1879 26 Apr.) Cfr. Summ. 53.
— Archisodalitas cultus perpetui Ss. Cordis Mariae: eam erigendi, aggregandi et indulgentia plenaria quolibet mense donandi facultas datur 360. (1838 3 Aug.)
— Sodalitas sub nomine S. Cordis B. M. V. in ecclesia S. Eustachii Romae v. Summ. 61.
— Confraternitas Septem Dolorum: facultas erigendi cum indulgentiis etiam extra Ordinem Servorum B. Mar. V. conceditur 335. (1819 16 Martii.) Cfr. Summ. 80. — Archiconfr. B. Mariae V. dolorosae et animarum in purgatorio cfr. Summ. 28.
— Confratern. Notre Dame de Moutuset v. Summar. 38.
— Confraternitas S. Rosarii: sanatio et facultas benedicendi coronas 368. (1850 1 Martii) cfr. 354. (1834 17 Febr.)
— indulgentiae concessae generali decreto confirmantur et ubertim augentur 373. (1851 12 Martii). Cfr. Summ. 21.
— *Ecclesiae* B. M. V., indulgentiis ditatae: Aedes Lauretanae v. „Lauretanae".
Basilica S. Mariae ad Martyres v. Summ. 7.
Basilica S. Mariae trans Tiberim v. Summ. 8.
Ecclesia S. Mariae de Galliera, Bononiae (Oratorii S. Philippi Neri) v. Summ. 12.
— *Festa:* Indulgentiae pro festo B. M. V. de Monte Carmelo ad totam octavam extenduntur 28. (1716 28 Jan.)
— Fest. immacul. Concept. vel octava in ecclesiis Conventualium plenaria indulg. honoratur 210. (1762 30 Nov.)
— item devotio novend. ante illud festum 215. (1764 10 Apr.)
Jejunium in honorem immac. Concept. plen. indulgentia donatur 77. (1731 4 Oct.)
Jubilaeum 25. anni post immac. Conc. dogmatizationem 415. (1879 20 Sept.)
Septem dolores B. M. V. meditantibus indulgentia temporanea conceditur 109. (1736 22 Febr.) — Processio in honorem 7 Dolorum habet indulg. 157. 158. 159. (1748 3 Aug.)
Festum S. Nominis Mariae pro ditione Austriaca decoratum est plenaria indulg. 41. (1722 11 Maji).
— *Ordines* sub titulo B. M. V.: de Merc. Red. captiv. Conceduntur indulgentiae, quae aliis ordinibus pro Missionibus sint concessae 181. (1751 20 Julii); — ejus ecclesiis pro die 17 Apr. plenaria indulg. adnectitur 326. (1785 12 Nov.); — facultas absolutionis gener. ad illum diem extenditur 327. (1786 4 Febr.) Cfr. Summ. 36.
Ordo Servorum B. M. V. Variae indulgentiae concessae 204. (1757 22 Sept.) — Superiores semel in anno populo dare possunt benedictionem Papalem 149. (1747 12 Apr.); — bis in anno suis Tertiariis 431. (1882 16 Dec.) Cfr. Summ. 78. 79. 81.
Servarum Mariae, Congregatio in subsidium pauperum ancillarum periclitantium — indulgentiae ei concessae 439. (1883 26 Maji).
— *Preces* cum indulgentiis. In honorem immac. Concept. „*Domine omnipotens*" 413. (1879 19 Julii); „*Tibi, Virgo Mater*" 414. (1879 19 Jul.); orat. jaculatoria 450. (1884 15 Martii). — Ad B. M. V. Boni Consilii „*Gloriosissima Virgo*" 418. (1880 23 Nov.) — Pro sacerdotibus ante Missam „*O Mater pietatis*" 432. (1883 17 Febr.) — „*Magnificat*" 416. (1879 20 Sept.) — Ad studia B. M. V. commendanda „*Sub patrocinio* tuo" 425. (1882 18 Nov.)
Mariatrost. Ecclesiae ejus loci adnectitur plenaria indulgentia, ejusque parocho datur potestas impertiendi benedictionem Papalem 205. (1758 30 Julii).
Matthaeus S. Ap.: ejus festum pro dioecesi Tusculana plenaria indulg. donatur 287. (1769 5 Sept.)
Michael S. Arch. Singulis mensibus lucrari possunt plenar. indulgentiam, qui in illius honorem devotioni in ecclesiis Cleric. Minor. interfuerint 314. (1778 2 Maji).

Michael S. Arch., ecclesia ejus nomine dicata indulgentia ditatur 90. (1733 19 Maji). — Confraternitati S. Mich. Monachii erectae consuetae conceduntur indulgentiae 43. (1722 31 Aug.)

Milites. Sodalitas pro spirituali militum cura: indulgentiae 372. (1851 12 Maji) et 389. (1854 8 Maji).

Minores (S. Fr. Assis.) de Observantia: ecclesiis Ordinis conceditur plenaria indulgentia pro die 27 Nov., festo omnium SS. illius Ordinis 231. (1765 3 Sept.)

Ecclesiis provinciae Seraphicae idem conceditur pro 7 Februarii 299. (1770 4 Sept.)

Ecclesiae Conventus Pulchri Montis idem conceditur pro die 14 Dec. 128. (1741 25 Nov.)

Missionarii. — eximuntur quidam a necessitate confitendi, si confessarius desit 100. (1734 20 Sept.) — cf. 70. (1729 19 Sept.)

— pro educandis Missionariis, Sodalitas indulgentiis donatur 435. (1883 26 Maji.)

Missiones. Confessio, quae tempore Missionis PP. Soc. Jes. instituitur, deservit pro omnibus indulgentiis occurrentibus 449. (1884 15 Martii).

Iis, qui Missionibus quibusdam intersunt, conceditur facultas applicandi indulgentias defunctis 52. (1726 6 Aug.) — Qui per tres dies frequentaverint Missiones vel exercitia PP. Congr. Oblatorum, plenariam indulgentiam lucrari possunt 284. (1769 13 Junii). — Idem conceditur iis, qui saltem quater interfuerint Missionibus PP. Soc. Jesu 341. (1826 12 Apr.) 423. — Item qui saepius visitaverint crucem Miss. *(ibid.)* — qui benedictioni crucis in fine Missionis interfuerint, indulgentiam 300 dierum lucrantur 423. (1882 22 Apr.) — Cruces Missionum a PP. Congr. SS. Redemptoris benedictae indulgentia donantur 359. (1837 24 Nov.) — PP. Soc. J. Missionariis facultas temporanea datur benedicendi cruces etc. cum indulgentiis Apostolicis etc. 345. (1826 12 Apr.) — Localis et personalis concessionis specialis exemplum 378. (1853 31 Jan.), 391. (1854 18 Aug.)

Congregationi Missionis datur in suffragium defunctorum sodalium privilegium altaris et plenar. indulgentia S. Communioni adnexa 227. (1765 20 Junii).

Moniales, quae perfectam clausuram non servant, ex se non fruuntur indulgentiis Ordinis, cujus institutum sequuntur 180. (1751 20 Julii), 186. (1752 15 Febr.)

— verum consueverunt tali instituto etiam indulgentiae concedi 385. (1853 19 Dec.)

— in ecclesia Monialium *regulariter* pro solis Monialibus conceditur indulgentia 83. (1732 27 Maji): quamquam *multae* factae sunt exceptiones 80. (1731 10 Dec.), 311. (1777 15 Martii.)

— earum oratorium per se ne pro ipsis quidem monasterii incolis illis indulgentiis fruitur, quibus ecclesia conventus ejusdem civitatis 3. (1710 22 Dec.) — pro Monialibus tamen donatur facile variis indulgentiis 362. (1843 21 Junii).

Mors. Confraternitas Bonae Mortis. Ejus commendatio et facultas eam iterum erigendi 319. (1781 20 Sept.) — antea prohibebatur aggregatio cum indulgentiarum communicatione, si Confraternitas existebat extra ecclesias Soc. J. 40. (1722 14 Apr.) — Generali Soc. J. ejusve Vicario datur facultas Confraternitates Bonae Mortis Primariae Urbis aggregandi 338. (1821 6 Febr.) Cfr. Summ. 77.

Archiconfrat. Mortis et Orationis v. Summ. 26.

Exercitium bonae mortis: indulgentiae annexae 7. (1711 24 Aug.) — per se instituitur sub directione PP. Soc. Jes. 60. (1727 20 Maji).

N.

Navigantes. Exemplum concessarum indulgentiarum pro tempore navigationis 240. (1766 25 Nov.) — Nav. sub cura Sodalitatis S. Raphaelis Arch. indulgentiam plenariam lucrari possunt uno ex 5 diebus ante profectionem 433. (1883 17 Febr.)

Negotia catholica: Societas negotiis cathol. promovendis instituta (contra violationem festorum et feriae VI. hebdomadae sacrae) — indulgentiae concessae 428. (1873 21 Julii).

Nomen Dei, Jesu, Mariae vide sub voc. Deus, Jesus, Maria.

Novendialis devotio pro defunctis 382. (1853 11 Julii) — ante festum Immac. Concept. in ecclesiis Franciscanorum 215. (1764 10 Apr.)

Numismata benedicendi facultas cum applicatione indulgentiarum in fine Missionis 320. (1781 24 Nov.) v. **Missiones.**

— S. Benedicti. Elenchus indulgentiarum 199. (1756 3 Apr.) Cfr. Summ. 4.

— Notre Dame de Moutuset v. Summ. 38.

O.

Olivetani Monachi. Sacellum B. Fundatoris compluribus honoratur indulgentiis 309. (1776 20 Apr.)

Oratio mentalis: indulgentia ei adnexa 101. (1735 5 Febr.)

Oratio post officium divinum specialis cum indulg. approbatur pro Cisterciensib. 395. (1858 31 Julii).

Oratorium, in quo officia divina pro populo habentur, quoad visitationem ecclesiae ad indulgentias lucrandas aequiparatum ecclesiae 176. (1751 3 Apr.), 183. (1752 15 Jan.), 191. (1752 28 Aug.)

— imo etiam principaliter donari potest indulgentiis, praecipue quando aliae ecclesiae desunt 388. (1854 5 Maji).

— *rurale* pro religiosis in speciali casu iisdem indulgentiis instruitur, atque eorum ecclesia 278. (1768 16 Nov.)

— *privatum* ut pro lucrandis indulgentiis aptum censeatur, relinquitur judicio Ordinarii 380. (1853 9 Maji).

Oratorium nocturnum Urbis (Pia Unio). Ejus praefecto conceditur facultas aggregandi alias Uniones cum indulgentiarum communicatione 346. (1830 10 Martii). Cfr. Summ. 37.

Ordines religiosi. Festa eorum Sanctorum locali indulgentia non difficulter donantur 17. (1713 25 Sept.) — si modo inveniuntur in Martyrologio Romano 66. (1729 22 Jan.)

P.

Papales indulgentiae coronis, crucibus, numismatibus etc. annexae Summ. 1.

Pastoris Boni Confraternitas. Adscriptis facultas datur in casu legitimi impedimenti pro ecclesia Confraternitatis visitanda substituendi *quamlibet* ecclesiam 337. (1820 21 Martii).

— indulgentiae extenduntur *(ibid).*

Paula S. In ejus festo ecclesiae Monach. Eremitar. S. Hieronymi in Lombardia indulgentia plenaria fruuntur 46. (1723 16 Sept.)

Paulus S. Ap. v. **Petrus.**

Pacis Sodalitium. Dubia de potestate illud erigendi 173. (1750 23 Nov.)

Peregrinus Latiosus S. In ejus festo ecclesiae Servorum Mariae decoratae sunt indulgentia 62. (1727 4 Oct.)

Petrus et Paulus SS. App. Plenaria indulgentia in eorum festo statuitur pro ditione Pontificia 244. (1767 28 Apr.) — quae alicubi extenditur ad Dominicam infra octavam 247. (1767 19 Junii).

Ecclesia SS. Ap. Petri et Pauli (pontificii et regalis hospitalis) Matriti v. Summ. 11. Archiconfrat. Vinculorum S. Petri v. Summ. 42.

Pleudaniel ecclesia succursalis pluribus donatur indulgentiis 356. (1835 30 Maji).

Poenitentiarius. Ejus virgae tactum devote recipientibus indulgentia 20 dierum conceditur 188. (1752 10 Maji), 280. (1768 13 Dec.)

Portiunculae indulgentia acquiri potest etiam in ecclesiis Monialium S. Clarae 122. (1741 23 Sept.) — concessio specialis etiam erga ecclesiam aliquam Sodalitii tertii Ordinis S. Franc. 194. (1755 9 Apr.)

Praemonstratensium Ordo. Elenchus Sanctorum, in quorum festis plenaria indulgentia concessa est 65. (1728 19 Junii).

Praxedis S. ecclesia. Aboleri jubetur inscriptio „indulgentiae trium millium annorum“: quae indulgentia commutatur in indulgentiam plenariam quotidianam semel in anno acquirendam 305. (1775 23 Sept.)

Propagatio fidei. Elenchus indulgentiarum huic piae Societati annexarum 366. (1847 17 Oct.), 371. (1850 10 Sept.)
— vere pauperes eleemosyna satisfaciunt 374. (1851 5 Aug.) — preces praescriptas quocumque idiomate recitari posse, declaratum est 1860 13 Maji. n. 400.

R.

Raphael S. Archang. Qui sub directione Piae Unionis ejus nomine institutae profectionem instituunt, possunt una ex 5 diebus ante navigationem plenaria indulgentia frui 433. (1883 17 Febr.) — Indulgentiae, quae Unioni Moguntinae datae sunt, conceduntur etiam Americanae 445. (1883 15 Dec.)
Recollecti Minor. Ordinis ecclesiae, etiamsi evaserunt ecclesiae Missionariorum, conceditur ad tempus indulgentia plenaria in festis praecipuorum Sanctorum Ordinis 26. (1716 28 Jan.)
Redemptio captivorum, Ordo hujus nominis v. sub voce „Maria".
Reliquiae alicujus ecclesiae a parocho donari nequeunt: restituendae sunt ecclesiae 2. (1710 17 Nov.) — ut pars e Reliquiis ad certam ecclesiam pertinentibus extrahi possit, S. Congr. remittit ad S. Pontificem. 48. (1724 13 Julii).
— Exemplum singulare complurium indulgentiarum ratione Reliquiarum 167. (1749 28 Sept.)
Reliquiis recondendis et aperiendis summa cura impenditur 34. (1719 8 Aug.)
Rosarium. Indulgentiae, quae Rosariis per PP. Ord. Praed. benedictis sunt annexae 51. (1726 13 Apr.) et 373. (1851 12. Maji.)
— In festo Rosarii indulgentiae, quae concessae sunt visitantibus sacellum B. M. V. de Rosario, extenduntur ad visitantes imaginem ejusdem mysterii in ecclesia expositam 404. (1866 25 Jan.)
Cfr. Confraternitas S. Rosarii sub voce „Maria".

S.

Sacramentum SS. Adoratio SS. — pro Clericis regul. Minor. conceditur semel in mense plenaria indulgentia 316. (1779 22 Aug.) — Cfr. Adoratio perpetua.
— Confraternitas Ss. Sacram. — Indulgentiae et gratiae concessae 165. (1749 11 Aug.), 381. (1853 13 Junii). — Cf. 437. (1883 26 Maji).
Cfr. Summ. 22. — Aliam Archiconfrat. sub invocatione SS. Sacr. etc. in ecclesia Ss. Tryphon. Respic. et Nymphae MM. v. Summ. 31.
— Expositio quaedam XL horarum, indulgentiis ditatur 55. (1727 28 Jan.) cfr. 4. (1711 19 Jan.), 31. (1716 6 Julii), 42. (1722 11 Maji), 44. (1722 14 Dec.)
Pro expositione minus solemni non placuit generalem regulam statuere 6. (1711 23 Martii); — pro singulis casibus indulgentiae datae sunt 13. (1712 18 Apr.); sed moderate 83. (1732 27 Maji) — verum postea etiam plenaria indulgentia quibusdam concessa est 84. (1732 1 Sept.)
— Expositio diebus antecineralibus, sive triduo in hebd. Septuag., sive Sexag., sive Quinq., sive sola Fer. V. post Sexag., donatur plenaria indulgentia in quibuscunque ecclesiis 229. (1765 23 Julii).
— Expositio quaedam reparatrix indulgentiam plenar., vel part. 10 annorum habet 438. (1883 26 Maji).
Ss. Sacramentum visitantes re aut mente ob peculiares rationes (in Persia) acquirunt indulgentias 107. (1736 4 Febr.)
Sanguis pretiosiss., Sodalitas v. sub voce „Jesus".
Scala sancta in Urbe existens. Indulgentiae pro visitatione annexae 333. (1817 2 Sept.) — etiam aliae ad imitationem verae Scalae sanctae erectae quandoque indulgentiis, etiam plenariis ditatae 11. (1712 25 Jan.), 14. (1712 22 Aug.), 16. (1713 25 Sept.)
— item noviter erecta Scala sancta, non plus quam 20 milliaribus ab altera distans iisdem indulgentiis donatur 78. (1731 4 Oct.)
Scapulare de Monte Carmelo v. Summ. 34.

Scapulare caeruleum immac. Concept. — denegatur extensio quaedam indulgentiarum 32. (1717 12 Jan.) Cfr. Summarium n. 57.
— **B. M. V. Dolorosae** v. Summ. 80.
— **B. M. V. de Mercede** v. Summ. 36.
— **rubrum Passionis D. N. J. Ch.** — indulgentiae concessae 369. (1850 19 Julii et 13 Sept.)
— **nigrum crucis et passionis** v. Summ. 56.
— **SS. Trinitatis** v. Summ. 35. — Indulgentiae non subsistunt, si loco scapularis gestatur panniculus vesti insutus 29. (1716 28 Apr.) [Idem dic de ceteris scapularibus.]
— **Scapularia quatuor sub una forma danda:** a quibus haec facultas, ut subsistat, accipi debuerit, et quomodo sit exercenda 444. (1883 12 Sept.)
— **Scapulare sic dictum SS. Cordis Jesu:** indulgentia pro gestantibus 427. (1872 28 Oct.)
Schola nocturna Romae v. Summ. 66.
Servi B. Mariae V. v. sub voce „B. Maria V." **Ordo Servorum B. M. V.**
Severinus S. Ejus ecclesia Coloniae indulgentiis ditatur. 8. (1711 16 Nov.)
Sindon S. Capellam S. Sindonis visitantibus conceditur indulgentia 152. (1747 26 Aug.)
Societas Jesu v. Summ. 74. Cfr. „Ignatius" et „Missiones".
Sodalitas, Sodalitium cfr. **Confraternitas.**
Solemnitas extraordinaria e. g. Canonizationis, Beatificationis etc. solet pro causa haberi concedendi plenariam indulgentiam 251. (1767 4 Aug.), 302. (1771 17 Sept.), 328. (1787 26 Martii), 330. (1806 24 Sept.): cfr. **Canonizatio, Beatificatio.**
Spiritus Sanctus, Archisodalitas perpetuae adorationis Sp. S. v. Summ. 47.
Stationes Urbis. Determinantur indulgentiae 313. (1777 9 Julii) — earum indulgentiarum communicatio sanatur pro certa ecclesia 106. (1736 4 Febr.)
Stationes Viae Crucis v. „Via Crucis".
Sulpitii S. Societas v. Summar. 17.

T.

Tabula annuntians indulgentias per modum jubilaei perpetui prohibetur 33. (1717 12 Jan.)
Tertiarii. Congregatio tertii Ordinis ut subsistat sub aliorum directione, quam Patrum primi Ordinis, speciali facultate opus est. 397. (1859 24 Jan.)
— **Ord. S. Fr. Assis.** Indultum indulgentiarum 154. (1748 2 Martii) substitutio ecclesiae parochialis pro Franciscana quoad acquirendas indulgentias denegatur 47. (1724 13 Julii). Cfr. Summ. 73.
— **S. Fr. de Paula.** Impeditis datur facultas, ut ad lucrandas indulgentias Ordinis pro *quibuslibet* operibus praescriptis commutationem a confessariis suis accipiant 339. (1824 4 Aug.) Cfr. Summ. 16.
— **Ordinis Servorum B. M. V.** v. Summ. n. 79.
Theatini. Ordini conceditur ad tempus plenaria indulg. singulis mensibus pro expositione SS. Sacramenti 84. (1732 1 Sept.)
— eorum ecclesiis adnectitur plenaria indulg. pro die 13 Dec. 223. (1765 30 Apr.); pro festo S. Andreae Avell. 257. (1767 17 Nov.)
Thomas S. Aquinas. Ejus oratio „*Concede nobis*" ad profectum studiorum indulgentia donatur 430. (1879 21 Julii); item ejus oratio ad idem „*Creator ineffabilis*" 417. (1880 21 Febr.)
Titulus ecclesiae. Si titulus mutatur, indulgentia priori titulari festo concessa non manet 179. (1751 20 Julii).
Translatio indulgentiarum cum festo 145. (1747 21 Jan.), 279. (1768 29 Nov.), 294. (1770 16 Jan.), 298. (1770 4 Sept.), 315. (1778 20 Julii) — quamquam antea denegabatur aliquoties 79. (1731 4 Oct.), 97. (1733 16 Nov.) — cum processione Confrat. SS. Rosarii 151. (1747 26 Aug.);
— ab una die Dominica in aliam magis expeditam 370. (1850 26 Aug.);

Translatio ab aliqua ecclesia in oratorium internum Monialium tempore restaurationis ecclesiae 390. (1854 28 Julii).

Trinitatis SS. Archiconfraternitas Peregr. etc. Ejus ecclesiae compluribus donantur indulgentiis 324 et 325. (1784 11 Dec.) Cfr. Summ. 25.

— Confrat. SS. Trin. red. captiv. Summ. 35.
Confraternitatis erigendae facultas extenditur ad commissarium Ordinis 213. (1763 10 Maji).

— Ordo. Ejus ecclesiis annectitur plenar. indulg. pro die 28 Sept. 254. (1767 1 Sept.) — enumeratio indulgentiarum pro variis pietatis exercitiis FF. discalc. concessarum 282. (1769 17 Jan.)

— Statua SS. Tr. indulgentia decoratur 275. (1768 20 Sept.)

— Scapulare v. sub voce „Scapulare".

U.

Ubaldus S. Ejus festo in civitate Eugubina ad tempus indulgentia plen. conceditur 86. (1732 1 Sept.) — Altare, ejus nomine dedicatum, privilegiatum in Ordin. S. Aug. 222. (1765 12 Mart.) 262. (1768 17 Maji.)

Ursulinae Moniales. Indulgentiae concessae 217. (1764 18 Sept.), 219. (1764 25 Nov.), 270. (1768 2 Aug.) cfr. 281. (1769 10 Jan.) extensio omnium indulgentiarum Monialibus Urs. in Urbe concessarum ad omnia ejusdem Instituti monasteria 308. (1776 23 Martii) — extensio indulg. ad exteras puellas, quas educandas habent 221. (1765 22 Jan.) — translatio indulgentiae antea pro die 31 Maji concessae 315. (1778 20 Junii).

V.

Vaticana Basilica. Indulgentiae, quae per aggregationem ad eam ecclesiis vel altaribus donantur v. Summ. 5.

Via Crucis. Non conceduntur indulgentiae nisi consuetis 14 stationibus 88. (1732 15 Nov.)

— Non constat, indulgentias pluries in die acquiri posse 443 (1883 10 Sept.)

— facultas erigendi 112. (1737 13 Sept.) — privilegium erigendi reservatur per se Franciscanis de Observantia 187. (1752 17 Apr.) — Erectio in sacellis domesticis conceditur pro Congregatione Passionis D. N. 321. (1783 17 Maji): item pro sola familia privilegiata 387. (1854 13 Martii) — ut fiat in dormitorio Monasterii, remittitur judicio R. Generalis Ord. Minorum de Obs. 375. (1852 15 Martii) — laudabiliter erigitur in porticu ecclesiae, si alioquin perturbatio timetur 209. (1741 24 Febr.) — Facultas quoad locum, in quo erigi possit, determinatur 448. (1884 15 Martii.) — Sanatio invalidae erectionis 166. (1749 13 Sept.); — ad cautelam 322. (1783 19 Julii), 209. (1761 24 Febr.) — sanatio generalis (die 31 Julii 1883) 442.

— in certis dioecesibus conceditur, ut tum in publico, tum in privato exercitio fideles in loco suo consistere possint, facto tantum aliquo motu corporali: at cum clausula *„ne afferatur in exemplum"* 407. (1868 10 Martii).

— Crucifixus cum indulgentiis Viae Crucis: exemplum facultatis benedicendi ejusmodi crucifixos 352. (1832 24 Sept.) — concessio indulgentiarum pro tota communitate orante, si *unus* tenet crucifixum 447. (1884 19 Jan.)

Virtuosi, Congregatio dei Virtuosi v. Summ. 44.

Virtutes theologicae. Earum exercitium gaudet indulgentiis a Bened. XIII. concessis, sed non novis 105. (1735 30 Julii).

Visitatio ecclesiae, quae in festo praescribitur ad indulgentias acquirendas, communiter sufficit *semel facta*, etsi indulgentia ad plures dies extenditur 198. (1756 19 Jan. — pro impeditis saepe conceditur commutatio: cfr. **Commutatio, Infirmi.**

a Visitatione B. M. V., Moniales. Indulgentiae iis concessae extenduntur ad alias personas in earum asceteriis degentes, atque augentur 365. (1847 4 Maji). Cfr. Summ. 19.

Corrigenda.

Pag. 19 lin. 15: 30 Martii — lege 28 Aprilis.
„ 20 „ 4: „ „ — „ „ „
„ 56 „ 20: Nicosium — „ Nicolium.
„ 60 „ 13 lege: Viennen. in Delphinatu. Ad....
„ 67 „ 2 et 4 ab infra — subinde, et subscribunt — lege subinde: subscribunt:
„ 96 „ 12: ejusdem lege eisdem.
„ 104 „ 12: Termeback — lege Thennenbach.
„ 127 „ 3: 1603 — lege 1604.
„ 145 in nota: num. 185 — lege num. 186.
„ 170 lin. 2 et 28: 20 Julii — lege 30 Julii.
„ 214 „ 11 ab infra: Lethrniz — lege Lessnitz.
„ 217 „ 11 et 18 ab infra: Martii — lege Maji.
„ 278 „ 9 ab infra: propria — lege propriae.
„ 285 in nota lin. 2 ante verbum lucranda inserenda sunt haec: ex Rescripto Secretariae Brevium diei 21 Martii 1848 ab iis, qui dictum scapulare induunt, lucranda...
„ 286 lin. 11 ab infra: sudivisio — lege subdivisio.
„ 309 lin. 9 ab infra: 1689 — lege 1669.
„ 348 „ 17 „ „ : 5 Junii — lege 4 Junii.
„ 370 „ 10: Julii — lege Junii.
„ 423 „ 16: 1831 — lege 1851.
„ 457 „ 21: 28. — lege 29.
„ 461 nota ita est legenda: Indulgentia 100 dierum et plenaria jam ad omnes Christifideles extensae sunt per Decretum S. Congr. Indulg. d. d. 11 Julii 1815. Vide librum, cui titulus: Raccolta, ed. Romae 1877, pag. 14.

In gleichem Verlage sind erschienen und können durch alle Buchhandlungen bezogen werden:

Der **I. Band** gegenwärtiger Rescripta unter dem Titel:

Decreta Authentica Sacræ Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ ab anno 1668 ad annum 1882, edita jussu et auctoritate sanctissimi D. N. Leonis PP. XIII. 1882. Gr. 8°. 620 S. 6 ℳ.

Diese Ausgabe der Decreta S. C. Indulgentiarum ist die einzige officielle, im Auftrage des hl. Vaters veranstaltete und mit dessen Approbation versehene Sammlung; die von Prinzivalli war nur eine Privatarbeit. Weit über 100 Decrete aus älterer und neuerer Zeit, welche bisher noch nicht veröffentlicht waren, wurden aufgenommen. Alle Decrete wurden vor der Drucklegung sorgfältig mit den Originalien des Archivs der S. C. Indulg. verglichen. Die in den Originalien vorkommenden italienischen Stellen wurden in getreuer lateinischer Uebersetzung gegeben. Bei Decreten, welche durch spätere Entscheidungen abgeändert wurden, ist dieses in Fussnoten angegeben. Die wichtigeren der in den Decreten erwähnten Documente sind in einem Appendix beigegeben. In einem sehr ausführlichen alphabetisch geordneten Sachregister findet der Leser in kurzen klaren Sätzen mit den eigenen Worten der Decrete Alles, was die S. C. Indulg. über die einzelnen vor ihr Forum gehörigen Sachen bis dahin erklärt und entschieden hat. Ein chronologisches Verzeichniss der Decrete nebst kurzer Inhaltsangabe, sowie ein alphabetisches Verzeichniss derjenigen Orte und Stellen, von denen die Anfragen und Vorlagen ausgingen, erleichtern das Auffinden.

Balan, P., Praelatus Domesticus S. S., **Documenta Reformationis Lutheri,** ejusque Reformationis historiam illustrantia. Ex tabulariis S. Sedis secretis collegit, ordinavit, edidit. 1884. 8°. 616 p. 10 ℳ.

Diese Sammlung enthält 266 Urkunden und umfasst den Zeitraum von 1520 bis 1526, so zwar, dass auf das verhängnissvolle Jahr 1521 nicht weniger als 122 Nummern entfallen. Balan eröffnet seine Publication mit einer Einleitung, in welcher die Bedeutung der wichtigsten Urkunden gebührend erläutert wird. Von ganz besonderer Bedeutung sind die Aleander-Briefe, von Balan einer durch Aleander eigenhändig zusammengestellten und revidirten Sammlung entnommen. Der Name Aleander, schreibt Bellesheim im „Literar. Handw.“, führt uns gleich in medias res, da seine Correspondenz mit dem Vicekanzler Giulio de Medici während der sturmbewegten Zeit des Reichstages zu Worms (1521) des ganzen Werkes Kern und Stern bildet. Schwere Klagen tönen aus Aleanders's Briefen über Erasmus entgegen. Er nennt ihn „fomes omnium malorum“ und wirft ihm vor, er habe in Köln Nachts die Kurfürsten nachtheilig beeinflusst und die Bulle Leo's gegen Luther als unecht bezeichnet (97). Ausserordentlich schmerzt ihn ferner die Thatsache, dass man Erasmus in Rom so viel unverdientes Vertrauen schenkte — ein Vorwurf, der gegen Leo X. nicht mit Unrecht erhoben wird (XVII). Zur Ehrenrettung des Letzteren hat Balan an der Spitze der Sammlung den echten Brief dieses Papstes an den Kurfürsten Friedrich vom 8. Juli 1520 gestellt. Dieser weicht von dem in Luther's Werken befindlichen Text bedeutend ab und gereicht der Freimüthigkeit und Hirtensorgfalt Leo's zu grosser Ehre. Dasselbe trifft zu bei der von Balan (120) gelieferten Textesrecension des vom Kaiser an Luther ergangenen Einladungsschreibens zum Reichstage. Der gewöhnliche Text in Luther's Werken enthält die Worte: „scrutinium abs te sumere“, welche in den Acta Wormat. (fol. 110) des vaticanischen Archivs fehlen; wodurch also eine eigentliche Discussion mit Luther ausgeschlossen ist. Als Documente von grosser Bedeutung hebt ferner Bellesheim noch hervor das Schreiben der Hochschule zu Wien in Sachen Luther's, Aleander's Briefe an Eck, des Letztern kurze Darlegung der Gräuel des Bauernkrieges, ferner das heuchlerische Schreiben des Schwedenkönigs Gustav Wasa an Hadrian VI. und eine reiche Zahl von Briefen, welche den Hochmeister des deutschen Ordens und seinen Abfall vom alten Glauben betreffen, besonders den Brief des Legaten Campegi an Sadolet vom 17. November 1524 über seine Unterredung mit dem Hochmeister in Wien. *Die Balan'sche Sammlung ist das Ergebniss einer ungemein umfangreichen und fleissigen Arbeit und bildet eine wahre Fundgrube von Detailmaterial nicht nur kirchengeschichtlichen, sondern auch literärgeschichtlichen und culturgeschichtlichen Inhalts.*

Bartolini, Dom., S. R. E. Card., **di S. Zaccaria Papa** e degli anni del suo Pontificato. Commentarii storico-critici raccolti ed esposti. Pracht-Ausgabe. 1879. 8°. 774 pag. netto 8 ℳ.

Das „Bamberger Pastoralblatt" 1879, N°. 14, sagt darüber unter Anderm: „Das wichtige Werk tritt gerade im rechten Augenblick vor die Oeffentlichkeit, um gleichsam die neueste Kundgabe der Grundsätze Leo's XIII. bezüglich der unveräusserlichen Rechte des heiligen Stuhls auf das Patrimonium Petri zu illustriren. Für die deutsche Kirchengeschichte ist das Buch von grosser Bedeutung. Wir stehen nicht an, es ein Werk ersten Ranges zu nennen, unentbehrlich für den Gelehrten und Geschichtsforscher, von hoher Bedeutung für jeden gebildeten Katholiken" etc.

— — la S. Casa di Loreto etc. Osservazioni storico-critiche, artistiche, topografiche, fisiche ad archeologiche. (Roma.) 1861. 8°. 108 p. netto 1 ℳ. 60 ₰.

Causæ selectæ in S. Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini interpretum propositæ per Summaria Precum ab anno 1823 usque ad annum 1869. Collegerunt Chr. Lingen, J. U. D., et Petr. Alex. Reuss, J. U. D. 1871. 8°. 948 p. Ermässigter Preis, netto 4 ℳ.

Celeberrimus Editor latinarum ephemeridum, quibus titulus Acta sanctæ Sedis, hoc de his **Causis selectis** tulit judicium in fasciculo 71mo. *„Haec collectio*, elegantissimis typis edita, *utilissima est, praesertim iis, qui in canonico jure aut in praxi SS. Congregationum sint aliquo modo versati, quique practicas normas quaerant in rerum sacrarum seu ecclesiasticarum administratione, quas normas eruere frequentissime possunt ex responsione authentica cum precibus propositis collata.* His accedunt eruditissima prolegomena de origine, progressu, officio, modo agendi S. Congregationis deque collectionibus Decretorum ejusdem, eorum auctoritate et usu etc."

Decreta authentica SS. Rituum Congreg. cum notis Al. Gardellini et Instructio Clementina cum Commentariis in usum Cleri commodiorem ordine alphabetico concinnata opera et studio W. Mühlbauer, Cæremoniarii etc. 3 vol. (Monachii.) 1865—1867. 8°. (I. 960 pag. II. 976 pag. III. 1. 752 pag. III. 2. 1042 pag.) 50 ℳ.

— — **Supplementum. Tom. I. et II.** complet. 1875/82. 8°. 37 ℳ. 50 ₰.

— — Idem. **Tom. III.** Fasc. I—III. 1882. 8°. Jeder Fascikel 2 ℳ. 50 ₰.

Der Herausgeber dieses in der gesammten katholischen Presse warm empfohlenen Werkes hat die mühevolle, aber längst wünschenswerthe Aufgabe übernommen und glücklich durchgeführt, die bekannte Gardellinische Sammlung behufs des leichteren Gebrauchs nach Materien zu ordnen und diese selbst in alphabetischer Aufeinanderfolge zusammenzustellen. Das in Heften erscheinende Supplement bietet ausser den seit Publication des Hauptwerkes erschienenen neueren und neuesten Decreten eine Fülle des interessantesten Stoffes.

Thesaurus Resolutionum S. Congregat. Concilii quæ consentanee ad Tridentinorum PP. Decreta aliasque Canonici Juris sanctiones prodierunt usque ad annum 1874 cum omnibus constitutionibus et aliis novissimis declarationibus Ss. Pontificum ad causas respicientibus. Primum ad commodiorem usum ordine alphabetico concinnatus opera et studio W. Mühlbauer etc. (Monachii.) 1875/83. 4°. (Vol. I. 1168 p. Vol. II. 1142 p. Vol. III. 1462 p. Vol. IV. 1650 pag.) 164 ℳ.

Liguori, S. Alph. M. de, Liber de Caeremoniis Missae etc. opportunis notis ac novissimis S. R. C. decretis illustratus, necnon appendicibus auctus opera G. Schober, Congr. Ss. Redempt. 1882. 16°. 376 p. 2 ℳ. 40 ₰.

In diesem Werke wird dem Clerus nicht etwa bloss eine neue Auflage des von P. Haringer im Jahre 1857 in Rom in lateinischer Uebersetzung veröffentlichten Büchleins des hl. Alphonsus über die Ceremonien der heiligen Messe geboten, sondern eine ganz neue Arbeit, nämlich eine sorgfältig revidirte und vielfach verbesserte lateinische Uebersetzung des italienischen Originals, welches durch sehr zahlreiche Anmerkungen in äusserst dankenswerther Weise, meistens mit den eigenen Worten der officiellen liturgischen Bücher, der Decrete der S. R. C. und der bewährtesten Autoren, erläutert ist.

Der literarische Handweiser sagt hierüber: „Diese Arbeit P. Schober's verdient als ein werthvoller Beitrag zur Rubricistik die beste Empfehlung. Ihren Kern bildet der Ritus der Privat-Messe, wie ihn der h. Alphonsus im Alter von 60 Jahren (1768) in italien. Sprache ausführlich dargestellt hat: ein Büchlein, das auch deutsch unter dem Titel: ‚Der Priester am

Altare' viel verbreitet ist. Vor nunmehr 25 Jahren erschien eine mit den nothwendigsten Anmerkungen versehene latein. Uebersetzung von P. Haringer. Sein Ordensgenosse aber bietet uns eine durchaus neue Bearbeitung, neu in der Uebertragung des Textes, vor Allem neu in den Anmerkungen und den beigefügten selbstständigen Abhandlungen. Letztere sind zunächst eine, die Erfordernisse zur würdigen Celebration in 5 Abschnitten besprechende Einleitung (S. XIII-XXXIV), dann 8 als „Appendices" beigegebene Excurse über rituelle und rechtliche Fragen, welche im Vergleich zu den eigentlichen Messceremonien mehr allgemeiner, theoretischer Natur sind (S. 147—312). — Dem Text des h. Alphonsus (S. 1—146) sind in Form von Anmerkungen Erläuterungen beigefügt, welche die Weisungen des h. Lehrers begründen, bestimmter normiren und zum Theil auch berichtigen. Zu diesen Bemerkungen wurden an erster Stelle die officiellen kirchl. Bestimmungen herangezogen: Rubriken und Entscheidungen der S. R. C. Da zum Zweck einer sicheren Orientirung das nackte Citiren solcher Bestimmungen zumeist einen sehr precären Werth hat, so wurden mit dankenswerther Umsicht die Belege ihrem ganzen Texte nach mitgetheilt. Die klassischen Rubricisten sind alle zu Rathe gezogen; wie die älteren, so kommen auch die neueren in ihrer eigenen Ausdrucksweise zum Wort. Wenn, was als wünschenswerth erachtet werden kann, das Namensverzeichniss der citirten Autoren mit kurzer Angabe ihrer hier in Betracht kommenden Werke dem Büchlein beigefügt wäre, so gäbe das einen ziemlich ansehnlichen Katalog, welcher strebsame Cleriker auf manche Fundgrube zu ihrer liturg. Weiterbildung aufmerksam machen könnte. Wo die Rubricisten in ihren Meinungen auseinander gehen, ist auch dies in der Regel nicht durch einfaches Citat, sondern mit dem Wortlaut der Belegstellen vermerkt. Inhaltlich sind diese Anmerkungen überaus reich und mit einer Umsicht, Treue und Accuratesse bearbeitet, welche ungetheilte Anerkennung verdient. Der 27 Seiten umfassende genaue alphabet. Index (S. 313-339) wird insbesondere bei plötzlich vorkommenden Bedenken die richtige Weisung leicht finden lassen.

Ist sonach das Buch zunächst den Candidaten des Priesterthums und dem jüngeren Clerus angelegentlichst zu empfehlen, so wird es nicht minder auch älteren Priestern gute Dienste leisten; dass ein Repetitorium in den Rubriken der heil. Messe von Zeit zu Zeit nothwendig sei, erweist ja die tägliche Erfahrung offenen Augen mehr als zur Genüge."

Limbourg, Max., S. J., de Distinctione **Essentiæ** ab **Existentia** theses quatuor. Disputatio scholastica 1883 8°. 72 pag. 60 ₰.

Kleutgen, Jos., S. J., **Institutiones theologicæ** in usum scholarum. **Tractatus de ipso Deo.** Cum approbatione Ordinarii 1881. Gr. 8°. XVI und 752 Seiten mit zweifachem Index. Preis: 6 ℳ.

Der Name des Verfassers, sein überaus grosses Verdienst um die theologische und philosophische Wissenschaft, die allgemeine Verehrung, die man ihm entgegen trägt, musste nothwendig allüberall freudige Erregung hervorrufen, als derselbe diesen Anfang seines neuesten grossartigen Werkes darbot. Wie der Verfasser in der praefatio sagt, wollte er die gesammte Theologie zur Darstellung bringen und zwar in engem Anschluss an die Weise der alten Theologen, vor Allem des h. Thomas von Aquin. Wir haben in ihm sowohl was Inhalt wie Form angeht, den grossen Aquinaten im Gewande des 19. Jahrhunderts, klar und bestimmt in seinen Raisonnements, bündig und lichtvoll in der Darstellung, instructiv in der Gliederung der Materie, klassisch in der Sprache. Nach einer Introductio in die Theologie bringt der vorstehende Tractat nach dem Beispiele des h. Thomas in partes, questiones und articuli die Lehre de iis, quae deo secundum essentiam uni conveniunt; hierauf in lib. II de iis, quae deo secundum personas trino conveniunt. Dem h. Vater ist das Werk dedicirt; er hat geruht, die Dedication mit besonderer Belobigung des Werkes anzunehmen. Durch den inzwischen leider erfolgten Tod P. Kleutgens ist die Fortsetzung dieses Werkes sehr fraglich geworden und lässt sich auf keinen Fall in bestimmte Aussicht stellen. Der Tractatus: De ipso Deo muss desshalb vorläufig als ein selbstständiges Werk für Studium und Gebrauch verwendet werden.

Jungmann, B., Ph. et S. Th. Doct. ac Profess. ord. in S. Fac. Theol. Universitat. cath. Lovaniensis, **Dissertationes selectæ in historiam ecclesiasticam.** Vol. I—IV. 1880/84. 8°. (I. 466 pag., II. 466 pag., III. 454 pag., IV. 408 p.) 15 ℳ 60 ₰.

„Den Freunden kirchengeschichtlicher Quellenstudien bietet der durch seine dogmatischen und historischen Arbeiten wohlverdiente Professor der Universität Löwen in Band I—III 17 Dissertationen, welche der Zeit nach bis ins 9. Jahrhundert hinabreichen. Sie beginnen in Band I mit dem römischen Episkopat des h. Petrus, den Päpsten der 2 ersten Jahrhunderte, den Philosophumena (des Tertullian?), dem h. Cyprian und dem nicänischen Concil; behandeln dann in Band II die Geschichte des Arianismus (6. und 7. Dissertation), die Beichte in den ersten christlichen Jahrhunderten, die christologischen Streitigkeiten in der orientalischen Kirche (9—12 Diss.) und endlich in Band III die Ikonoklasten, die Entstehung des Kirchenstaats, Staat und Kirche im 9. Jahrhundert, die Decretalen des Pseudo-Isidor und das photianische Schisma. Würden diese fleissigen und gründlichen Abhandlungen in der gleichen Weise bis auf die neueste Zeit fortgesetzt, so hätten wir darin eine überaus dankenswerthe Erneuerung der Dissertationen von Natalis Alexander, dem jetzigen Stande der kirchengeschichtlichen Forschung entsprechend und den Arbeiten der Gegner mindestens ebenbürtig. Aber auch das bis jetzt Vorliegende wird seinen nächsten Zweck, die angehenden Theologen in Wesen und Methode der kirchengeschichtlichen Forschung einzuführen, deren Wichtigkeit Papst Leo XIII. in dem kürzlich erlassenen, herrlichen Schreiben vom 18. August d. J. so trefflich hervorgehoben hat, sicherlich mit grossem Nutzen erfüllen."

(Pastoralblatt f. Ermland 1883.)

Jungmann, B., Institutiones Theologiæ Dogmaticæ specialis:

Tractatus de Gratia. Editio V. 1882. 8°. 320 p. 3 ℳ.

Tractatus de Deo uno et trino. Editio IV. 1882. 8°. 388 p. 3 ℳ. 30 ₰.

Tractatus de Deo uno et trino. Brevis Analysis. 1874. 8°. 56 p. 80 ₰.

Tractatus de Deo Creatore. Editio IV. 1883. 8°. 404 p. 3 ℳ. 60 ₰.

Tractatus de Deo Creatore. Brevis Analysis. 1875. 8°. 44 p. 60 ₰.

Tractatus de Novissimis. Editio III. 1885. 8°. 348 p. 3 ℳ. 30 ₰.

Tractatus de Novissimis. Brevis Analysis. 1874. 8°. 40 p. 60 ₰.

Tractatus de Vera Religione. Editio III. 1879. 8°. 260 p. 2 ℳ. 80 ₰.

Tractatus de Verbo incarnato. Editio IV. 1884. 8°. 420 p. 3 ℳ. 60 ₰.

Tractatus de Verbo incarnato. Brevis Analysis. 1874. 8°. 28 p. 40 ₰.

„Ejusmodi Tractatus, ea profunditate catholicae doctrinae, ea claritate et ordine, ea accurata et scientifica dicendi ratione sunt conscripti, ut nihil in eis redundet, nihilque desiderandum relinquant, ut in Seminariis tamquam codices habeantur et juvenibus explanentur. Id tantum supponunt, ut analogum philosophiae cursum in Seminariis juvenes praemiserint, quo idonei evaserint ad recte cogitandum, recteque disserendum." (Acta S. Sedis, fasc. 74.)

246.34
In2

55781

Schneider, Josephus

AUTHOR

Rescripta Authentica Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis.

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	Fr. O'Brien	
	STORAGE - CBPL	

55781